

V
B
J
G
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS



244.

CHRISTOLOGIÆ

TERTIÆ VLTIMÆ PARTIS,

Sectio prior: continens enarrationem

PASSIONIS DOMINICÆ.

Ex quatuor Euangelistis, totidem sermonibus Hebdomadę sanctæ accommodatam.

AVTHORE R. HIERONYMO POVODOVIO,
Canonico, & Archipresbytero Cracouiense.

Opus, scripturæ diuinæ vbertate, eiusq; germana expositione, altißimisq; mysteriis: tum orthodoxa synceritate, Christiana pietate, & proficua eruditione, commendatißimum.

1. Corinth: 2. ver: 2.

NON IVDICAVI ME SCIRE ALIQVID INTER VOS, NISI IESVM CHRISTVM, ET HVNC CRVCIFIXVM.

Cracouiæ, Anno Domini, M. DC. VI.

Sᴠᴍᴍᴀʀɪᴀ totius operis digeſtio.

Sermonis primi.

Sermonis ſecundi.

Sermonis tertij.

Sermonis quarti.

CÆLORVM REGI ALTISSIMO,

Iᴇsᴠ Cʜʀɪsᴛᴏ Cʀᴠᴄɪꜰɪxᴏ,

peccati, mortis, & inferorum, debellatori fortiſſimo, atq; victori glorioſiſſimo.

OPera tua, Fili Dei vnigenite, ac Dñe cęlorum adoran- aDeut: 32 ver. 4.
de, perfecta eſſe, iam olim famulus tuus Moyſes pro- Exod: 8.
digiorum tuorum digitus decantauit. Quæ omnia ver. 19.
quamùis talia tantaq; ſint, vt nullam comparationem admit-
tant: tamen ſecundùm captum, & admirationem noſtram
dici poſſunt, in creatione quidem perfecta, in redemptione
perfectiora, in glorificatione perfectiſsima. Vt enim prius
creationis beneficium tibi cum Deo Patre & Spiritu ſancto
commune omittam: duo poſteriora tuę ipſius Diuinæ per-
ſonæ, in aſsũpta noſtra humanitate propria, in honorem &
gloriam tuam, pro fauſto iſtius operis noſtri auſpicio, ad de-
bitam gratiarũ actionem commemorare inſtitui; idq; non Ierem. 1.
meis [b] qui puer ſum, & neſcio loqui, verbis, ſed eorũ, quorũ ver. 6. Eccli 15.
in Eccleſia tua ora tu ipſe aperuiſti. Quanquã (inquit vnus ver. 5.
[c] ex illis) tua ô Chriſte omnis actio, & miraculorum editio Ioan. Damaſcenus
prçclara, & diuina, ac admirabilis eſt: nihil tamen eſt ex om- de fide li. 4, cap. 12
nibus, quod tantã admiratioñe excitet, atq; eximia tua crux.
Neq; enim vlla alia re peccatũ deletum, primi parentis pec-
catum extinctum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, vis
contemnendarum rerum præſentiũ, atq; ipſius quoq; mor-
tis, nobis cõceſſa, reditus ad veterem beatitudinem compa-
ratus eſt, paradiſi portę patefactæ ſunt, natura noſtra ad Dei
dexterã cõſidet, filii deniq; Dei, & hæredes facti ſumus, quã
crucis tuæ beneficio: Siquidẽ hæc omnia CRVX præſtitit. Bernard, ſuper Cãtica.
[d] Idipſum alius ſpiritu & amore tuo plenus ſic proſequitur.
Quàm dulciter Domine Ieſu cũ hominibus cõuerſatus es?
quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es? quàm fortiter tam indigna, tam aſpera & dura, pro

homi-

hominibus passus es? dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. Sed super omnia reddit te mihi amabilem, bone Iesu, calix quē bibisti. opus nostræ redemptionis: Hoc enim omninò amorem nostrum sibi vendicat: hoc, inquam, nostrā deuotionem blandiùs allicit, iustiùs exigit, arctiùs stringit, & vehementiùs afficit &c. Dilexisti nos dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quòd carnem induisti: sapienter, quòd culpam vitasti: fortiter, quòd mortem sustinuisti. Hęc ille. Cùm igitur (sicut omnia quę á me sunt, & quod ipse sum) totus iste labor de te tuisque in terra pro nostra salute gestis susceptus, tuæ maiestati & honori debeatur: sicut eius initium de admirabili tua Incarnatione & in terris apparitione, eidem tuæ sublimitati Diuinæ erat dicatum, & consecratum: sic tibi eidem [e] qui α & ω, principium & finis es, ea demùm quæ de tui in terris incolatus, & operũ redemptionis nostrę cõsummatione, à me indigno pertractata sunt, humillimè offero, dedico & consecro. Suppliciterq; oro, vt quemadmodum mihi qui [f] homo infirmus & exigui temporis & intellectus sum, ea quæ scribenda essent inspirasti: sic quæ de tua maiestate, nostra vilitas atque infirmitas prodidit, tu ipse tuo diuino spiritu perficias atq; confirmes: vt virtus, efficacia, & meritum tantarum passionum & mortis, quæ pro nostra communi salute exantlasti, mihi & proximis quibus isto labore prodesse studui, sint erroris & ignorantiæ eruditio, mentis illuminatio, voluntatis tibi placens directio, affectuum ac desideriorum refrēnatio, actionum moderatio, culparum expiatio, charitatis aliarumque virtutum implantatio, tibiq; qui lux, via, veritas, & vita es perpetua adhæsio. Qui cum Deo Patre & spiritu sancto, sis Deus per omnia secula gloriosus & benedictus.

e Apoc. 1 ver. 8.

f Sap. 9. v. 5

Authori suo, Authore ipso author indignissimus adscribit, & subscribit manu propria.

AD LECTOREM.

Vox Domini per Prophetam est, Christiane lector, Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & nõ glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, scire & nosse me. Quia ego sum, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra. Quæ verba, quamuis ad Deum, qui in Trinitate vnus & verus est, extendantur, tamen maximè referuntur ad personam Verbi incarnati. Nam attestante scriptura: [b] Deus est lux, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nemo vidit, sed nec videre potest: vnigenitus verò, qui est in sinu Patris ipse enarrauit. Nemo siquidē (vt ipse testatur) nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. [c] In ipso etiam reconditi sunt omnes thesauri. (vt superiùs propheta enumerat) hominibus maximè expetibiles. Ipse enim diues cùm esset, egenus factus est, vt nos ditaret; ipse Sapiētia increata atq; æterna, factus [d] est nobis sapientia & iustitia, virtus & fortitudo ad salutem. Cùm igitur & ego pro mea tenuitate, postpositis secularibus disciplinis, in ista quæ ad Deum est, tanquam aliarũ regina, meipsum vtcunq; exercuissem, eiusq; qualescunq; fructus per vocalem prædicationem proximis communicassem: iam ad instar arboris quando fructificare desinens, stolones ad transferendã ex sese in recentiores truncos regerminationem emittit: cùm voce deficere incipio, stylo tamen qualicunq;, aliis scientiam istam summam & eminentem (vt eam vocat [e] Apostolus) de Christo, Deo atq; vnico reparatore nostro, in alios quasi regerminandam trado atq; relinquo. Cùm ergo prioribus duobus libris, Diuino eius suffulti auxilio, descripserimus æternam eius simul & temporalem generationem, Circumcisionem, per Magos reuelationem, & alia quæ diuinissimæ suæ infantiæ annuo decursu celebrãda Ecclesia proponit: deinde in secundo volumine ea prosecuti fuerimus, quæ ipse circa vltimam cœnam, & ex hoc mundo transitum ad patrem, in fundanda noua sua Ecclesia eiusq; Testamento, lege & ritibus salutaribus instituisset: Nunc ordine ab ipsa Ecclesia proposito eodem duce & directore, deuenimus ad enarrandam eius innocentissimam, simul

Ier. 9. v. 23.

b Ioan: 1. ver. 5.
1 Tim: 6. ver. 16.
Ioan: 1. ver. 18.
Matth: 11. ver. 27
c Col: 2. ver. 3.
2. cor: 8. ver. 9
d 1. Cor. 1. ver. 30.
e Philip: 3. ver. 8.

& amarissimam passionem & mortem, & per eam hostium nostro-
rum inuisibilium potentissimam & gloriosissimam expugnationē.
Iam verò in conscribendis prioribus, cùm magnam quoad potui di-
f Iere: 48. ver. 10. ligentiam adhibuissem, euitando illam comminationem: [f] Maledi-
ctus qui facit opus Dei negligenter, seu fraudulenter: certè in istis
g 1. Cor: 2 ver. 2. posterioribus consideraui illud Apostoli, [g] Ego verò inter vos, non
iudicaui me scire aliquid, nisi Iesum Chrtstum, & hūc crucifixum.
Propterea eò maiores neruos industriæ, studij, & laboris, vsq; ad æ-
tatis & valetudinis iacturam, huic operi impendendum duxi, quò
etiam maiora atq; indigniora filius Dei pro nobis patiendo & mo-
riendo sustinuisset. Totam igitur passionis eius historiam, ex omni-
bus quatuor Euangelistis, sub vna narrátionis cohærentia, explican-
dam assumpsimus. Quam primùm ad sensum literalē, ex ipsius con-
textu, & sacrorum Doctorū authoritate & consensu, studiosè exa-
minauimus. Deinde, cùm Christi mors omnium ab initio mundi
pro nostra futura redemptione, dictorum & gestorum, fuerit con-
summatio, quod & ipse Dominus per vocem (Consūmatum est) fu-
isset contestatus, & scissura veli templi, sicut & apertio lateris Chri
sti, omnia salutis nostræ mysteria nobis reserauerint: propterea plu
rima diuinæ scripturæ abditissima ænigmata, præsagia, & typicè ge-
sta, ad eam veritatem & complementum, ac mysteriorum nostræ re-
demptionis veluti Ocœanum, reuocare studuimus, ex typicis allego-
riis, veluti historiam Euangelicam contexentes.

Locos etiam scripturæ difficiliores, vel apparentia diuersos, quā
clarissimè explicare, & conciliare conati sumus: primò quidem si-
mili & apertiori scriptura; deinde rationabili consequentia: ter-
tiò, orthodoxæ antiquitatis authoritate: in qua perscrutanda, & in
vnum recolligenda plurimùm elaborauimus: vbi multa etiam re-
perimus, quæ nobis priùs & vltrò in eundē sensum suggesta essent,
h Sap. 1. ver: 7. eodem (vt cōfidimus) spiritu, [h] qui scientia vniformis vocis, orbem
terrarum replere non desinat. Quæstiones quidem religionis no-
stræ, quæ magis curiosæ, quàm fructuosæ essent, omisimus; tanquam
arcana

AD LECTOREM.

arcana verba, quæ homini non liceat loqui. Vtiliores autem sic ex-
plicare, & ex variis Doctorum suffragiis conciliare studuimus, vt
apud credentes, & non [i] verborū pugnis contendentes, vlterioribus i Tim: 6.
disquisitionibus fortassè non indigeant. Prstremò, quoniam teste ver: 4.
Principe [k] Apostolorum, Christus passus est pro nobis, nobis relin- k 1 Pet: 2.
quens exemplum, vt sequamur vestigia eius: adeò vt eius passio, sit ver. 21. cap: 4. v. 1
vitæ nostræ tentationibus exposita præcipua armatura: propterea
in ista enarratione, omni data occasione sensum tropologicum, seu
moralem, ad præsentes hominum corruptelas applicuimus. In quo
si delicatulo huic seculo duriusculi videbimur, plus certè erat pa-
rendum diuinæ ad correctionem & salutem vèritati, quàm huma-
næ, ad adulationem & extremam perditionem vanitati. [l] Affligi- l Mala: 3. ver: 8.
tur & configitur pro hominibus Deus, & Dominus noster, adeò vt Isa: 53. v. 2.
non sit illi aspectus, neq; decor: & post mortem etiam reliquias san- Hebr: 12. ver. 4.
guinis pro copiosiori hominis redemptione profundit: homo autē,
qui deuictis ab illo hostibus, vsq; ad sanguinem per imitationem
martyrij resistere debebat, correctionem etiam extremis Saluatoris
sui vulneribus & cicatricibus applicatam, non sustinet, & verbo sa-
lutari offenditur? O cæcitatem deplorandam: morte creatoris, cre-
aturæ inanimatæ sursum & deorsum cōmouentur: peccatores autē
pro quibus creator simul & redemptor eorum patitur, dolores ca-
pitis sui (membra profectò adulterina) non sentiunt, sed potiùs in
delicias conuertunt? Iniuria profectò non iàm stylo, quàm ferro,
vel Tartaro vindicanda. Ea ratio etiam extorsit, vt in Ecclesiastico
statu quandoq; superiori, aliqua ex occasione notarentur: ea præ-
sertim, quæ in oculos fidei aduersariorum magis incurrentia, sicut
ab illis odiosam reprehensionem, sic à nobis reuerentem commoni-
tionem, requirebant: & vt [m] gladius iste verbi Dei ex vtraq; parte m Heb: 4.
acutus, & versatilis, non solùm infidelitatem plecteret, sed in ipsa ver. 12.
etiam Ecclesia, ad compages & medullas humanitùs interdum affe-
ctas pertingeret. [n] Sic enim non ab aliis iudicandi, sed nosmetipsos n 1 Cor: 11 ver. 31.
iudicantes, quando libertate spiritus, veritatem omnia superantem, 3 Esdr: 4.
sine ver: 41.

sine vlla conniuentia, & adulationis nota, iudicem simul & vindi-
[o] 1.Pet.2. ver. 15. *cem adhibemus,* [o] *obstruentur ora hominum, qui ex aduerso sunt*
Tit.2. v 8. *imprudentium, vel potiùs impudentium, qui peruerso oculo, la-*
psum pro lege, casum pro consuetudine, fragilitatem pro licentia,
[p] 2.Tim.2 ver. 20. *errorem pro more, factum deniq; pro iure reputant, in* [p] *magna Ca-*
tholicæ Ecclesiæ domo, in qua ipse Apostolus, vasa alia in hono-
[q] 2. Pet.2 ver. 19. *rem, alia in contumeliam agnoscat. Ipsi interim* [q] *serui corruptio-*
Luce 11. ver. 33. *nis in tenebroso sectarum suarum modio, trabem omnium vitio-*
Matth. 7. ver. 5. *rum impunitam non agnoscentes. Non est igitur, quod vel illos,*
vel quenquam moueat, si apertis filij Dei pro nobis vulneribus, vul-
nera membrorum eius praua cicatrice obducta, ad sanitatem, quan-
[r] Hebr. 6. ver. 6. *doq; resecamus: ne illis in suo putore relictis,* [r] *filium Dei potiùs*
nobis rursus crucifigamus, quàm victorem & redemptorem recipi-
[s] Hiero. Epist. ad Gaudentium. *amus. Quid enim agimus? Proh nefas (loquimur cum* [s] *B. Hiero-*
nymo) orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt: plurimæ
Christianæ regiones, & ædes sacræ, in fauillas redactæ conciderunt:
nulla regio paganorum est, quæ iam non exules, sed captiuos, & fi-
dei renegatos ciues Ecclesiæ Christi, non habeat: nos tamen in vi-
tiis hæremus, viuimus quasi altera die morituri, & ædificamus, qua-
si in hoc seculo semper victuri: Sic ille nostris cladibus peraccom-
modè. Parcat igitur, quæso si fortè quem offendit zelus noster: &
[t] 1. Cor. 13. ver. 6. *quæ à nobis vel liberiùs, vel etiam imprudentiùs dicta sunt,* [t] *cha-*
ritate omnia sustinente, excipiat; vel etiam, si placet, corrigat:
no-strumq; animum in conscribendis istis talem qualem superiori-
bus scriptis contestati essemus, reputando, laboribus nostris qua-
libuscunq; faueat.

Hebr: 12. ver: 2.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum se contradictionem.

IN PASSIO-

IN PASSIONEM DOMINI

Sermo Primus.

Cap: I.

VOTIES ANNIVERSARIO RE- Luctus Christianorum de passione Dñi. quãtus.
cursu, sancta mater Ecclesia, à nobis, Christiani
auditores, exigit, vt Regis & sponsi sui cæle-
stis, pro nobis passi & mortui historiam, & me-
moriam lugubrem reuoluamus: videtur no-
bis ingeri illud Poeticum:
Infandum Regina iubes renouare dolorem. 2: Aeneid.
Si enim Ethnico illi Principi deuastatio Troiæ, interitus Re-
gis Priami, eiusq; familiæ ac optimatum, adeò luctuosa erant,
vt dolor sermonem adimeret: profectò (vt ex alio Poeta, sa-
cris prophana inseramus.)
Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit, Ouid: in Epist:
Cui luctus non solum populi Christiani de suo redemptore,
sed etiam totius vniuersi de suo Creatore supra omnem na-
turam patiente, vel in minimo comparari queat. Verissimè Diony. Epist: 7. & 11- Offiti: Roma: in festo B. Diony:
enim Dionysius ille Areopagi adhuc tum Ethnicus apud A-
thenienses iudex, viso illo solis deliquio, quod Christo in Cru-
ce pendente, contra naturæ legem contigisset, pronuntiauit,
aut Deum naturæ conditorem pati: aut machinam totius vni-
uersi dissolui. Vtrumq; enim tunc eueniebat: Nã & in subiecta
humanitate verus Deus patiebatur, & moriente creatore, cre-
aturæ quoq; specimen quoddam suæ extremæ dissolutionis
contestabantur: nisi eius ipsius quæ tunc peragebatur repara-
tionis virtute sustentarentur. Plenum satis (ait B. Chrysolo- Chrysolo: Ser: 77
gus) & perfectæ deuotionis indicium, quòd tempore passio-
nis, tota creatori suo compatitur creatura. Quæ caro terra
tremente non tremuit? quæ mens non torpuit? quod inge-
nium non defecit? cùm sol ante tempus occidit, lux refugit?
Idem attestatur S. Leo sic scribens: Pendente in patibulo cre- Leo Serm: 6. de Passione Domini
atore, vniuersa creatura congemuit, & Crucis clauos omnia
simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit.
Hoc in cõmunionem sui & terram traxit & cælum; hoc petras
rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum
horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testi-

monium

monium suo mundus autori, vt in occasu conditoris sui, vellent vniuersa finiri. Sed patientia Dei seruat rebus atque temporibus ordinem suum: nosq; in illum potius vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimen horremus. Sic ille.

Passio Christi omnia in cælo & in terra affecit.

Vt autem singula quomodo possumus attingamus: nihil prorsus erat, quod in suo ordine tunc consisteret. Verbum enim æternum Deus, sponte per incarnationem exinanitum, tandem in extremo passionis se ipsum sic deserit, vt pro creatura mori posit. Deus pater filium vnigenitum in quo sibi vnicè complacuisset, tradit ad mortem, & quidem turpissimam Crucis, vt seruos redimeret, & inimicos sibi preuaricatores reconciliaret. Similiter dulcissima Dei genitrix, eundem filium suum vnigenitum, & cum Deo Patre communem, mæstissima Cruci assistens, offert Deo Patri, agnum tollentem peccata mundi: vt non taurorum aut vitulorum, sed proprio diuino sanguine mundum redimeret vniuersum: cùm Abrahamo patre, mater & ipsa fidei, nihil addubitans, eundem filium per resurrectionem sibi cum fænore fore restituendum. Iam verò & ipse Dei & hominis filius, qui primæua, & subsequenti lege, patrem & matrem honorare & complecti præcepisset: nunc ex vltima Cathedra Crucis; Patrem quidem suo modo deserit, quando vnus cum eo Spiritus existens, per mortem tamen spiritum suum humanum in manus eius commendat. Matri quoq; filiale remittit nuncium; quando sic ipsam & dilectum discipulum alloquitur: *Mulier ecce filius tuus: Fili, ecce mater tua.* Eo etiam tempore ipsa sedes Dei eiusq; fruitio, hoc est *regnum cælorum,* quod fidelibus ista passione præpararetur, *vim patitur:* & exclusis vocatis, *violenti rapiunt illud:* quando nimirum gens Iudaica Deo mancipata, singulariter autem Iudas Apostolus ex mundo electus, suspendio, & exinde (diabolus antea pronuntiatus) tartaro, addicitur: latro autem proximè in ipsum eundem redemptorem blasphemus, ex Cruce, in momento fere ipsi redemptori associatus, paradiso adiudicatur. Virtutes etiam cælorum tunc commotæ aliquomodo cernebantur, Angeli siquidem quatenus quidem mandatum accipissent, vt filium Dei in orbem terræ per incarnationem introductum adorarent, cùm vidissent in passione illa despectum, cui non esset

Gen: 22. ℣. 10. Hebr: 11. ℣. 19.
Ambr: de institu: Virginis Cap: 7.
Exo: 20. ℣. 12. Matth: 15. ℣. 4.
Lucæ 23. ℣. 46. Ionn: 19. ℣. 26.
Matth: 11. ℣. 12.
Hebr: 1. ℣. 6.

species

species neq; decor, luxerunt, iuxta illud Prophetæ: *Angeli pacis amarè flebunt:* Quatenus verò eundem filium Dei considerauerunt sua in passione infra naturam suam paulò minus humiliatum, officium consolationis seu confortationis in agonia existenti præstiterunt. Sed & tartarus ipse, *in quo nullus ordo sed sempiternus horror inhabitasset,* maiora tunc confusionis agnouit argumenta. Primò quidem, quando ipsi spiritus infernales, mortem Christi, modò per Iudam, iniquissimos iudices, & ipsum populum Iudaicum, apertè solicitabant; modò (vt B. asserit Ignatius) per vxorem Pilati latenter præpediebant. Deinde quando infernus, in quo nulla est redemptio, descendente eò redemptore ipso, liberationem non solùm iustorum, sed etiam aliqua ex parte incredulorum, per Christi prædicationem admisit: atq; terra tunc contremiscente, mortuos suos humano conspectui edidit. Refert etiam Eusebius Cæsarien: ex Plutarcho in libris de oraculis deficientibus, tempore Tyberij Cæsaris (sub quo Christus passus est) a quibusdam nauigantibus Romam, auditos fuisse clamores & eiulatus in hæc verba: Pan Deus magnus mortuus est. Quas quidem querelas à dæmonibus per Christum tunc debellatis factas fuisse, dubium non est. Iam verò cælorum ipsi orbes confusionem & luctum suum patienti creatori contestati sunt: quando duo præcipua luminaria mundi, cursu naturali prorsus inuerso, lumen orbi terrarum retraxerunt vniuerso. Exinde elementa quoq; aliquid detrimenti tunc fuisse mutuata, possibile est. Ignem quidem elementarem ab ipsius orbis lunaris vicinitate; aerẽ ex radiorum tum solis, tum lunæ, ipsiusq; lucis subtractione. Terram quidem contremuisse, & solidissimas petras discissas, Euangelica attestatur historia. Cum qua in vno eodemq; globo, aquas aliquo modo fuisse affectas, à ratione non est alienũ. Certè nec illud caret stupore, ex Christi mortui corpore, cum sanguine aquam simul profluxisse.

Isai: 33. ℣. 7.
Psal: 8. ℣. 6. Hebr: 2. ℣. 8.
Iob 10. ℣. 22.
Ignatius epistola S. ad Philadelphienses.
1. Pet: 3. ℣. 19. & Cap: 4. ℣. 6.
Euseb: lib: 5. præparationis Euangel: Cap: 9.

Cap: II.

Hominum õnes status quantum affecit passio Christi.

Sed præcipuè in genere humano, propter quod potissimum Deus tam indignè afficiebatur, quid non affectum vel conturbatum aspicias? Mater Dei innocentissima gladio doloris in corde transuerberatur: & ferrum luctus & tribulationis pertransijt animam eius, cumulato eo dolore quem in partu non percepisset.

Lucæ 2. ℣. 35. Psal: 104. ℣. 18.

Petrus

Petrus ex ſoliditate fidei qua cæteros confirmaret, voce an-
cillæ deturbatur: & galli magiſterio, magiſter ipſe Eccleſiæ
Iſaiæ 52. ℣. 7. Rom: 10. ℣. 15. ad pœnitentiam reuocatur. Apoſtolorum pedes alioqui ad
conuerſionem orbis ſpetioſi, in turpiſſimam fugam redigun-
tur: & percuſſo paſtore, non ſolum grex, ſed ipſi gregis cu-
ſtodes diſperguntur: & fidei magiſtri, infidelitatis duces æ-
ſtimantur. Apoſtolus ex mundo electus, in cœna ab ipſo Do-
mino lotus, & myſterijs ſacris cibatus, ad ruinam reprobatur:
latro autem in Cruce in opprobrium filio Dei deputatus, di-
uino iudicio, filius Dei & hæres paradiſi efficitur. Quid? quod
is ipſe traditor ſæuiendo, condolet: fraudando, oſculatur: fu-
rando, diſſipat: pœnitendo, deſperat: ex templo furcam re-
petit: præda exoneratus, crepat medius? Caiphas in vno eo-
demq; Chriſti iudicio, fit ſimul propheta & traditor, legis di-
rector, & proditor: Pontifex & carnifex. Pilatus dum ex ra-
tione geſtit eſſe iuſtitiæ cognitor, ex adulatione euadit in-
nocentiæ proditor. Populus Ieroſolymorum, Chriſtum quem
paulò ante ſubſtratis frondibus & veſtibus, compellatione cæ-
leſti per vocem Hoſanna, Regem Iſrael conclamat & excipit:
eundem modò tanquam ſceleratiſſimum legum & patriæ per-
duelem, pro Barraba latrone flagitioſiſſimo, ad ſupplicium tu-
multuariè depoſcit: & ſpoliato prius, demum cruentato ve-
ſtitu, ligno Crucis oneratum, extra eandem, qua glorioſus in-
traſſet, portam, crucifigendum proſequitur. Iſta profectò, &
ſi quæ ſunt alia, tanta ſtatus ſui exorbitantia arguebant, re-
rum omnium principium & conditorem, in ordinem creatu-
rarum redactum, indigniſſima quæq; ab eadem creatura per-
peti. Quemadmodum enim antequam Deus mundum inqui-
Gen: 6. ℣. 12. natum, per vniuerſale illud diluuium correxiſſet, omnis caro
ſuper terram dicitur corrupiſſe viam ſuam: Ad eundem mo-
dum, poſtquam idem mundus, ipſeq; Dei populus, ad ſimilia
Iſaiæ 1. ℣. 5. carnis ſcelera, quibus (vt dicit Propheta) Sodomam etiam
atq; Gomorham ſuperabat, præuaricationem quoq; ipſius pa-
cti diuini addidiſſet: veniens ipſe medicus cæleſtis, cùm in
corpore totius maſſæ humanæ, iuxta eundem Prophetam, *om-
ne caput languidum, & omne cor mærens inueniſſet, adeò vt à planta pe-
dis vſq; ad verticem in eo non eſſet ſanitas:* ipſe inquam per aſſum-
ptionem

ptionem carnis caput noſtrum effectus, in ſeipſum quicquid
illud eſt noxæ accipiens, *quæ non rapuiſſet exoluit*, atq; dira paſ- Pſal: 68. ℣. 5.
ſione & innocentiſſima morte reparauit. Quamuis igitur Paſsio Chriſti cur legenda.
tantæ redemptionis fructus ipſe atq; effectus, per ſubſequen-
tem reſurrectionem Domini exhibitus, non luctus, ſed gaudij
nobis cauſa exiſtat: tamen paſſio ipſa & mors, cuius memoria
nunc incidit, maximum luctum *& quaſi planctum vnigeniti* ab v- Ierem: 6. ℣. 26.
niuerſo fideli populo exigit. Primò quidem, quòd creator, cui
omnes creaturæ (vt diximus) teſtimonium reddunt, tam in-
digna patiatur: Deinde quòd tanti ſupplicij nos cauſa exti-
tiſſemus, quorum ille pœnas ſponte recepit, ſimul atq; exol-
uit. Deniq; quòd tam copioſæ eius miſerationis & redempti-
onis, fructum non capiamus, ſed nouis præuaricationibus paſ-
ſionem eius euacuantes, *in nobis ipſis* (vt inquit Apoſtolus) *fi-* Hebr: 6. ℣. 6.
lium Dei crucifigamus, & oſtentui habeamus. Sed ne à luctu exci-
dij Troiani exorſi, videamus tantum Paſſionis Dominicę Tra-
ctatum, *Troiano, vel gemino* (vt dicit Poeta) *exordiri ab ouo:* rem Horat: de arte Poet.
nobis propoſitam aggredientes; textum Paſſionis Dominicæ Propoſitio & Methodus ſequentis tractatus.
ex quatuor Euangeliſtis congeſtum, in totidem Sermones: &
ternas Sermonum ipſorum partes diſtinctũ, explicemus. Pri-
mò quidem ea quæ geſta ſunt, antiquioribus ſiue figuris, ſiue
oraculis, ſiue exemplis & conformationibus, applicando: de-
inde hiſtoriam ipſam ſecundùm proprium literæ ſenſum ex-
planando: poſtremo, ſenſu myſtico, præcipuè morali, doctri-
nas neceſſarias ad formandam vitam noſtram applicando. Id-
que adiuuante ipſo, qui propterea paſſione infirmatur, vt ſua
virtute noſtram imbecillitatem roboret, atq; ad tanta myſte-
ria ediſſerenda diſponat atq; confortet.

PRIMA PARS.

Cap: III. CVM redemptionis humanæ ratio talem expoſceret me- CHriſtus ſicut in vita, ſic circa mortem Deum & hominem ſe comprobauit.
diatorem, qui in vna eademq; perſona, & homo eſſet qui
debitum & pænas verè exolueret, & Deus qui talem ſatisfa-
ctionem propria plaſtione acceptaret: Propterea filius Dei
poſt aſſumptam carnem, nihil magis egit, quam vt proprieta-
tes vtriuſq; iſtius naturæ per omnes ætatis ſuæ ſtatus exhibe-
ret. Primo enim in humana infantia eiuſq; incrementis, di-
uinæ

uinæ potentiæ op era non intermisit: deinde pueritiæ subse-
quentis incrementa, soliditate sapientiæ supra humanam, iu-
Lucæ 2. ℣. 47. dicio Doctorum legis comprobauit. Reliquum ætatis tempus,
conuersationi & familiaritati humanæ sic attribuit, vt verita-
tem carnis, & indubitatam ex progenie Dauidica propaginē,
generi suo comprobaret. Porrò in adulta ætate, officium Mes-
siæ sic adortus & prosecutus est, vt in omnibus fere suis dictis,
factis, atq; gestis, non minùs sese Deum absconditum, quàm
hominem manifestum exhiberet. Hoc ipsum fecit in extrema
officij sui, & nostræ redemptionis consumatione. Multò enim
ante quàm mortem subijsset, eandem sponte assumendam, sę-
Transfigurationis Christi scopus. Matth: 17. ℣. 1. pius non solùm prædixit, sed etiam glorioso illo suæ transfi-
gurationis spectaculo præmonstrauit; in quo tanquam viuo-
rum & mortuorum futurus Dominator, Eliam & Moysem euo-
cat, cum quibus de excessu suo per passionem Ierosolymis con-
sumando, primos Apostolos erudit: vt quando postmodum vi-
derent Dominum glorię Crucifixū, eius infirmitate non scan-
dalizarentur, cuius gloriam in carne adhuc passibili fuissent
Introductio ad historiā ipsam passionis Christi. experti. Quod autem tribus præcipuis in visione, hoc demum
omnibus simul discipulis secretò, sed clarissimè prædicit in-
Matth: 20. ℣. 18. quiens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur prin-
cipibus Sacerdotum & Scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent
eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & ter-*
Marci 14. ℣. 8. *tia die resurget.* Quod breui esse euenturum prædicit, quando
profusionem vnguenti super caput suum (quæ erat eius tra-
dendi per Iudam occasio) declarat sepulturæ suæ fuisse im-
pensam. Sed ne videretur Dominus tanquam impassibilis De-
Ioan: 11. ℣. 54. us, se vltro morti exponere; refert alius Euangelista, post illud
insigne miraculum suscitati Lazari, cùm Iudæi vitæ Domini
apertius insidiari cœpissent, eum iam in Iudæa palam non am-
bulasse, sed cum discipulis suis commoratum fuisse in loco se-
motiori ciuitatis Ephrem. Postea imminente die festo Paschę,
turbis ad honorem eius conspirantibus, venisse regio (quam-
uis humili) apparatu Ierosolymam: vt secundùm Prophetas,
Rex Israel contestatus, regnum suum super humeros, in solio
Leo Serm: 1. de Epiphan. Crucis consumaret. Nam secundùm B. Leonem, qui serui for-
mam susceperat, & non iudicare venerat, sed iudicari, Bethle-
em præ-

em prælegit natiuitati, Ierosolymam passioni. Propterea
confecto vltimæ suæ voluntatis testamento, quo Synagogam
quidem reprobaret, Ecclesiam verò cum suo perenni sacrifi-
cio fundaret, (qua de re superiori volumine tractauimus) ab
illa vltima cœna, passionis suæ voluit inchoare initium. Quod Christologiæ secundæ partis Sermo: 8. & sequentibus.
Euangelistas sic enarrantes audiamus: & vt Dominus conces-
serit, etiam intelligamus.

Cap: IIII. *EGressus Iesus cum discipulis suis trans torren-
tem Cedron, ibat secundùm consuetudinē in mon-
tem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & disci-
puli eius. Et tunc venit Iesus cum illis in vil-
lam, quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus,
in quem introiuit ipse, & discipuli eius.*

Egressus seu excessus couuenit passioni Christi. Ioan: 18. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

Apposite sacri Euangelistæ passionem Dominicam descriptu-
ri, præponunt Christi egressum: vt conueniens fiat allusio
ad excessum illum circa transfigurationem suam prædictum, Lucæ 9. ℣. 31.
quem consumaturus esset in Ierusalem. Vtraq; autem vox re-
ctè passioni & Christo accommodatur, quia (vt ipse testatur)
Oportebat ipsum pati, & sic intrare in gloriam suam: quemadmodum Lucæ 24. ℣. 26. Ioan: 16. ℣. 16.
& alibi dicebat: *Modicum, & iam non videbitis me,* (hoc est per tres
dies mortis meæ) *quia ad patrem vado.* Quod etiam eleganti Ambro: in hymno Veni Redemptor gentium.
metro sic expressit sacer Ambrosius:

Egressus eius à Patre, Excursus vsq; ad inferos:
Regressus eius ad Patrem: Recursus ad sedem Dei.

Christus cur extra portam captus & passus.
Cur autem non in vrbe ipsa Ierosolymæ, sed extra compre-
hendi voluerit; duplex occurrit ratio. Prima, vt ini tium
passionis, fini responderet, in illo præsertim mysterio, quod
Apstolus explicat, sic scribens: *Habemus altare, de quo edere non* Hebr: 13. ℣. 8.
*habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animali-
um infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum cor-
pora cremantur extra castra.* Istis enim verbis Apostolus distinguit
sacrificium Christi secundùm ordinem Aaron temporale &
semel factum, quod extra portam in ara Crucis Dominus per-
fecit & consumauit, à sacrificio æterno secundùm ordinem
Melchisedech, in sanguine quidem, sed semper viuente & vi-
gente

gente peracto: quod Dominus in cœnaculo quidem & tabernaculo visibili sic instituisset, vt in sancta cælestia per Christum Pontificem illatum, ex cælesti ad terrenum quoq; altare atq; ministerium deriuaretur: vt in superiori volumine, tractatu de Sacrificio satis ostendimus. Altera ratio dari potest: Vt quemadmodum ex loco montis Oliuarum, regnum externum populus Ierosolymitanus Domino deferebat, sic idem regnum internum, non ex hoc mundo (vt ipse dicebat) sed pro hoc mundo, quod in solio Crucis esset exacturus, eiusdem populi perfidia, ex eodem loco & eadem porta aurea seu probatica dicta, tanquam bonus pastor animam pro ouibus positurus, voluntariè susciperet atq; inchoaret. Cedron autem, est vallis inter Ierosolymam & montem Oliuarum, non quasi Cedrorum arboribus consita, (vt quidam etiam graues Commentatores existimarunt) sed proprietate nominis sic appellata, vt constat 2. Reg: 15. ab ipsa vmbrosa profunditate deriuata. Quod denotare potest Iudæorum obstinatam ad Christum perdendum cæcitatem, quam ipse sua passione voluntaria quodam modo pertransibat. Per istam vallem decurrebat torrens, per quem Dominus transisse memoratur: vt in isto passionis eius ingressu, secundum Augustinum, verissimè impleretur, quod prædixerat Psalmista: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Quia enim secundùm Apostolum, *humiliauit semetipsum vsque ad mortem crucis: propterea exaltauit illum Deus supra omne nomen:* vt ibidem Augustinus applicat. Idipsum præsignabat ipse Dauid, quando fugiens filium suum Asolonem, dicitur cum domesticis suis, nudis pedibus, & aperto capite, egressus fuisse Ierosolymis, per eundem torrentem Cedron: remanente in vrbe præcipuo proditore Achitophel; extra autem, quodam inimico Semei dicto sibi improperante. Similiter enim tunc Dominus euadebat persecutionem populi Israelitici, quem *filium suũ primogenitum* Pharaoni eripuisset. Appositè quoq; per Achitophelem, intelligimus Iudam proditorem, proditionem ipsam in vrbe procurantem. Cui non minus quadrat infælix per proprias manus interitus, cùm consilium malum sibi consultori pessimum imminere cerneret. Semei quoq; referebat illum latronem nequam; quem non solum in Cruce, sed

Christologiæ secundæ partis Sermo: 6. Cap: 17. & 22. Et Serm: 11. Cap: 5.

Cedron quis locus, eiusq; mysterium.

2. Reg: 15. ℣. 23.

Psal: 109. ℣. 7.
Philipen: 2. ℣. 8.
August: in Psalm: 109. & 123.

2. Reg: 15. ℣. 30.

Dauid fugiens Absolonem figura Christi.

Exodi 4. ℣. 22.

Typus Iudæ, & latronis Christum blasphemantis,

2. Reg: 16. ℣. 5.
Lucæ 23. ℣. 39.

sed per totam viam Domino improperasse conijcimus. Isto autem transitu suo laborioso & pœnali, consecuta est fidelibus illa securitas, quam idem Propheta alibi sic describit: *Torrentem pertransiuit anima nostra: fortasse pertransisset anima nostra aquam intolerabilem? Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Porrò dicitur Dominus perrexisse versus montem Oliuarum, ad villam seu prediũ Gethsemani, vicinum Ierosolymis, Sabbati habens iter: quorum vtrumq; habet denominationem à pinguedine, quæ misericordiam designat: vt nimirum Christus, sicut in præcedente Ierosolymam ingressu, sic in ipso egressu, regnum suæ redemptionis singulari miseratione contestaretur. Nec illud vacat mysterio, quòd Dominus in horto redemptionem humanam fuerit auspicatus. Nam secundum Cyrillum, in Paradiso casus, in horto salus: de ligno peccatum, & per lignum salutio. Sic ille. Quia inquam in horto primus homo corruerat: æquum erat, vt inde initium summeret redemptio, vbi consumata esset preuaricatio: & bonus pastor ouem ad imaginem suam conditam, & quàm primum aberrasset, vellere consignatam, ibi requireret, vnde periisset. Quemadmodum verò illic per vnum hominem dicitur esse consumatũ peccatum, quãuis duo essent vir & mulier, qui tamen vnum nomen Adæ à Domino leguntur fuisse mutuati: Sic ad reparationem in vna eademq; persona Christi cælestis Adæ, enituit duplex voluntas, vna sensualitatis, quæ mortem horreret, correspondens mulieri: altera rationis, correspondens viro, quæ sese diuinæ voluntati & redemptionis humanæ æterno consilio & beneplacito resignaret.

Psal: 123. ℣ 7.

Montis Oliuarum & horti in quo Christus captus esset mysterium.

Cyrillus Ierosolymitan. Catechesi 13. illuminator:

Christus in duplici natura Adamum & Euam redimendos referebat.

Gen: 3. ℣ 22.
Gen: 5. ℣ 2.

Et cum peruenisset ad locum, dixit discipulis suis: sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Orate ne intretis in tentationem. Et assumit Petrum, & Iacobũ, & Ioannem secum: & assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit cõtristari, pauere, & mæstus esse. Et tunc ait illis: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: sustinete hic, &

vigilate mecum. Et ipſe auulſus eſt ab eis, & progreſſus puſillum quantum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus, procidit ſuper terram in faciem ſuam, & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora, & dixit. Abba Pater mi: ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: omnia tibi poſsibilia ſunt, ſi vis, transfer calicem hunc à me: Verumtamen, non mea voluntas, ſed tua fiat. Matth: 26. Mar: 14. Lucæ 22.

Tentationi diabolicæ qualia arma opponit Chriſtus.

Initium peccati in Paradiſo, erat, ex parte quidem diaboli, odio flagrans tentatio, ex parte verò hominis, ſecuritas & ſuperbia, appetens ſcientiam boni & mali, & exinde ipſam diuinitatem Ad ſanandam iſtam plagam, cæleſtis medicus, contra tentationem quidem ſatanæ, fidei Apoſtolorum per diſperſionem quam ipſe premonuiſſet inſidiantem, adhibet remediū vigilantiæ; ſpiritualis quidem per inſtantem orationē; corporalis autem, propter periculi à Iuda eiuſq; cohorte imminētis præmunitionem. In quo ipſe tanquam caput ſeipſum exhibet exemplum, quando qui ex congruo *exaudiatur pro ſua reuerentia*, & coram quo tanquā agno cæleſti adorando, procūbunt cæleſtes poteſtates: tamen prolixè & ſine intermiſſione orat, & quidem non ſolùm genu flexus, ſed etiam in faciem procumbens: ſimul vt redarguat humanæ vanitatis ſuperbiam, quæ Deum per orationem alloquens, ſimilia humilitatis & ſubiectionis ſigna erubeſcat vel dedignetur. Videtur autem princeps paſtorum, in tanto diſcrimine, imitatus fuiſſe vigilantem paſtorem Iocob Patriarcham, qui imminente ſibi fratre Eſau cū valido exercitu, dicitur familiam ſuam diuiſiſſe in duas turmas, vt ſi fortè percuteretur vna, altera illæſa permaneret. Ad eundem modum Dominus, in duas ſtationes diuiſit Apoſtolos, vt ſi fortè prior ſathanæ fraudibus cribrata hallucinaretur, in altera fides quæ altioribus myſteriis ſuſcitationis mortuæ puellæ, & transfigurationis, fuiſſet erudita, ſeruaretur; vel ſaltem orante ipſo Domino, Petri fides cæteros confirmatura, non deficeret. Sed quæritur; quomodo Chriſtus po-

Capr IV.

Orationis inſtantia & humilitas, exemplo Chriſti. Hebr: 5. ℣. 8. Apoca: 5. ℣ 8.

Paſtor animarum Chriſtus in Iacob figuratus. Gene: 32 ℣ 8.

Lucæ 22. ℣. 31. Mar: 5 ℣ 37.

Affectiones paſſionis an in Chri-

ſtus potuit, ſecundum Matthæum, triſtari & mœſtus eſſe: ſecū-
dum Marcum autē etiã pauere & tædere: ſiquidem ſecundū
naturam diuinam eſſet impaſſibilis, neq; ſecundum humanita-
tē tantis paſſionibus videretur fuiſſe obnoxius, dicente ſcrip-
tura diuina: *Non contriſtabit iuſtum, quicquid acciderit ei.* Et rurſus:
Iuſtus quaſi Leo confidens abſque terrore erit. Quod magis conuenie-
bat Chriſto, qui eſſet Leo de tribu Iuda, fortis victor & trium-
phator: maximè quòd de ipſo prædixerat Iſaias: *Non erit triſtis*
neq; turbulentus? Reſpondemus: Omnino ſicut ipſa Chriſti paſſio
præſentibus Apoſtolis, iuxta Chriſti prædictionem, magis au-
tem Iudæis & gentibus, maximum attulerat ſcandalum: Sic
poſtmodum ipsa etiam eius fides, maxime eapropter calumni-
is ſemper fuit expoſita, iuxta illud Apoſtoli *Prædicamus Chriſtum*
Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Gen-
tilibus enim impoſſibile videbatur, quocunq; tandē modo, eum
qui verè eſſet Deus, verè potuiſſe pati & mori: Similiter Iudę-
is ea res ſuper incredulitatem, adgenerabat ſcandalum, vt in
Meſſiam, qui orbem terrarū ſubacturus eſſet illorum imperio,
tale quid infirmitatis cadere potuerit. Sed maximè Ebionitę,
Photiniani, Samoſatenici, Manichæi, & alii, ex hoc potiſſimū
argumento Chriſti diuinitati aut veræ humanitati derogabāt.
Quæ res coegerat, aliquos tunc Catholicos, præcipuè verò
Hilariū, aſſerere, iſtas paſſiones Chriſtum verè ac realiter non
ſuſtinuiſſe: cùm anima exiſtens ſemper beata, iis affici non po-
tuerit: corpus etiam ſupra naturam conceptum & generatū,
voluntate ac prætextu, non neceſſitate aut natura, fuiſſe pa-
ſſibile. Eandem ſententiam publicè Iuſtiniani Imperatoris e-
dicto firmatam fuiſſe, Euagrius memoriæ prodidit. Fide-
lis ſane & honorifica diuinitatis in perſona Chriſti cautela,
ſed non minor humanæ veritatis derogatio: cùm Apoſtolus
pro fundamento ſuæ prædicationis, contra omnem infideli-
tatem profiteatur, Ieſum Chriſtum, vtiq; verum Deum, ſed eun-
dem crucifixum: Deum inquam, ſed ſecundum naturam & pa-
ſſibilitatem humanam. Si enim propter Iudæorum & gentili-
um ſcandalum, deuitare vellemus vnum extremum errorem,
veritatem paſſionis in Chriſto denegando, incideremus in ali-
um æquè pernitioſum Manichæorum & ſimilium, qui veram in
Chriſto carnem, maximè propter huiusmodi paſſiones, dene-
gabant

ſto cadere potuerint. Matth: 26. ℣. 38. Marci 14. ℣ 33.

Prouer: 12 ℣ 21. Prouer: 28. ℣ 1. Apoc: 5. ℣ 5. Iſai: 42. ℣. 4.

Paſſiones in Chriſto qui & cur negauerint,

1. Cor: 1. 23,

Vide Epipha: & Auguſti: contra hæreſes

Hilarius Canone 31. in Matth: & lib: 10. de Trinit.

Euagrius Hiſtoriæ Eccleſi: lib: 4. Cap: 39.

Reſolutio Catholica.

Propassiones Christo aliqui, attribuebant.

gabant. Propterea ista opinio, pio zelo, non autem proffessioni Christianæ fidei, erit attribuenda. Posteriores quidã Doctores Catholici, superiorem sententiam Hilarii & aliorum diluere conantur, passibilitatem quidem Christo non prorsus adimentes, sed eam, vel ad naturæ ipsius humanæ reatum, non ad personam Christi referentes; vel si Christo adscribēda esset, non passionem, quæ actu fieret sed propassionem, quæ in apparatu quodam passionis consisteret, constituentes: quos plerũque sequuntur, qui Scholasticis disquisitionibus mysteria Theologica & fidei nostræ perscrutantur. Iudicium talium disputationum Ecclesiæ Catholicæ relictum esto. Nobis interim sufficiat cum Apostolo, *stultitiam & scandalum subire, credere autem & predicare Christum, eundemq́ Crucifixum: præter quem nihil sese aliud scire, ibidem professus & gloriatus esset. Idem aseuerat, traditum sibi fuisse, Christum mortuum fuisse pro peccatis nostris, sicut & sepultum, & resurexisse secundum scripturas.* Idem ipse Dominus predicebat ante ipsam etiam passionem suam, præsertim quando dicebat Apostolis. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consumabũtur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur; & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.* Si igitur sine controuersia admittimus, Christum verè ascendisse Ierosolymam, verè traditum gentibus: verè mortuum, verè resurexisse: quid intermediis passionibus, eandem fidem & veritatem subtrahimus? Quasi verò filium Dei minùs decuerit tristem & mœstum esse, pauere & tedere, sanguinem sudare, ab Angelo confortari, & alia his similia perferre, quàm seipsum exinanire, hominem fieri, in vtero mulieris demorari, nasci, humanos defectus circumferre, & tandem per diram mortem in anima & corpore resolui, & hominem per tridiuum deponere. Sic enim secundum B. Augustinum, assumpsit Christus tristitiam, quomodo ipsam carnem, sicut (secundum Ambrosium) non speciem incarnationis suscepit, sed veritatē. Quia enim (inquit S. Leo) verum totumq; hominem assumpsit, veros etiam corporis sensus, & animi suscepit affectus. Hæc ille. Mira quidem ista videntur humano captui, & dura: sed tamen intrepidæ fidei sunt vera & secura. Propterea præmittit Isaias. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Deinde subinfert indignissima,

Passionum in Christo veritas & modus.
1. Cor: 1. ℣ 23.
1. Cor: 15: ℣: 3.
Matth: 20. ℣ 18.
August: in Psal: 93
Ambro: in Luc: Cap: 22.
Leo Serm: 7. de passione Dñi.
Isa: 53. ℣ 1.
Cyril: Ieroso: Catech: 13. illumi:
Cap. V.

indignissima, quę dominus in sua passione pro nobis sustinuiset. Vbi inter alia vocat eum *virum dolorum, & nouissimum virorum, despectum, qui propter tantas passiones non fuisset reputatus, nec habens speciem & decorem:* cùm alioqui non solùm quo ad diuinitatē, *Dominus gloriæ*, sed quoad humanitatē, *speciosus forma præ filiis hominum, conspectaretur.* Addit ibidem Propheta: quòd *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros* (hoc est humanos, & à nobis prometitos) *ipse portauit: Cuius liuore sanati sumus.* Quorum similia testimonia adducens S. Leo sic exponit: Quod itaq; verbi caro patiebatur, non verbi erat pæna, sed carnis, cuius iniuriæ atq; suplicia, etiam ad impassibilem redundabant: vt merito illi dicatur illata, quæ in ipsius corpus sunt admissa: dicente Apostolo: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sic & Athanasius: Quod (inquit) humanũ patiebatur corpus, hæc eadem verbum, quod corpori coniunctum erat, ad se referebat: vt nos liceret Deitatis verbi participes fieri. Atq; illud ipsum per quã mirũ fuit, eundē fuisse & patiētē: & nō patiētem: patientē quidē, quatenus ipsius propriũ corpus in quo erat patiebãtur: non patientē verò, quatenus ex natura Deus impatibilis erat, ipseq; incorporeus, in corpore patibili existebat, corpusq; vicissim filium Dei impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates. Hactenus Leo & Athanasius. Quemadmodum enim, nisi ipse verè seipsum exinaniisset, & humiliasset, non fuisset exaltatus, & deificatus homo: nisi verè carnem suscepisset & natus fuisset, homo spiritualiter non fuisset renatus, & adoptionem spiritus cælestem non fuisset consecutus: nisi ipse verè mortuus fuisset, & à morte seipsum suscitasset, homo à morte æterna vindicari, & ad æternitatem reuiuiscere, non potuisset: Sic etiã, nisi istas quæ mortem præcesserant infirmitates, veras & verè sustinuisset, nequaquam subsecuta fuisset Deo Patri plena pro humana præuaricatione satisfactio, & nostrarum infirmitatum ac tentationũ subleuatio. Si enim (inquit B. Leo) pro peccatoribus sola se opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quàm potestas. Nisi etiam (scribit præclarè Tertulianus) talia carni Christi accidissent: non fuisset viuifica. Ad eundem modum B. Agatha nobilissimo genere orta, dicebat ad iniquissimum iudicem sese condemnantem. Nisi diligenter perfeceris corpus me-

Leo. Ser: 15. de passione.
1. Cor: 2. ℣ 8.
Athana: contra Epictetum.
Leo Serm: 5. de passione.
Tertuli. de carne Christi.
Offitium Romanum in eius festo Antiphona. 3. nocturni.

pus meum à carnificibus attrectari, non poteſt anima mea in Paradiſum Domini, cum palma intrare martyrii. Quemadmodum igitur damnamus atq; execramur quorundam modernorum hæreticorum blaſphemias, qui eiuſmodi paſſiones Chriſto in tantũ atribuunt, vt eas, quaſi derelictus & damnatus à Deo Patre, inuitus vſq; ad deſperationem pertulerit: ſic aliud oppoſitum extremum deuitando, aſſerimus redemptorem noſtrum, quatenus quidem, ſecundum Apoſtolum, *eſſet in forma Dei*, fuiſſe prorſus impaſſibilem: ſed quatenus in vna eademq; perſona quoad diuinitatem, *ſeſe exinaniiſſet in formam ſerui, & habitu inuentus vt homo, factus obediens Patri vſq; ad mortem Crucis*, (tũ quòd ratione animæ beatæ non ſolùm fuiſſet comprehenſor, ſed etiam viator, vt ſecundum Pſalmiſtã, *de torrente in via bibens, propterea exaltaret caput: & quòd oportuerit eum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*: hac inquam ratione extitit homo verè paſſibilis, ſic tamen, vt aſſiſtentia diuinitatis, & gloriæ beatificæ in anima, eiuſmodi paſſiones, non niſi quales volebat, & quando volebat, eum afficere potuiſſent: ſecundum quod ipſe proteſtabatur: *Nemo tollit animam meam à me: habeò poteſtatem ponendi eam, & iterum ſumendi eam.* Damaſcenus iſtam doctrinam ſic etiam declarat: Naturales (inquit) noſtræ paſſiones, ſecundum naturam, & ſupra naturam fuerunt in Chriſto. Secundum naturã enim: quia permittebat carni pati quæ propria: ſupra naturam autem, quia non præcedebant in ea voluntatẽ naturalia. Nihil enim coactũ in Chriſto cõſideratur, ſed omnia volũtaria volẽs enim eſuriuit, timuit, & contriſtatus eſt. Hæc ille.

Paſsionum verarũ in Chriſto aſſertio & ratio.
Vide Diſputationum. Bellarmini Tom:1. de Chriſto Lib:4. Cap:8.
Philipen: 2. ℣: 6.
Pſal: 109. ℣: 7.
Luce 24. ℣ 26.
Ioan: 10 ℣. 17.
Damaſ: Lib. 3. de fide. Cap 20.

Cap: VI.

Hoc etiã exigebat vel ipſa natiuitatis eius ratio, quam mortis etiam conditio ſimilis ſubſequi ſolet. Si enim ſecundum Chryſologum, Ioannes Baptiſta, magis Chriſtus, non potuit cõmuni ſorte mori, qui natus eſſet priuilegio ſingulari. Iſti ſenſui etiam conueniet expoſitio Origenis, Hieronymi, & Hilarii: vt Chriſtus dixerit *triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, non propter mortem: Et quia dicitur non ſimpliciter triſtari: ſed cœpiſſe triſtari, quando nimirum ipſe voluiſſet. His quæ diximus apponat ſuam calcem B. Ambroſius, ſic ſcribens. Hærent (inquit) pleriq; hoc loco, & per triſtitiam Saluatoris, ad argumentum inolitæ potiùs à principio, quàm ſuſceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis ſenſum cupiũt retorquere ſententiæ

Chryſologus Sermone 89.
Math: 26. ℣. 38
Origenes. Hieronymus. Hilarius in hunc locum
Ambros: in Lucam Caput. 22

tiæ. Ego autem non ſolùm excuſandum non puto, ſed etiam
nusquam magis pietatem eius maieſtatemq; demiror. Minus
enim contulerat mihi, niſi eum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro
me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret; & ſequeſtrata
delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiã largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit vſq; ad mortis ærumnam, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam. Confidenter ergo triſtitiam nomino, quia crucem prædico. Neq; enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem. Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, vt vinceret triſtitiam, non excluderet. Neq; enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem. Hæc ille. Quid igitur velit Chriſtus dicendo: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, ex ſuperioribus elicitur. Tota enim vita Chriſti, ab ipſa in hora natiuitatis ſuę ploratione, erat crux & afflictio, carnis quidẽ propter varias mortificationes, ſpiritus verò propter hominũ, præſertim Iudeorũ, qui propriè populus eius eſſet, malitiam, ingratitudinẽ, & obſtinationem, quæ fructum ſuorum laborum interciperet & euacuaret. Sed eiuſmodi paſſiones ſubleuabat *plenitudo diuinitatis*, quæ in ipſo opera diuina patrando, *inhabitaret corporaliter.* Poſtquam autem horam ſibi ipſe delegiſſet, ex qua redẽptionem mundi per paſſionem eſſet conſummaturus: extunc exinanitionem ſuam, ad paſſiones extendere cœpit, idq; eò magis quò propius accedebat ad ipſam diſſolutionem per mortem ſuæ ipſius in humanitate perſonæ, in qua inhabitaſſet plenitudo diuinitatis; ſecundùm quam (inquit S. Leo) caro noſtri generis, facta eſt caro deitatis. Cui quidem ſeparationi rectè quadrãt verba illa Chriſti: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* quemadmodum infra ſuo loco dicetur. Per iſtam triſtitiam animæ Chriſti vſq; ad mortem, poteſt etiam intelligi doloris intenſio, quam in tota futura ſerie paſſionis Chriſti, diuinitas, & ipſa animæ beatitudo, quaſi præſentẽ cernebant, & ſenſualibus potentiis imprimebant: quæ eò magis ſolent afficere, quãto perſona eſt nobilior, & delicatior. Sic Saul ab hoſtibus in tantum confoſſus, *vt viuere non poſſet poſt ruinam*, dicebat tamen iuueni: *interfice me, quia tota anima mea in me eſt.* Huic optimè reſpondet, quòd Ioannes Euangeliſta aliquoties repetat iſtam Chri-

Anima Chri: quomodo triſtis vſq; ad mortem.
Bernardus de paſſione cap 5.
Chriſtus quo ſenſu in Cruce à Deo derelictus.
Bernar: in paſſionem Cap: 5.
Leo. Ser: 15: de Paſsione Domini
Pſal: 21: ℣: 1.
2: Regum. 1: ℣: 9

Chriſti præſcientiã, quando enarrationẽ paſſionis ſic inchoat.

Ioan : 13 : ℣ : 1 *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem &c.*

Ioan : 13. ℣ : 4. Et iterum: *Sciens (inquit) Ieſus quæ ventura eſſent ſuper eum &c* **Cap: VII:**

Iactus lapidis qualis menſura a Chriſto propoſita Luce : 22 : ℣: 41.

Porrò iactus lapidis, ſecundum quem dicitur Dominus ab Apoſtolis ad orationem fuiſſe auulſus, non refert certam menſuram: cùm pro quantitate lapidis, & viribus iacientis, poſſit eſſe longè diuerſus. Voluit igitur fortaſſe Euangeliſta aliquid inſinuare myſterij: nimirum fidem Apoſtolorum, quamuis in petra ſolidatam, in illa tamen tentatione fuiſſe defecturam: & ipſius Petri, præ cæteris ſtabilitatem promittentis, atq; ſingulari priuilegio fundamentum Eccleſiæ ſuſtinentis, quando à ſe, ipſa originalis petra quæ Chriſtus eſt, vel modicum receſſiſſet.

Oratio Chriſti in horto qualis, & quid doceat

Sequitur vt ipſam orationem breuiter expendamus. *Abba*, Syriacè idem eſt quod Pater Latinè: vtrumq; tamen ſicut hoc loco Euangeliſtæ, ſic alibi Apoſtolus coniunxit, maioris emphaſis & fidutiæ filialis gratia:

Roman: 8: Ca. 26. Galat : 4: ℣: 6.

ſiquidem iſtam vel ſimilem vocem balbutientes adhuc paruuli, in compellando patre ſoleant emittere. Tres autem conditiones optimæ orationis adhibet, noſq; edocet Dominus. Primò humilitatem, non ſolùm internam mentis, quando quod potuiſſet ipſe largiri tanquam Deus, reuerenter petit vt homo.

Apoc : 5. ℣ : 8.

Deinde eandem humilitatem exhibet in corpore, quando agnus is ipſe, qui à cæleſtibus poteſtatibus adoratur, coram Deo Patre, in genua & faciem ipſam procidit: magna profectò hæreticorũ & delicatorum Catholicorum confuſione, qui in orando, diuinam maieſtatem, res religionis noſtræ ſacratiſſimas, ipſumq; aliquando corpus Domini, tali vel ſimili honore dedignantur. Deinde oratione ſua exhibuit nobis imitandam fidem indubiam: primò Patrem compellans: deinde ſubiiciens hæc verba: *Tibi omnia ſunt poſſibilia.*

Marci. 14. ℣ : 36. Iacobi. 1. ℣ : 6.

Alioqui enim ſine firma fide, impoſſibile eſt apud Deum aliquid impetrare, vt B. Iacobus Apoſtolus copioſe edocet. Tertio, in oratione docet Chriſtus, petitionem ad Dei cenſuram & voluntatem eſſe referendã: quando petit conditionaliter, ad Dei voluntatem, ſuamquoq; referendo.

Leo de Paſsione Domini. Ser : 5.

Nam (vt ſcribit S. Leo) prima petitio infirmitatis eſt, ſecũda virtutis. Illud optauit ex noſtro, hoc elegit in proprio. Nec enim æqualis patri filius omnia eſſe poſſibilia Deo neſciebat, aut ad ſuſcipiendum crucem, ſine ſua in hunc mundum deſcenderat voluntate, vt hanc diuerſarum

Voluntas Chriſti duplex orationis noſtræ magiſtra.

[illegible]

affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed vt ſuſcipientis ſuſceptæq; naturæ eſſet manifeſta diſtinctio: quod erat hominis, diuinam deſiderauit potentiam, quod erat Dei, ad cauſam reſpexit humanam. Superiori igitur voluntati, voluntas ceſſit inferior: & cito demonſtratum eſt, quid poſſit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi. Quia enim ſecundum Apoſtolum, *quid oremus ſicut oportet, neſcimus*, & vtile nobis eſt, ne fiat plerumq; quod volumus, Deus iuſtus & bonus, quando ea quæ nocitura ſunt, petuntur, negando miſeretur.

Rom: 8. ℣ 26.

Idem alibi: Hæc (inquit) vox capitis, ſalus eſt totius corporis: hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes confeſſores accendit, omnes martyres coronauit.

Serm: 7. de paſſione Domini.

Namquis mundi odia quis tentationum turbines, quis poſſet perſequutorum ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus & pro omnibus patiens patri diceret, *fiat voluntas tua?* Diſcant igitur hanc vocẽ omnes Eccleſiæ filii, magno precio redempti, gratis iuſtificati: & cùm aduerſitas violentę alicuius tentationis incubuerit, præſidio potentiſſimæ rationis vtantur, vt ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiam paſſionis. Hactenus Leo.

Deus cum conditione orandus. Socrates apud Valerium Maxi: lib: 7. cap: 2. Auguſt:

Non latebat iſta orationis diſcretio ſapientiſſimum quendam Philoſophum: qui cẽſebat, à Deo nihil in ſpecie peti debere, quã quòd ipſi placeret. Et Auguſtinus breuiſſimã & efficaciſſimã tradidit petẽdi formulã dicẽs: Da Domine quod iubes, & iube quod vis. Quod quia rarò ſeruatur à Chriſtianis, euenit illud quod ſcripſit B. Iacobus: *Petitis, & non accipitis: eò quòd male petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

Iacob 4 ℣ 3.

Hora paſsionis Chriſti quid. Matth: 26 ℣ 55.

Porrò horam vocat Dominus methonimicè ipſam paſſionem, quòd nimirum eam quando vellet ſibi delegiſſet, & ſui poteſtatem conceſſiſſet, ſecundùm quod ipſe dicebat: *Quotidie vobiſcum eram, & non me comprehendiſtis: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Simul etiam, vt inſinuet breuitatẽ paſſionis & mortis, reſpectu indeſinẽtis gloriæ, ſecundũ quod dicebat Apoſtolus: *Non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.*

Rom: 8. ℣ 18. Calix Martyrium. dicitur Eccli: 40. ℣ 1.

Eadem ratione, paſſionem quantumuis diram & mortem, tropicè vocat calicem, propterea quòd mors alioqui natura terribilis, duce Chriſto facta ſit expedita & amabilis credentibus, vt illam reſpectu vitæ interminatę, deguſtaſſe tantummodo videantur: ſicut è conuerſo, infidelibus & peccatoribus, eadẽ quamuis *mors ſit teribilis, eiuſq; memoria ipſa amara:* ſi quidem idem ipſe Dominus ſecun-

Psal: 74. ✝ 9. nus secundùm Psalmistam, *omnibus calicem istum commiscuisset*, sic
tamen, vt iusti dulcedinem eius tantùm degustarent, improbis
Chrysosto: homi: 69. in Matth: autem fęx ipsa ęternę damnationis fuerit reseruata. Hoc insinu-
auit Dominus, secundùm Chrysostomum, quando duos filios Ze-
bedęi ad sequendũ mortis suę exemplum, blanda calicis sui pro-
pinatione inuitabat. Idem intellexit Psalmista, quando postquã
Psal: 115. ✝ 4. dixisset: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Cali-
cem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*: statim subiunxit.
Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Eiusmodi mortis
Martirii Christianorum stimuli. pręsertim innocentis, tolerantiam, aliqui Ethnici, ad confusio-
nem molliũ Christianorum, exemplo suo contestati fuisse memo-
In vitis Philoso: & apud Plutar: & Persium Satyra 4. rãtur. Socrates enim veuenũ cicutę ab ingrata patria innocẽter
sibi indictum, magna cum constantia sumpsit. Photioni quoq;
viro insigni & inculpato, cùm simile venenum à Magistratu
imperatũ esset, illudq; carnifex subtraheret, quòd qui sibi pre-
cium solueret, ex aduersariis, non esset, ipse Photio precium e-
Voluntas Christi duplex, duplicẽ naturam arguit & quomodo diuersa. xoluit: admonendo filium, ne minùs quàm ipse pater in Rem-
publ: suam beneuolus esse desineret. Porrò ipsa petitio qua- Cap: VIII.
lis fuit: & quomodo Christus eligens sponte pati & mori, volũ-
tatem suam sibi subtrahere, & paternę acquiescere dicatur: satis
patet ex superioribus, quę de eiusmodi passionibus in Christo di-
cta sunt. Primò enim dubium non est, Christũ in his verbis pro-
prietatẽ vtriusq; naturę exprimere voluisse: diuinę quidem, quę
voluntatem cum patre communem hoc modo saluandi hominẽ
firmam retineret: humanę autem, quę naturali infirmitate, pas-
Ambros: in Luc: cap: 22. sionem & mortem adeò crudelem formidaret, ut secundũ Am-
brosium, esset quasi homo mortem recusans, & quasi Deus sentẽ-
Hebr: 5 ✝ 7. tiam suam seruans: vt vel hoc nomine *exauditus fuisse pro sua reuerẽ-
tia* censeatur. Si enim strictiùs ad personam non communiùs ad
naturã referamus, & dicamus, Christũ, in vna eadẽq; persona se-
cundum duplicẽ, quam vt Deus & homo gerit voluntatẽ, passionẽ
& mortẽ simul acceptasse & recusasse, maiorẽ in persona illa vtiq;
diuina, ponemus vacillationẽ, quàm illã à Poeta Ethnico notatã.
Ouidius lib: 1. de Ponto Elegia 2. *Sæpe precor mortem: mortem quoq; deprecor idem.*
Dicendũ igitur: Christum vt Deus simul & homo est, æternum cũ
Deo Patre beneplacitum redimendi genus hominũ per passionẽ
& mortẽ atrocissimam, immobile & immutabile semper etiã in
puncto huius orationis conseruasse. Ipse enim protestabatur, se
multò

multò ante *coarctatum fuisse desiderio talis calicis bibendi, & baptismo* Lucæ 12. ✝ 50.
mortis consummandi: propterea q; Petrum quasi sathanam repellebat, quòd Matth: 16. ✝ 23.
humano affectu talem intentionem sibi dissuadere conaretur: & rursus de Ioan: 18. ✝ 11
percussione Malchi, eundem tunc reprehendebat, quòd *calicem
quem sibi dedisset pater, impediebat, ne biberet illum: alioqui enim quomo-* Volũtatis in Christo triplex motus humanus.
do scripturæ implerentur? Sed considerãda est in humaintate Chri-
sti triplex voluntatis humanæ affectio, seu motus: primò rationis
deinde naturę, tertiò sensus. Quemadmodum enim in homine
truncationem membri corupti, primò sensus propter experi-
entiam refugit, deinde natura quoq; renuit, propter integri
tatem sui suppositi conseruandam: tamen ratione suaden-
te, sanitatem totius corporis aliter seruari non posse, vtraq;
illa affectio superiori rationi assentitur. Ad eundem modum,
sensus & natura corporis Christi passibilis, in illo agone, effu-
dit suæ incolumitatis desiderium, sic tamen vt voluntas rati-
onis diuino beneplacito conformata, non quæ sensus, sed quę
salutis sunt, decerneret. Et ista expositio videtur esse confor-
mis doctrinę Apostoli: qui postquam dixisset, *Christum in passione
sua cum lachrymis deprecantem, exauditum fuisse pro sua reuerentia*: sic
subiicit: *Et quidẽ cùm esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedi-* Hebr: 5. ✝ 8.
entiam: & consumatus, factus est omnibus sibi obtemperantibus causa salu- Lucæ 2 ✝ 40. 52.
tis æternæ. Hęc ille. Quemadmodum enim idem Christus, infans Vide Damascen: de Fide lib: 3. cap: 23.
& postmodum *puer, dicitur profecisse ætate & gratia,* non quoad i-
psam personę diuinæ substantiã, sed quoad externã in corpore
& ætate proportionata exhibitionem: sic & passionem in mul-
tis vitæ suæ ærumnis sæpè expertam, & in extrema morte,
longè ante expetitam, ipsius passionis hora, quia re ipsa
exoluit, propterea passibilitatis humanæ proprietate prius
expauit. Typus eius rei præcessit in Isaac, qui patri suo futuræ Isaac typus immolationis Christi.
immolationis socius, non ante quàm ipsa immolatiõis hora ex-
quirebat dicens: *Pater mi, Ecce ignis & ligna: vbi est victima holo-* Gen: 22. ✝ 7.
causti? Postquã autẽ intellexisset diuinã & patris voluntatẽ, vt
ipsemet immolaretur, intrepidè obtemperauit.

Cap: IX. *Et cùm surrexisset ab oratione. & venisset ad di-* Lucæ 22. Matth. 26. Marci 14.
*scipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia, &
ait illis: Quid dormitis? Et dicit Petro: Simon dor-
mis? Sic non potuisti vna hora vigilare mecum? Sur-*

 gite,

gite, vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem prõptus est, caro autem infirma.

Somnolentiæ Apostolorum causæ.

Mirum est, discipulos alioqui mori pro Domino paratos, saltem ab initio monitionis Christi, vigilias & orationem, tantopere sibi commendatam, non sustinuisse. Rationem quidem dat ipse Christus, in anima quidem tristitiam, in oculis verò, & consequenter ipso corpore, grauedinem. Exinde igitur tantæ somnolentię causas coniicere possumus naturales. Inprimis quidem ipsius noctis intempestæ initium, maximè ad somnum disponens, iuxta illud Poeticum:

Virgilius Aeneid: 2.

Suadentq; cadentia sydera somnum:

Deinde cibum præcedentem, & quidem in cœna triplici solitò fortasse, auctiorem: quem tamen Dominus sub mysterio exhibuisset, in typum Eliæ Prophetę, refectionem ab Angelo porrectam iterantis, quòd longa sibi immineret via ad paradisum, quę Christo tunc magis proprie conueniret. Tertiò oppressionem istam somno inducere potuit Apostolis, præcedens pedum lotio à Domino ministrata, qua Physici ægris somnum allicere in arte & more habent. Quartò ipsa itineris ex vrbe ad locum illum fatigatio, ex lassitudine requiē fortasse suadebat. Quoad animam autem, somnolentiam inducebat tristitia, non illa quę ex ratione proficiscitur, qualis potiùs insomnia & vigilias adferre consueuit, sed mæstitudo animalis, quę defatigatis externo casu sensibus, eorum operationem aggrauabat. Potissimam tamen somnolentiæ adeò incontinentis rationē intelligimus, tentationē sathanæ, de qua Christus initio præmonuisset: subdens rationem, quòd *spiritus quidem promptus esset, caro autem infirma:* hoc est, quòd sathanas, potentias animæ cùm inuadere non possit, per facultates animales & sensibiles, suas machinationes ad ipsam animam transmittere soleat: sic & tunc quando maximè vigilare & orare oportebat, grauissimum sensibus soporē immitebat. Propterea Dominus vim eiusmodi tentationis Diabolicæ, tritici cribrationi cõparauit. Crebri enim foraminum multiplicitas, illecebrarũ mũdi multitudinē, agitationis verò impetus, sathanæ suggestiones potētissimas, in ista similitudine designat. Huc accommodari potest illa figura quãdo Isboseth filio Saul Regni hærede in domo sua decumpente, & ancilla ostiaria purgando triticum obdormiscente, Rechab & Baana, manipu-

3. Regum 19. ℣ 7

Matth: 26 ℣ 47.

Somnolentia Spirituails Christianorum præsertim Prelatorum.
Lucæ 22. ℣ 31.
2 Rég: 2 ℣ 6.

manipulis tritici onusti, domũ ingrediuntur, & caput Isboseth amputatum ad Dauidem deferunt. Eandem artem adhibet Diabolus, quando in verbi Dei prædicatione, primò quidem variis distractionibus, deinde somnolentia, attentionem auditoribus præripit. Hîc etiam in expressa reprehensione Petri, quando eo dormiente Iudas vigilat, notatur desidia Prælatorum in Ecclesia Dei: quæ est potissima causa, cur hostes visibiles & inuisibiles gregem Dominicũ inuadant, rapiant, & disperdant. Nouit siquidē (scribit B. Hieronymus) Assyrius, nõ posse se oues decipere, nisi Pastores ante consopierit: Sic & Dominus ipse in sua parabola ostēdit, dormiētibus hominibus, superseminatũ fuisse tritico zizania. Deniq; secundùm B. Hieronymũ, his verbis dedocetur prę̨sumptio in nostra oratione. Quantum enim de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate carnis timeamus.

Hieronymus super Nahum cap: 3
Matt: 13. ℣ 25.
Hierony: super hunc locum.

Cap: IX.

Et iterũ secũdò abiit, et orauit eundē sermonem dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibã illũ, fiat volũtas tua. Et reuersus venit, & iterum inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertiò eundem sermonem dicens.

Matt: 26.
Marci 14.

Trina eiusdē orationis repetitio, insinuare videtur, & orantem qui ex triplici substantia constaret, hoc est, corpore, anima, & diuinitate: & exaudientem, hoc est, ipsam diuinitatis maiestatem, in trinitate personarũ indiuisam: qua etiam Christus in quantum Verbum æternum est, seipsum non excludebat. Sic & Ecclesia orationes quaslibet, ad diuinissimam Trinitatem dirigere solet. Imitandus quoq; ex hoc exemplo est orationis feruor, & perseuerentia, iuxta illud: *Melior est finis orationis, quàm principium.* Quod ipse Dominus per parabolam iniqui iudicis: & amici tres panes ab amico accomodantis, luculentissimè edocet. Domino igitur ter eundem ipsum sermonē orante, & ad id ipsum Apostolos adhortante, malitiosè hæretici Catholicis in simili orationum multiplicatione, tautologias, & multiloquia affingunt. Primò enim in illa ardenti & prolixa oratione, plura verba Christum adhibuisse verisimile est, sed quorum tantum scopum Euangelistæ retulissent. Deinde sicut sapientis est, disce-

Triplicatę orationis Christi mysteriæ & doctrinæ.

Eccle: 7. ℣ 9.
Lucæ 11. ℣ 8.

Orationis multiplicatio maliciose ab hæreticis carpitur.

diſcere & ſcire, multũ non multa: ſic religioſi hominis, eſt multũ orare, non multa: vt nimirùm, non in multiloquio ſibi vel ſeculo, ſed ſoliloquio & interno ſolatio, Deo complaceat: maximè verò in tribulationibus vel neceſſitatibus, hoc præcipuum ſolatium adhibendo, dicente Pſalmiſta: *Ad Dominum cum tribularer clamaui.* Et B. Iacobo: *Triſtetur quis in vobis? oret.*

Pſal: 119 ℣ 1.
Iacob 5. ℣ 13.
Lucc. 22.

Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum: Et factus in agonia, prolixius orabat: & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Cap: X.

Scandali in Chriſto cauſa.
Matth: 11 ℣ 6.
Grego: Homil: 6. in Euang:

Non ſine magna neceſitate premonuerat Dominus: *Beatum illũ fore qui non eſſet ſcandalizatus in ſe,* maximè verò in ſua paſſione. Nam ſecundùm B. Gregoriũ: Infideliũ mẽs graue in eo ſcandalũ pertulit, cùm eum poſt tot miracula morientẽ vidit: & inde cõtra eum homo ſcandalũ ſumpſit, vnde illi amplius debitor fieri debuit. Nã tãtò Deus ab hominibus dignius honorãdus eſt, quãtò pro hominibus indigna ſuſcepit. Quid eſt ergo dicere, beatus qui nõ fuerit ſcandalizatus in me, niſi aperta voce abiectionem mortis ſuæ, humilitatemque ſignare? ac ſi apertè dicat Mira quidem facio, ſed abiecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te ſubſequor, cauendum valde eſt hominibus, ne in me mortem deſpiciant, qui ſigna venerantur. Hactenus Gregorius. Id profectò euenit iis, qui paſſiones in Chriſto imaginarias potiùs, quàm veras & reales conſtituebant, vt ſuperiùs diximus. Qualis diffidentia eò etiam audatiæ & impietatis progreſſa olim erat, vt aliqui, ea quæ de confortatione Chriſti per Angelum, & de ſudore ſanguineo à B. Luca narrantur, ex plerisque Græcis exemplaribus ſubtraxiſſent. Quod atteſtantur B. Hieronymus, Hilarius, & Epiphanius: authoritatem tamen eiſdem hiſtoriæ, ex antiquiſſimis tum exemplaribus, tum Doctoribus adſtruentes. Ideo hanc impietatem B. Athanaſium in ſuis Anathematiſmis ſic execratum fuiſſe legimus: Si quis (inquit) confitetur verum hominem, quem aſſumpſit (Chriſtus) non verè manducaſſe, bibiſſe, aut lachrymatum fuiſſe, & ſanguinem ſudaſſe, & paſſum fuiſſe &c. anathema illi. Cæterùm apparet hinc effectus ardentis & perſeuerantis orationis, eiuſq; viciſſim remiſſionis: quia Apoſtolis ſtertentibus hoſtis ſuperuenit, Chriſto autẽ in ardore orationis vigilãti, Angelus cæleſtes cõſolatio-

Angeli confortatio & ſanguinis ſudatio, a quibuſdam reprobata.
Lucæ 22. ℣ 44.
Hieronymus lib: 2. contra Pelagi:
Hilarius lib: 10. de Trinitate.
Epipha: in Ancor:
Athanaſ in Anathemat.
Diony: Areopagi: de cæleſti Ierar. capit 4.

Hebr: 1 ℣ 3.
Pſal: 8 ℣ 5.
Habr. 2 ℣ 7.
Hebr: 1. ℣. 6. 14.
Hebr: 5. ℣ 7.

lationes cõmunicat: non quòd confortatione indigeat, qui (vt ait Apoſtolus) *omnia portat, verbo virtutis ſuæ:* ſed vt oſtendatur, ſecundùm Pſalmiſtam, & ſecundùm Apoſtolum, *Chriſtus fuiſſe paulò minùs tunc in paſſione ſua ab Angelis minoratus:* ſic tamen vt honorem & *adorationem ſui tanquam filii Dei in orbem introducti* (de quo ibidem dicit Apoſtolus) *non intermitteret.* Probabile eſt enim, Angelum illum, pro ratione miniſterij humanæ ſalutis, quod eodem loco deſcribit Apoſtolus, detuliſſe Domino cæleſte nuntium, ipſum exaudiri pro ſua reuerentia: hoc eſt, ſicut meliùs & honori diuinitatis, & merito humanitatis ad hominem redimendum expediret. Quale officium reuerentiæ & honoris Epiphanius comprobat ex illo loco Deuteronomij Capite 32. Vbi enim lectio vulgata habet hæc verba: *Quando altiſsimus diuidebat gentes, & ſeparabat filios Adam: conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael:* Septuaginta interpretes ſic verterunt: Adorent ipſum omnes filij Dei, & confortent ipſum omnes Angeli. Quaſi nimirùm illa confortatio proceſſerit ex præcepto adorationis filij Dei, quod Angeli, teſte Pſalmiſta, accepiſſent: vt fortitudinem diuinã, humanæ voluntariæ paſſioni coniunctã admirãdo venerarentur. Non abſimile eſt & illud, quando poſt ieiunium, & triplicem tentationẽ ſathanæ in deſerto, acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei. Neq; inconueniens eſt ratiocinatio quorundã, Angelum illum fuiſſe Gabrielem: Primò quidem, quòd confortationis officium ei potiſſimum competebat, qui Gabriel hoc eſt fortitudo Dei, appellaretur: Deinde quòd idem Angelus ſimilem, nec diſſimili modo, de futura humana redemptione ex captiuitate ſathanæ, denuntiationem attuliſſet Danieli. Poſtquam enim in oratione nocturna pro liberatione populi Dei ardentiſſimè perſeueraſſet: *Adhuc me loquente* (ſcribit ipſe) *in oratione: Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, citò volans, tetigit me, & locutus eſt mihi, in tempore ſacrificii veſpertini.* Hæc ille. Conueniens igitur erat, vt cùm Dominus tempore ſacrificij veſpertini, quod tunc inſtitutum veluti continuabat, pro liberatione populi ſui ardentiſſimè deprecaretur: idem ipſe Angelus, qui initio eius conceptionis & aduentus in mundũ, myſteria denuntiaſſet, exitus quoq; illius ex mundo per paſſionem, ſecreta cæleſtia depromeret. Tertiò decebat Angelum qui nomen fortitudinis Dei gereret, filio hominis ad perficien-

Epiph: con: Ariomani: & in Ancoratu.
Deut: 32. ℣ 8.
Pſal: 96. ℣ 8.
Matt: 4 ℣ 11
Gabriel Angelus confortabat Chriſtum, & quomod.
Ioan: Gerſon in Tractatu de paſſi: Domini.
Daniel. 9. ℣ 20.

perficiendum ſalutis humanę arduum opus, confortationem deferre, qui matris etiam ipſius in annuntiatione humanæ redemptionis fidem, de ardua ſupra naturã filij Dei generatione confirmaſſet.

Chriſti prolixa in agone oratio quid docet?

Quòd autem dicitur in agonia prolixius oraſſe, cum infirmitate humana, diuinam ſimul virtutem oſtendit. Homines enim in agonizando, non ſolùm diſcretione orationis, ſed loquela & ſenſibus ipſis deſtituuntur. Docemur ſimul, quò magis diſſolutio noſtra corporalis appropinquat, eò quoq; certiùs futurum retributionis noſtræ ſtatum ad præmia, vel ad pœnas mentibus noſtris obuerſari. Proptereaq; maturiùs ante ipſum agonem, per pœnitentię remedia, ad paratum exitum nos ipſos diſponamus: & in extrema illa hora nihil quàm ſacras voces admittamus: illud maximè cum Pſalmiſta ingemiſcentes: *vt cùm defecerit virtus noſtra, ipſe Dominus non derelinquat nos.*

Pſal: 70 ℣. 9.

Cap: XI.

Sudationis ſanguineę in Chriſto aſſertio & rationes

Arist: lib: 3: hiſto: animal: cap: 29. & lib: 3. de parti: animalium. cap: 5.

Porrò de ſudore ſãguinis, ſimilis quoq; ab aliquibus inferebatur difficultas: proptereaq; ſudorẽ illum ad ſimilitudinem tantùm non naturam ſanguinis, ſua expoſitione deriuabant: quòd contra naturam homini ſit verè ſudare ſanguinem. Quaſi vero non magis fuerit contra naturam, Deũ pati. Certè Philoſophus aſſerit in homine, per infirmitatem poſſe ſanguinem adeò ſeroſum reddi, vt per ſudorem excernatur. Tradunt quoq; Medici, venas etiam ipſas quantumuis ſolidas & illæſas, acrimonia ſanguinis penetrari. Dictat & ipſa experientia, ſemini genitali in animalibus violentiùs emiſſo, ſanguinem tanquam eius materiam proximam ſuccedere: ſicut & lacti violentius expreſſo, atteſtante id ipſum ſcriptura: *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

Prouer: 30 ℣. 33.

Feruntur etiam communi prouerbio elici interdum vehementiſſimè dolentibus cruentæ lachrymæ. Ratio autem prouerbij non conſtaret, ſi rei veritas deeſſet. Apud recentiores autem Phyſicos reperio, virginem quandam voto Deo addictam, præ timore militum diſtrictis enſibus ſibi imminentium, exudato prius ſanguine, expiraſſe.

Ioan: Shenkius obſeruat medici: lib: 3. Titul. de Venis.

Quomodo non magis naturali ratione Chriſto id ipſum conueniſſet, qui operatione Spiritus ſancti, ex puriſſimis virgineis ſanguinibus, tenerrimã & ſanguineã habuerit corporis habitudinem: paſſionis etiam & mortis pro vniuerſo humano reatu, pauorem & dolorem ſupra modum voluntariè adſciuerit.

Sanguinis Chriſti in paſſione trina effuſio, peccato Adam applicata.

Non erubeſcamus igitur, filium Dei cauſa noſtri, ſicut mortem verè oppetiiſſe, ſic etiam ſanguinem ſudaſſe, primo

primò quidem in horto per ſudorem, ſecundò corã Pilato per corporis ſuperficiem, tertiò in cruce per totius corporis confixionem: quandoquidem & primus homo læſiſſet, & quaſi confixiſſet creatorem ſuum, primò interiùs ſerpentis tentatione, eiuſq; conſenſu: deinde coram Deo tanquam iudice, peccati excuſatione potiùs quàm ſalutari deprecatione: tertiò extrema ſententia & ligni vitæ abiudicatione: cuius culpæ trinum quoq; veluti precium, trina ſanguinis emiſſione cæleſtis noſter Adam compenſare voluerit.

Gen: 3. ℣. 8.
Malach: 3. ℣. 8.

Oſtendit etiam Dominus tali paſſionis modo, in ſeipſum ſuſcipere & exoluere maledictiones Adæ inflictas. Adam enim erat ex paradiſo expulſus, Chriſtus extra portam ad paſſionem ductus: Adam in operando terram ſudorem emiſit; Chriſtus in operatione ſalutis noſtræ, cum ſudore & ſanguinẽ: Adam ex labore ſuo ſpinas de terra produxit: Chriſtus inſigne regni ſui ad noſtram redemptionem, coronam ſpineam accepit.

Gen: 3.

Confirmat iſtud Iuſtinus Martyr, aſſerens in monte Oliuarum, vel in illa agonia Chriſti, impletum fuiſſe illud Pſalmiſtæ: *Sicut aqua effuſſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, in medio ventris mei.*

Iuſtinus Dialogo cum Tryphone.
Pſal: 21. ℣. 15.

Si autem modum huius ſudationis aliqui miraculoſum contenderint, nihil moror, modò veritas ipſa profuſionis conſiſtat.

Alia ſudoris ſanguinei in Chriſto myſteria.

Addunt Doctores Sacri myſticam eius ſanguine ſudationis rationem. Orans ſanguineo cum ſudore Dominus (inquit B. Auguſtinns) ſignificabat, de corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, emanaturas martyrum paſſiones. Similiter Bernardus: Non ſolis oculis, ſed quaſi omnibus membris Dominus fleuiſſe videtur, vt totum eius corpus, quod eſt Eccleſia, totius lachrymis corporis purgaretur Hæc ille.

Auguſt: in Sententiis apud Proſper.
Bernar: Serm: 3. in Ramis Palmarum.

Epilogus primæ partis.

Cap: XII.

Alphon: Salmerõ: iu hiſtoriã Enang. lib. 10. tractatu 15.

Hic apponẽda mihi viſa ſunt verba cuiuſdam religioſi & doctiſſimi Theologi, expoſitionem præteritorũ verborũ ſic concludentis. Conſidera ô homo, quàm ſit acerba pæna quæ peccato debetur, vt vel ſola eius apprehenſio à Chriſto ſudorẽ ſanguineum extorſerit. Cogita, etiam quàm duram egerit pœnitentiam pro peccatis cordis noſtri, quæ tamen nos vilipendimus, & nihili facimus.

Plin: lib: 2. cap. 56.

Plinius in libris de naturali hiſtoria, prodigioſam pluuiam ait eſſe, & lactis, & ſanguinis, & portendere, cauenda eſſe ſuperna flagella, vt auruſpices interpretati ſunt. Pluuia hęc ſanguinis Chriſti diuini prorſus & cæleſtis, portendit,

dit, in ſolum Dominum deferbuiſſe iram Dei, & flagella quæ nobis debebantur, in eum deſcendiſſe. Sudor hominis, criſis eſſe ſolet medicis, de viribus naturæ in morbũ, & humorem peccantem luctantis: ſudor Ieſu indicium eſt morbi noſtri deſcendentis, & leonis inimici victi, & expulſi ab innocentiſſimo agno,
Ioan: 12. ✝ 31. iuxta illud: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, extra hominem ſcilicet. Sudat ſpontè, voluntariè ſanguinem fundens: quo intelligamus, illum, qui fundendus eſt per verbera, coronã ſpineam, clauos, & lanceam, totum voluntarium eſſe, & nihil in eo inuitũ. Sudat ſanguinem, vt orationem efficacem ſupranaturam fieri omninò declaret, nec efficacem reddi, niſi per ſanguinem Ieſu, in quo omnes ſancti exauditi ſunt, & exaudientur. Exiuit de toto corpore, in ſignum, quòd de toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, illum fundebat. Globi ſanguinis ſtillarunt in terram; quia pro ſalute hominis habitantis in terra, non pro Angelo habitante in cælo fuſus eſt à Chriſto. Quanquam autem omnis Chriſti ſanguis ſit pretioſus, & immenſi valoris; iſte tamen, qui non inciſa eius carne per flagella, nec transfixo capite per ſpinas, nec perforatis manibus, & pedibus per clauos, nec latere per lanceã aperto effluxit, in magno honore eſt à nobis habendus: quemadmodum myrrha prima, ſiue myrrha electiſſima illa eſt, quæ vltro decidit, balſamũ ſponte cadẽs ſuaueolentius eſt, & carius.

Sanguinis Chriſti tripliciter fuſi myſterium.

Tria igitur miracula Chriſtus operatus eſt in dando ſanguine ſuo. Primum in cœna, ingenti ſigno, ponendo ſanguinem in calice ad bibendũ: Secundum in horto, ſanguinem per ſudorem emittendo, & rigando veſtes, & terram: Tertium in cruce poſt mortem vulneratus, dando ſanguinem, & aquam. Primum dedit ſine vllo dolore, ſed non ſine prægustato mentis dolore: Secundum cum maximo dolore, tùm mentis, tùm corporis: Tertium rurſus ſine dolore corporis præbuit, præcedente tamen magno dolore mortis. Primo, liberaliter largitus eſt totum ſanguinem: ſecundo, non totum, ſed magnam eius partem: tertiò, totum effudit, qui in eo erat. Vt videas quàm verum ſit, quòd *inſtar vxoris Moyſis habeamus ſponſum ſanguinũ*. Sanguis & aqua, quæ è latere fluxerunt, ſignificârunt purificationẽ, & redemptionem, at non fecerunt, vt teſtatur Epiſcopus Abulenſis in Geneſim: at iſte ſanguis, qui in horto eſt effuſus, & ſignificauit, & promeruit. Perge igitur anima electa, quæ Chriſtũ

Chriſtus verè ſpõſus ſanguinum. Exod: 4. ✝ 25.

Quin potiùs ſanguis ille conſumauit redemptionẽ contra opinionẽ Neophyti illius Doctoris.

colis,

colis, & vade in hortũ, & collige, ac lambe haſce ſanguinis guttas, reponeq́; eas in vaſculo memoriæ ſuæ: quia ſi fide illas fueris meditata, primò compellent te ad ſudorem, & reddere pro illis ſaltem ſtillas lachrymarum: curaberis à febre peccati hoc pretioſo ſudore pro te facto, cogeriſq́; dare illi panem cordis tui ad veſcendum, pro quo habendo tanto ſudore laborauit Dominus in agonia poſitus. Videbis quam *leue onus, & ſuaue iugum charitatis* tibi Chriſtus impoſuerit, & tu illi importabile peccati onus, de quo per Eſaiam ait: *Laboraui ſuſtinens. Nam peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Ibi lueuda.* Caueq́; ne Dominus de te queri poſſit, ac dicere: *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neq́; per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* Sicut igitur, Domine, *fortis fuit vt mors dilectio tua*, & in te, ô Chriſte, formidinem carnis tuæ modò deuicit, poterit & in me vincere formidinem carnis, & conſcientiæ meæ peccatricis timorem. Fac Domine, vt virtute huius ſudoris tui, ſanguis peccati qui velut ſuperfluus humor abundat in venis animæ meæ, à me expellatur, & ne vnquàm tepidus inueniar in redamando te amatorem meum, redemptorem meum, ac Deum meum.

Exhortatio ad cõpaſſionem Chriſti. Matt: 11. ✝ 30. Iſaiæ 1. ✝ 14. 1 Petr: 2 ✝ 24. Ezech: 24 ✝ 6. 12. Cant: 8. ✝ 6.

SECVNDA PARS.

Cap: XIII. *ET tunc venit tertiò ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam ac requieſcite, ſufficit, ecce appropinquauit hora, & ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis.*

Matt: 26. Mar 14. Ioan: 18.

Verba iſta: Dormite iam, requieſcite, &c. B. Chryſoſtomus ironicè accipit. B. Auguſtinus autem ſeriò, & quaſi permiſſiuè. Vtrumq́; intentioni Chriſti congruit: quaſi diceret: Non eſt quòd vos amplius ad vigilias tantopere ſollicitem: quia ex grauiſſimo ſopore, imminens cohors vos excitabit, & ſomnolentiam iſtam in fugam & diſperſionem commutabit. Similis locu-

tio eſt

Ioan: 2 ℣ 19.

tio est, quando dicebat Dominus: *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Nam vtrobiq; phrasi Hebræa, non imperatiuè, sed secundùm futuram experientiam, sermo est accipiendus. Istius autem desidiæ effectum illis denuntiat, sese mox tradendũ esse manibus proditoris & inimicorum: quod propterea emphaticè enuntiat, filium hominis, qui idem filius Dei est, tradi manibus peccatorum, hoc est, gentium infidelium, in aduentante cohorte Pilati. Gentiles siquidẽ antonomaticè dicti sunt peccatores: quòd *sine fide impossibile sit placere Deo: & quicquid ex fide non est, peccatum est.* Quod idem Apostolus sic distinxit: *Nos* (inquit) *natura Iudæi, & non ex gentibus pecatores.* Erat ergo summa ignominia, filium Dei Messiam, à populo suo, primò quidem pro Rege proclamatum, mox reprobatum, ab eodem populo suo tradi, & ab gentibus ignominiòse occidi: quod ipse Pilatus fatebatur dicẽs. *Nũquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices, tradiderunt te mihi.* Vt tamen Dominus ostenderet voluntat orationis suæ, in *qua pro sua reuerentia exauditus esset*, fuisse, vltro sese ad mortem offerre, non dicit Apostolis: fugite: vel fugiamus: sed opposito modo dicit: *Surgite, eamus:* id est in occursum cohorti ad comprehendendum me appropinquanti. Quam ob causam etiam Dominus in eo loco sese inueniendum exposuit, qui esset nocturnæ orationi suæ familiaris, & ipsi Iudæ perspectus, vt notant Euangelistæ. Quod figuratum erat in Elia propheta: quando à cohorte Ochosiæ Regis ad necem conquisitus, verticẽ montis vnde ab omnibus cerneretur, conscendit, liberã tamen descendendi & tradendi sese voluntatem postulatus.

Peccatores quare dicuntur infideles.
Heb: 11. ℣ 6.
Rom: 14. ℣ 22
Galat, 2 ℣ 15.
Ioan: 18. ℣ 35.
4 Reg: 1. ℣ 9.

Ioan: 18.
Matt: 26.
Marci 14.
Luc: 22.

Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis. Et adhuc eo loquente: ecce Iudas Iscariotes vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à Principibus sacerdotum, & Scribis, & senioribus populi.

Cùm Matthæus referat, Iudam post Christi condemnationẽ ad mortem, à Concilio Cayphæ, precium venditi Christi in templo restituisse: coniicimus, pactum & ipsius pecuniæ traditionem, in templo eodem per Principes sacerdotum fuisse peractam.

actam. Vnde tunc in templo illo verum sensum accepit vox illa impia *Athaliæ, quæ scissis vestibus exclamasse legitur: Coniuratio: coniuratio:* quando nimirũm proditor Apostolus, sacerdotibus in cathedra Moysis constitutis, Messiam venditione tradebat. Ex parte autẽ totius populi, qui Principibus contra Christum applauderet, & tanto tumultu ad Christi comprehensionẽ rueret, conuenit illud propriè ad Ierosolymam dictum. *Omnia quęcunq; loquitur populus iste, coniuratio est.* Et iterum: *Inuenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitaroribus Ierusalem.* Cùm autem Iudæis non licuerit interficere quenquam, & consequenter nec ad necem conquirere, & cõprehendere: propterea, sine dubio, prætextu læsi Cæsaris, quòd Christus Regem sese faceret, & censum Cæsari inhiberet, à Pilato Cæsaris Præside obtinent cohortem: alioqui enim, si absq; sua authoritate captus fuisset, non illum iudicandum suscepisset. Addunt tamen Pontifices & Principes sacerdotum (vt testantur Euangelistæ) proprios ministros: primò quòd fortasse cohorti gentilicæ non satis fiderent, tùm (si fortè Iudas proditionem condictam nõ seruasset) vt essent qui Christum cognitum militibus indicarent: tertiò, vt in quęstione de lege, sicut ad iudicium, sic ad ipsam comprehensionem, sacerdotum authoritas accederet. O indignum & infelix spectaculum. Prodit, & ad necem conquerit, Dominum, seruus: discipulus, magistrum: electus, auctorem: Iudicem, latrones: legislatorem perfidi: Messiam, Israelitę: Deum, peccatores. Minister salutis, fit filius perditionis: ianitor cælorum, euadit dux prædonum. *Intelligite hoc Principes: erudimini qui iudicatis terram: qui continetis multitudines, & placetis vobis in populis nationum:* Quorsum vobis in pace, & sub toga constitutis, tanta multitudo circumdantium vos seruorum vel parasitorum: vt etiam vestro exemplo eiusmodi luxus ad priuatorũ licentiam, & Prælatorũ etiam Ecclesiæ æmulationẽ deriuetur? Ecce sicut cohors Pilati, sine Principum legis & ipsorum sacerdotũ satellitio, Christum non comprehendit: sic quorsùm vestræ cohortes, nisi vt Christi membra, hoc est, pauperes subditos, propter vim & luxũ vestrum, ad extremas miseriæ angustias redigant, iuxta illud Iacobi Apostoli: *Adduxistis & occidistis iustum, & non restitit vobis?*

Coniuratio contra Christum olim presignara.
4 Reg: 11. ℣ 12.
Isaiæ 8. ℣ 14
Ierem: 11 ℣ 9.
Comprehensio christi a duplici magistratu facta.
Ambrosius in Lucam cap: 22.
Magistratus iniqui taxantur.
Psal: 2 ℣ 10.
Sap: 6. ℣ 3
Iacob 5. ℣ 6

Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est tenete eum, & du-

cite

Matt: 26. Marci 14. Lucæ 22.

cite cautè. Et qui vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Ieſu, vt oſcularetur eum. Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad Ieſum dixit: Aue rabbi, & oſculatus eſt eum. Ieſus autem dixit illi: Amice, ad quid veniſti? Iuda, oſculo filium hominis tradis?

Cap: XIV.

Origenes hoc loco in Mattheum. 2 Reg: 20 ℣ 9. 3 Reg: 2 ℣ 5. Oſculi Iudæ typi. et myſterium.

Receptum eſt in arte militari, ſingulis diebus, à Ducibus aliqua ſymbola militibus proponi, quibus ſeſe inuicem recognoſcere, & ab hoſtibus dignoſcere poſſint. Quod magis obſeruandũ fuiſſet in Chriſto, qui diuerſas formas ſeu vultus ſpectatoribus opponeret vt Origenes tradit. Similiter fecit dux nequitię Iudas, qui ſymbolũ eius qui eſſet magiſter cõprehendẽdus, oſculũ inſtituit: præfiguratus in *Ioab, qui ſub prætextu ſalutationis per oſculum, occulto gladio interſecit Amaſam, & (vt dicebat Dauid) effudit ſanguinem belli in pace.* Cæterùm duplex nobis hîc exoritur quæſtio, quàm cum nuſquàm legerim propoſitam vel ſolutam, peritioribus excutiendam relinquo: interim, quid (ſalua fide Eccleſiæ) ſentiam, non diſſimulans. Primò igitur. Quid quæſo iuris competebat Iudæ in Chriſtum, vt illũ, & quidem magiſtratui Iudæorũ, cum aperta licitatione venderet atq; traderet? Præceſſit quidem figura in Ioſeph Patriarcha, quem fratres parum abſimili precio vendidiſſent Iſmaelitis: in qua parte ſatis venditioni Chriſti illud factum correſpondet: primò quòd Ioſephum, patri ſuo velut mortuum, fratres fallaci ſucceſſione tanquam minorennẽ, in ſuum ius vendicabant: Deinde quia mancipiorum plagiariam licentiam, gentilica tyrannis, ſed nequaquã lex diuina admitteret: quod iactabant Iudæi Chriſto obiicientes: *Semen Abrahæ ſumus, nemini ſeruiuimus vnquam.* Quantò igitur minus iuris habere debuit ſeruus in Dominum, diſcipulus in magiſtrum, filius perditionus in Dei filium? Dicendum igitur eſſe videtur, Iudam triplici iure vel potius iniuria, poteſtatem vendendi & tradendi Chriſti vſurpaſſe: idq; ex voluntaria eius exinanitione, ex forma Dei in formam ſerui, in qua ſeſe ſubmitteret morti crucis. Primò enim Diabolus princeps mundi, non ferens in ſeruili habitu filiationem & æqualitatem Dei, à qua rapienda ipſe excidiſſet: naturam in

Ioſeph Patriarcha typus Chriſti. Gen: 37 ℣ 28.

Ioan. 8 ℣ 44. Iudas quo iure vel potiùs iniuria vẽdidit Chriſtum.

Iudas etiam ante Iudæos proximũ membrum Diaboli.

Chriſto

Chriſto diuinam, primò quidem tentatione triplici in deſerto, demum poſt alias perſecutiones, ipſa etiam morte explorabat. Hoc autem agebat per ſua precipua membra, hoc eſt, Iudæos reprobos, quibus Dominus dicebat: *Vos ex patre diabolo eſtis, & opera patris veſtri vultis facere: ipſe homicida erat ab initio.* Quod clariùs aſſerit dicens ſuis comprehenſoribus: *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum,* hoc eſt, operationis Dęmonũ, vt explicatur ad Epheſios cap: 6. Sed præcipuè ſathanas idipſũ exequebatur in perſona Iudæ, in qua ſupra omnes peccatores diabolicæ malignitatis plenitudo inhabitabat corporaliter. Primò nãq; in ipſa ad Apoſtolatũ vocatione, ſicut *Simon nominatur Petrus* ad futurum Eccleſiæ fundamentum, ſic *Iudas denominatur Iſcariotes,* quod interpretatur vir occiſionis: propterea ibidẽ addit S. Lucas: *Qui fuit & proditor.* Et paulò poſt Dominus, cum aliquorum ex diſcipulis incredulitatem circa veritatem Euchariſtiæ notaret, de Iuda id maximè intelligendũ oſtendit, ſubiiciens: *Nonne ego duodecim elegi vos: & vnus ex vobis Diabolus eſt?* Super hæc autem, & corporalem quaſi obſeſſionem & inhabitationem Diaboli, in eodem Iuda notauit Dominus: quando in *cœna eum eſſe ſui proditorem apertè declarans, dedit illi bucellam intinctam, poſt quam dicitur diabolus in illum intraſſe,* maiori quaſi poteſtate ad opus traditionis exequendum. Quando igitur Iudas principatum terræ, quem cum Apoſtolatu ſuſcepiſſet, cõmutaſſet in principatum mundi cum Diabolo iam communẽdici poteſt, iuris aliquid vel potius tyranidis ad Chriſtum vendendum ſeu tradendum aquiſiuiſſe. Altera ratio eſt, quòd propter tantã præuaricationẽ & cum Diabolo coniunctionẽ, Iudas magis ſuo modo quàm Adã factus erat caput peccatorum: (ſicut mox declarabitur) vt propterea ius extenderet in illum, qui propter hominem redimendum factus eſt peccatum, vt peccata totius mundi in ſeipſo ſuſciperet atq; exolueret. Tertia ratio ex textu Euangelij manifeſta eſt: quòd Dominus ſicut vltro ſeſe paſſioni & morti offerebat: ſic etiam ſui vendendi & tradendi poteſtatem Iudæ tribuit: quando poſt manifeſtam traditionis denuntiationem illi dicebat: *Quod facis, fac citius.* Nam & Apoſtoli hunc fuiſſe eorum verborũ ſenſum oſtendunt, quando ante traditionis complementum, putabant ea de apparatione rerum pro paſcha neceſſariarum, accipi debere, ſicut Ioannes Euan-

Ioan: 8 ℣ 44. Lucæ 22 ℣ 33. Epheſ: 6 ℣ 12. Matt: 10 ℣ 3. & 5. Lucæ 5 ℣ 16. Ioan: 6 ℣ 70. Ioan. 13 ℣ 36. Pſal: 44 ℣ 17. Iudas caput peccatorum. Ioan: 13, ℣ 27.

nes Euan-

Osculum Iudæ signum simul & mysterium.

nes Euangelista commemorat. Huic expositioni rectè etiam conueniet traditionis ipsius signum per osculum. Quod cùm sit maximè verò Iudæis fuerit communissimum salutationis pacificę symbolum, non fuisset ad Christum, ab aliis, præsertim Ia-

Ignatius Epist: 2. ad Ioan: Euange:

cobo minori, quem Domino persimilem fuisse Ignatius tradit sufficiens militibus, qui symbola militaria seu tesseras, quibus hostes dignoscerent, soleant habere insolita & occulta. Fuerit igitur (vt passim exponitur) osculum illud signum, non tamen

Osculum quid & quantam vnionē signat.

simul defuerit mysterium. Osculum enim per diminutionem dicitur paruū os: sumiturq́; pro basio seu suauio, quòd cōtracto vtrinq́; ore, amantes vel salutantes illud inuicē ingerere soleāt, vnum veluti spiritum & vitam mutuò sibi communicare gestientes. Inde quidam ebrioso sese osculanti dixisse fertur: Hoc

Hieronymus. Epistola ad Nepotianum.

non est osculum dare, sed vinum propinare.

Iudas externo signo ingesfit Christo reatum humanum.

Sicut igitur Spiritus sanctus arctissimam in Christo incarnationis vnionem osculo comparauit: ad eundem modum, liceat Cap: XV. nobis, Christiani auditores, si non fidei assertione, saltem contemplationis deuotione dicere: Iudam omnium hominum sce-

Cantic: 1. ℣. 1.

leratissimum, & damnatæ humanę naturæ veluti personā gerentem, filio Dei spontaneā eius exinanitionē applicasse, sicut pręcedenti venditione seruitutis ad subiectionem, sic subsequenti osculo, ad peccatorum mūdi reatus susceptionem, exindeq; quasi omnium peccatorū rei, comprehensionem, passionem, ipsamq́; mortem. Hoc videtur respexisse Ieremias in suis lamentationi-

Thren: 4. ℣. 20.

bus, sic dicens: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Cui diximus: In vmbra sua viuemus in gentibus.* Hæc ibi. Quod mysterium & ipsa verba Christi insinuare videntur:

Matth. 26. ℣. 50.

quandò primò Iudam sic alloquitur. *Amice, ad quid venisti?* alludens quasi ad illā humanam ingratitudinem, & ipsius Iudæ Apostoli perfidiam, de qua per Prophetam sic Dominus conque-

Zachar: 13. ℣. 6.

ritur. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Has enim plagas intelligi etiā posse, de ipsa comprehensione, & alligatione, quę in manibus præcedere solet, indicant verba sequentia in hunc modum: *Phra-*

Matth: 26. ℣. 31

mæa suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi. Percute pastorem, & dispergentur oues. Quod certè Christus in se ipso prædixit, & postea expertus est, quando gladiis & armis inuasus tanquam pastor, discipulos à se dispersos conspexit. Postea se-

cunda

cūda allocutione Christus, osculo (vt diximus) traditionē ipsam applicat dicens: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Isto etiam sensu potest conciliari textus historiæ Euangelicę, qui aliquo modo variare videtur. Priores enim tres Euangelistę narrant, Dominum per signum osculi à Iuda præmissum, & postea pręstitum, captum fuisse: Ioannes autem nulla osculi mentione facta, scribit Dominum ex quo ab oratione surrexisset, cum discipulis obuiam comprehensoribus processisse, illisq́; prima locutione prostratis, secunda allocutione potestatē sui capiendi fecisse. Conciliatio enim commoda esse videtur, Ioannem qui posterius cęteris scripsit Euangelium, more suo noluisse repetere signum osculi: sed supplere præcedentia, quæ alij Euangelistæ omisissent: ita vt occursus Domini, & prostratio illa cohortis præcederet, osculatio autem post secundā interrogationē immediatè ante ipsam comprehensionem subsequeretur. Cuius sententiæ istæ dari possunt rationes. Prima: Quòd indignum fuisset, signum proditoris, necessitatē sui tradendi Christo imposuisse, sed si aliâs vnquam, certè in sui comprehensione debebat Dominus suam potentiam & voluntariam oblationem contestari: quod quidem fecit per prostrationem cohortis, antequam signum à Iuda propositum succederet. Secundò, de Christo propriè dictū est. *Immuta signa, innoua mirabilia.* Et Salomō inquit: *Sortes mittuntur in sinū, sed à Domino temperantur.* Diuinæ igitur in Christo potētiæ conueniebat, signum & veluti sortem à Iuda sociis suis assignatam, immutari, & ad ostensionem suæ diuinitatis temperari. Cuius rei præcessit figura, quando post immutatum in eadem ciuitate Ierusalem, consilium Achitophel, Dauid à periculo liberatus est. Tertiò, signi per Iudam dati conditio erat, vt *quem ipse oscularetur, mox satellites caperent, & ducerent cautè:* ne videlicet à turbis, post factum aliquod nouū signum, eriperetur. Qui ordo si fuit conseruatus, omninò occursum illum Christi & militum prostrationem præcessisse constabit. Quarta ratio, quòd Eutymius, & quidam alij posteriores scriptores, eiusdem quam hîc ponimus fuerunt sentētiæ. Quintò, quòd aliqui obiiciunt: Si Dominus per voluntarium occursum, prius dedit sui comprehendendi facultatem: ad quid subsecutum fuit indictum traditionis signum? Eodem modo nos quæstionem inuertere possumus: Si osculum proprium traditionis signum antecessit,

Osculum Iudæ quando factum. Lucæ 22. ℣. 48.

Eccli: 36. ℣. 6. Prou: 16. ℣. 33.

2 Reg: 17. ℣ 1.

Eutymius super hunc locum.

quid oportuit Dominum Iudæ & turbis occurrere; & semel atq; iterum interrogare, quem quærerent, qui iam eis per osculum Iudæ innotuisset? Reliquum ergo est, vt comprehensionis Christi signum diuinum vltroneæ oblationis, præcesserit in illo Christi occursu, in quo diuina potestas enituit: Iudæ autem signum subsecutum fuerit: tum propter compactatum traditionis ministerium: tum propter insinuandum, quod supra indagare conati sumus mysterium. Cui applicari potest, quod dixit B. Cyprianus: Iudas per molle osculi blandimentũ, execrabile iaculum proditionis infixit. Similiter B. Hieronymus: Dat Iudas signũ osculi, cum veneno doli: vt nimirùm cum dolo Iudæ, dolus venenosus in Paradiso olim commissus, ad eius expiationem, Domino adhæreret. Quod quidem mysteriũ posset habere locum, etiamsi dicamus cum pluribus expositoribus, osculũ Iudæ præcessisse, sed nihil effecisse, donec Dominus vltro suiipsius potestatẽ contulisset. Sed verba ipsa Christi magis expendamus.

Hieronymus super Marcum.

Cyprianus in Symbolum.

Ioan: 18. Matt: 26. Marci 14.

Iesus itaq; sciens omnia quæ ventura erant super se, processit & dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum: Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autẽ dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. At illi tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Cap: XVII.

Christi voluntaria traditio sui in horto.

Ioannes Euangelista, quòd sibi propositũ maximè esset Christi diuinitatem enarrare, sicut antehac sæpiùs, sic ante ipsam Domini comprehensionem, voluit ipsius præscientiam & spontaneam oblationem ad futurã mox passionem contestari. Quod Dominus ipso facto comprobauit, prodiens Iudæ & militibus obuiam; & cùm sese suo ipsius permissu non agnoscerent, in-

terrogans

terrogans quem quærerent? Nam secundùm Chrysologum, non infirmitatis sed potestatis insigne est, seipsum ad mortem offerre. Neq; (ait Theophilactus) ignorantis hæc vox est, sed seipsum ad mortem offerentis, eosq; super eorum iniquitatem corripientis. Iusto autem Dei iudicio, fuerunt illi carnifices cæcitate Sodomitica percussi, cum laternis & facibus Christum non dignoscentes, sed quasi ad parietem palpantes, quòd Christum in iustitia & innocentia à Loth præsignatum, ad necem conquirerent. Propterea quasi ironica est Domini interrogatio: quòd illum vltrò obuium habentes, laboriosè tamen requirerent. Iesum autem vocant nomine proprio in circuncisione indito: Nazarænũ autẽ cognomine, quòd in Nazaret humanitus fuisset conceptus atq; educatus. Qua propter cõgruè prima responsio Domini. *Ego sum*, referri potest ad nomen Iesus quod sonat Saluatorem: & sic in Christo magis diuinę conuenit naturæ, iuxta illud Prophetæ: *Ipse Deus veniet, & saluabit nos.* Et iterum. *Verè tu es Deus absconditus, Saluator:* tùm quod nomẽ istud habeat quandam ad nomen Iehouah conformitatem: vt superiori volumine hoc nomen pertractantes ostendimus. Et sic etiam ista vox filij Dei, *Ego sum*, potuit correspondere essentiali illi diuinæ denominationi: *Ego sum, qui sum:* quæ etiam in filium Dei quamuis vltro sese offerentem, machinantes meritò prostrauerit. Si quidem & ratione humanitatis meritò passionis consũmatę, ad *istud nomen, cælestes, terrestres, & infernæ potestates, genua curuant:* vt ne quid etiam minùs honoris in proditore & carnificibus illi deesset. Si etiam (scribit B. Hieronymus) fulgor faciei Angelicæ custodes terruit, quid non vultus Domini aduersarios terruisset? Hæc ille. Et Saulus simili voce cælitùs fuit perculsus, quando audiens: *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris*, statim prostratus obediuit dicens: *Domine quid me vis facere?* Tale est & illud apud B. Iob: *Cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitrum magnitudinis eius intueri?* Rectè igitur ex hoc loco consideranda venit potentia & districtio Christi mundum iudicaturi. Si enim mox natus & in præsepi vagiens, & postmodum tot passionibus sese subiiciens, tantum terrorem impiis incussit: quid faciet, quando cum diuina potestate in nubibus veniet districtus totius creaturæ Iudex? Quorum vtrumq; Augustinus elegantissimè sic expressit. Quid

Chrysologus sermone 25.

Theophilactus in hunc locum.

Gene: 19 ✝ 11.

Lucæ 2 ✝ 21. Matt: 2 ✝ 23

Isaiæ 34 ✝ 5. Isa: 45 ✝ 15

Christologiæ primę partis sermo: 15. cap: 5.

Exod: 3 ✝ 14.

Christi diuina potentia in prostratione cohortis

Philip: 2 ✝ 9.

Hieronymus ad Principiã virginẽ.

Actor: 9 ✝ 4

Iob 26 ✝ 14

(inquit)

August: ſermone 2. de Epiphania & tractatu 112 in Ioannem
Leo Sermone 15 de paſsione Dñi.

(inquit) erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos Reges cuna terruit infantis? Et rurſus: Vbi nunc militum cohors, & miniſtri Principum & Phariſæorum? Vbi timor, & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis, ego ſum, tantam turbam odiis ferocem, teliſque terribilem, ſine vllo telo percuſſit, repulit, ſtrauit. Deus enim latebat in carne, & ſempiternos dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego ſum dicit, & impios deiicit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Hæc ille. Veriſimile autem eſt, cohortem illam conſternatã & proſtratam, quaſi exanimẽ iacuiſſe, donec illos ſecunda Chriſti vox recollegiſſet. quæ dicendo vt prius, Ego ſum, denotat Chriſti filij Dei, vnã quidem & indiuiſam perſonam; ſed quando addit: *Si ergo me quæritis, ſinite iſtos abire:* inſinuat naturam humanam paſſibilem: quę cùm vltrò ſeſe ad paſſionem offerret, eiq; ſubiiceret, propterea eius denominatio lictores ad opus conſumandum recolligit: quemadmodum & Iudam ipſum illa permiſſio: *Quod facis, fac citius.* Alioqui enim Dominus, potuiſſet ſeſe prorſus ab oculis eorum ſubtrahere, quod antehac faciebat: vel alio quocunq; modo etiam humano eos effugere: vt de S. Athanaſio legimus: qui imminentes ſibi Arianos, obuerſa contrario flumine nauicula, percontantibus illis de fugiente Athanaſio, reſpondit, ſe illum paulò ante fugientem pertranſiuiſſe. Conuenit huc quoq; figura Samſonis. Sicut enim ille ſolus, mandibula aſini, agmina hoſtium proſtrauit, & demùm nullis funibus adalligari potuit, niſi cæſarie eius capillorum abraſa. Simili modo Dominus noſter verus gigas fortis, vnico motu maxillæ humanitatis ſuæ, quæ ad inſtar aſini ſeu iumenti, iniquitates mundi deportaſſet, hoc eſt, vnico verbo (*ego ſum*) cateruam hoſtilem proſtrauit, & ſæpiùs attentatus ligari & comprehendi non potuit, niſi Nazarænum ſeipſe conteſtatus, exinanitionem ſuam, veluti quoddam diuinitatis defluuium, in forma ſerui & rei, fuiſſet profeſſus.

Ioan: 13 ✝ 27.
Breuiarium Romanum in eius vita 2 Maij
Samſon typus Chriſti-
Iudicum 15 ✝ 15
Pſal: 18. ✝ 6

Iam verò oblationis ſuæ in manus peccatorũ ſpontaneæ addit Dominus pactum & conditionem, dicens: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Credibile enim eſt, Iudam & cohortem, cogitaſſe etiam Apoſtolos comprehendere, cùm paulò poſt Annas Pontifex initio inquiſiuiſſet à Domino, de doctrina & diſcipulis eius.

Cap. XVII

Chriſti comprehenſio, diſcipulorum & peccatorum libertas.

eius. Sed *bonus paſtor re ipſa oſtendit, quòd ponit animam pro ouibus ſuis: & tanquam aquila & gallina, extendit alas ſuper nidum ſuum, vt pullos ab interitione, vindicet & protegat:* Vel ipſius ſcelerati Cayphę vaticinio, *oportere vnum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat.* Periiſſet autem, ſi deletis Apoſtolis, non fuiſſet prędicatum Euangelium, & pœnitentia tàm Iudæis, quàm gentibus, quòd Dominum gloriæ crucifixiſſent, vel infidelitate interiiſſent. In hunc ſenſum accipi poteſt, quòd Apoſtoli dicuntur non ſolùm fugiſſe relicto Domino, ſed etiam fuiſſe diſperſi, vt futura diſperſio in orbem terrarum, ad conuerſionem infidelium adumbraretur. Porrò *ſermo Chriſti verè etiam tunc apparuit viuus & efficax, & penetrabilior gladio ancipiti:* ſecundùm quem accepit poteſtatem homo, & quidem peccator, *vt configeret Deum:* & è conuerſò innocente Domino comprehenſo, Petrus nocens, & gladio percutiens ſeruum Pontificis, dimittitur. Hîc expende anima Chriſtiana, quanta rabie atq; impetu, turba illa malignãtium irruerit in Dominum. Quòd tacuerunt quidem Euangeliſtæ, ſed multò ante fuit prænuntiatum per Dauidem dicentem: *Quare fremuerunt gentes, &c. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes populorũ cõuenerũt in vnũ aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Teſtatur enim S. Lucas, Principes ſacerdotũ, & ſeniores templi, non ſolùm famulos ad capiendum Chriſtũ miſiſſe, ſed ipſos etiã (fortaſſe aliquos nomine omniũ deſignatos) acceſſiſſe: Et Princeps Apoſtolorum, qui iſtis non ſolùm interfuit, ſed præfuit, hæc verba propriè ad illum actum paſſionis Dominicæ accommodat. Similis eſt & illa Prophetia: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me: Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Quemadmodum enim leones parcentes Danieli, famem diutius toleratã, in eius aduerſariis expleuerunt, vt antequam terrã attingerent, ab ipſis diſcerperentur: ad eundem modum, Iudæi diutiſſimum Chriſti perdendi odium, tum & proſtrationis ſuæ nouam quaſi contumeliam, quando Dominus ex innocente reũ ſeſe cõſtituiſſet, feralẽ rabiẽ in eũ conſummauerunt. Vnde ſine dubio, aliqui ſacram cæſariem ad deglubendum, alij caput & decoram faciem ad contundendum, alij guttur veluti canalem cæleſtem, ad ſuffocandum, alij manus mundi plaſmatrices, & corpus ipſum deificum, ad alligandum, alij dorſum quod peccata mundi ſuſtineret, ad variis telis concutiendũ, certatim inuadebant.

Ioan: 10 ✝. 11.
Deut: 32 ✝ 11
Ioan: 11. ✝ 50
Lucæ 24 ✝ 46
Ioan: 16. ✝ 32
Hebr: 4 ✝ 12
Malach: 3. ✝ 8.
Chriſtus quanto impetu comprehenſus.
Pſal: 2 ✝ 1
Lucæ 22 ✝ 52.
Acto: 4 ✝ 25.
Pſal: 21 ✝ 12.
Dan. 6 ✝ 24.

Videntes

Lucæ 22
Matt: 26
Marci 14.
Ioan: 18

Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Et ecce vnus quidam de circumstantibus ex his, qui erant cum Iesu, Simon Petrus, habens gladium, extendens manum, exemit gladiũ suum, & percussit seruum Principis sacerdotum, & percutiens seruũ Principis sacerdotum, amputauit illi auriculã eius dexterã. Erat autem nomen seruo Malchus. Respondens autem Iesus, ait; Sinite vsq; huc: & cùm tetigisset auriculã eius, sanauit eum. Dixit ergo tunc Iesus Petro: Conuerte gladium tuum in locum suũ in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. Calicem quẽ dedit mihi pater, non vis vt bibã illum? An putas, quia non possum rogare patrem meũ, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorũ? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?

Cap: XVIII

Zelus Petri circa Domini comprehensionem.

Videbant quidẽ Apostoli qui tantùm vndecim essent, & duos tantùm gladios habere permitterentur; se cohorti armatæ nequaquam ad defendendum Dominum prȩualere posse. Sed accensi zelo tantȩ indignitatis contra cælestem magistrum, & diuinæ potentiæ (cuius Dominus specimen prostratione militũ edidisset) confisi, præsertim Petrus promissioni satisfaciens, percutit gladio seruum Cayphȩ Malchum, qui fortasse authoritate summi pontificis fretus, primus ante alios Dominum fuisset aggressus. Similis zelus præcessit in veteri testamento, quando Matathias solus inter armatas cohortes, inermis licet, irruit in Hebræum idolis sacrificantem, eumq; simul & præfectum illius militiȩ interfecit, & aufugit, cum suis domesticis; gentem suã post modum ab idololatria vindicaturus. Quod ipsum fecit Petrus dux Apostolorum, vt iussu Domini euadens tunc & fugiens (vt Græcum habet prouerbium) iterum pugnaret, hoc est, prædicatione, ac persecutionum toleratione, perpetuum contra sa-

1 Machab: 1 ℣. 24

Petrus semel fugit iugiter pugnatus

Plutarchus in vita Demosthenis.

tra sa-

Percussionis Malchi à Petro mysterium.

tra sathanam & mundum prȩlium continuaret. Neq; illud vacat mysterio, quòd cum permissu Domini, duo inter Apostolos fuerint gladij: solus autem Petrus altero ex gladiis illis percutit, nec alium quenquam, nisi seruũ Pontificis Malchum. Nam supra sensum literalem quem attigimus, mysticè per hoc intelligere possumus, in persona Petri, & serui Pontificis, Euangelium cum lege, Sacerdotium vetus cum nouo, decertasse: atque turbis, laternis, facibus, gladiis, fustibus, armis, hoc est, multitudini & varietati oblationum ac cȩrimoniarum legis antiquȩ, solum gladium spiritus verbi Dei à vicario Christi, & Apostolorũ Principe exertum, prȩualuisse: gladio legali in vagina figurarum relicto: ipsiq; Malcho, qui secundùm Hieronymum, Hebraicè Regem sonat, hoc est, principatui Synagogȩ auriculam, & quidem dextram, abscissam fuisse: vt nimirùm (quod etiam tangit Euthimius in hunc locum) Iudæi propter suam obdurationem, *auribus audientes non audirent, & aggrauatis eorum cordibus & auribus, auditam veram doctrinam non intelligerent*: & consequenter Apostolicæ doctrinæ iusta fieret ad gentes (quibus, & pro quibus se tunc Dominus tradebat) commigratio.

Ephes. 6. ℣ 17

Hieronymus in hunc Matt: locũ

August: tractatu 112. in Ioannem.
Ioan: 12 ℣ 38.
Acto: 13 ℣ 46
Act: 28 ℣ 28

Clerici armati vel pomposi notãtur

Notari hîc etiã merẽtur aliqui Clerici, eorũq; Prælati, qui cùm sint à sæculo in sortem Dominicam separati, sæculares tamen luxus æmulantur, sicut in aliis, sic in seruorum pomposo comitatu. Quemadmodum enim hîc comprehensionis Christi, à seruis Pontificis factum est initium: sic membrorum eius pauperum oppressionis, & exinde in sæculares scandalorum, emanare solet exemplum. Et consequenter dextras auriculas amittũt, dum sacra quamuis prædicatione, propter corruptam vitam in lucris animarũ non proficiunt: & adulationibus assueti, veritatis reprehensionẽ non admittunt. Cȩterùm aliqui cõmentatores expendentes Apostolorum paupertatẽ, & patientiam à Domino illis indictã, putant gladios illos Apostolis tunc permissos, non fuisse militares & offensiuos, sed gladios rusticos, quales passim ad secandas carnes, & alia, in domestica supellectili computãtur. Quod si certum esset, confirmaretur traditio quȩdam antiqua in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, tituli S. Petri Apostoli, cuius imagini ex argento conflatæ, antiquitùs pro gladio, adiunctus est eiusmodi culter veriùs quam gladius ad instar illius, quo in mensis magnatum, incisores ad colligenda mensæ

Gladius Petri qualis forma.
Vide Ioannem Maldonatum Societatis Iesu, in Cõmentariis super Luc: cap: 22.

fragmenta

fragmenta vti conſueuerunt: qui pro vero Petri gladio ſimul cum aliis eius reliquiis in præcipuo honore habetur. Dubitari tamen non debet, illos gladios fuiſſe veros & vſuales: ſiquidem Dominus imminens periculum extremum prædicendo, alteram veſtem vendere, & gladium emere ſuadet. Et maius crimen fuiſſet, in Petro magis etiam reprehendendum, ſi telo inuſitato, quaſi fraudulenter hoſtem petiiſſet.

Gladiorum duorum Apoſtolis cõceſſorum ſenſus & myſteria

Cap: XIX.

Iam verò ſicut in Chriſti iuſſione, ſic in gladiorum ipſorum numero, non tàm imperiũ, quàm myſterium venit conſiderandum. Si enim ſuperficialem literam ſpectes, duo abſurda conſequentur.

Chryſoſt: in Epiſt: ad Romanos Homilia vltima.

Primò enim, ſecundùm Chryſoſtomum: Si Dominus Apoſtolos humano volebat vti auxilio, contra tantam cohortem, nec centum gladij ſufficerent: cùm tamen Chriſtus dicat, Sufficit. Quòd ſi Dominus in hoc præcepto, non humanum, ſed diuinum

Matt: 26. ✝ 53

(vt poſtea explicuit) intendebat ſubſidium, etiam duo gladij ſuperuacanei fuiſſent. Deinde quomodo Dominus ſeipſum ad ſummum & extremum opus patientiæ, in imminenti paſſione accingens, Apoſtolos ad ſæcularem defenſionem & vindictã

Lucæ 9 ✝ 3.

induxiſſet, quos ab ipſa Apoſtolatus profeſſione, baculum ſeu virgam deportare prohibuiſſet, ſed potius iniuriæ perferendę legem edocuiſſet? Quæ & ſimilia, cauſa fuerunt Chryſoſtomo, & quibuſdam aliis expoſitoribus ſacris, verba iſta ad ſenſus purè myſticos pertrahere. Nos pro tenui noſtra indagine, literam ſimul & ſpiritum expendentes dicimus: Dominum hoc præcepto particulari, voluiſſe vniuerſaliter præmonere diſcipulos, &

Matt: 9 ✝ 15.

in eorum perſona Eccleſiam ſuam erudire, de ſtatu eorum diuerſo: quando nimirùm *ipſe ſponſus cum illis adeſſet*, & quando per imminentem paſſionem & mortem, *ab illis diſcederet.* Quod ante ipſa verba de comparandis gladiis manifeſtiſſime Chriſtus

Lucæ 22. ✝ 35.

aſſerit: quando ſic concludit. *Quia quæ ſunt de me, finem habent.* In priori ſi quidẽ ſtatu, *tanquam filiis ſponſi, & veluti paruulis*, preſentia corporalis Chriſti, omnia ſine eorum ſtudio ſubminiſtrabat & ſecuros reddebat. Iam verò, quando ipſe exinanitionem ſuæ diuinę potentię, patiendo & moriendo, eſſet conſumaturus,

Matt: 28. ✝ 20.

quamuis etiam tunc Diuina aſſiſtentia vſq; ad conſumationem ſęculi, non eſſet illis defutura: tamẽ nõ ampliùs modo illo potentiæ abſolutæ, ſed accedente quoq; propria illorum coopera-

Matt: 10. ✝ 16.

tione, qua ſeſe mundo, ſimplices quidem ſicut columbas, ſed nõn

non minùs prudẽtes ſicut ſerpentes exhiberent: Quòd vtrumq; per geminum gladium notare voluit: ſic tamen, vt gladius ſimplicitatis Chriſtianis proprius, ad aſſiduum vſum exertus, reſiſtentiæ autem, vel potius neceſſariæ defenſionis, in vagina recluſus, gereretur.

Gladii Eccleſiæ à Chriſto relicti quales:

Quem ſenſum confirmant ſequentia: quando Apoſtoli, alioqui Chriſto ad nutum obedientes, eo tunc iubente, non vendiderunt veſtes, neq; tunicas; ſed ſtatim ad verba Domini, duos gladios paratos deprompſerunt.

Lucæ 22. ✝ 36.

Sed vnde id quæſo? Clarum eſt ex Euangelico contextu, id geſtum fuiſſe in illo myſtico hoſpicio, & *cœnaculo grandi ſtrato*, aquæ indicio primariis Apoſtolis ab ipſo Domino intimato: qui in porticu Salomonis conſiſtens, primam Euangelicæ legis Eccleſiam, in qua ex ordinatione Domini Spiritus ſanctus in Apoſtolos fuiſſet effuſus, continebat: ex qua, tales ſicut expoſuimus gladios depromere, & fidelibus addicere, inprimis conueniebat.

Gladios duos Eccleſiæ eſſe proprios vnde cõiicitur
1 Regum 13 ✝ 22.
Lucæ 22 ✝ 10.
Acto: 1 ✝ 13 cap: 3. ✝ 11 cap: 5 ✝ 12

Siquidem in eorum tàm apparatu, quàm ipſo vſu, inſinuabat Dominus, ſe inchoare regnum ſuum ſpirituale magis quàm temporale: patiens potiùs, quàm deſæuiens: vt in defectu etiam gladiorum, ſeu armorum temporalium, ſpiritualis potiùs protectio diuina, eius ciues ſecuros redderet.

Gladii Eccleſiæ Chriſti conuenientes

Siquidem teſte B. Hilario, Eccleſiæ proprium eſt, vt tum vincat cum læditur: tum intelligat, cùm arguitur: tum obtineat, cùm deſeritur. Si verò quando, aut vitę, vel poteſtatis ex vera Dei vocatione inſtitutæ, conditio, gladiũ & arma addiceret (*omnis quippe poteſtas à Deo eſt*, &c. *& non fruſtra gladiũ portat*) illis, ſicut aliis temporalibus, ſic vtendum eſſe, vt ſecundùm Chriſti eiuſq; Apoſtoli doctrinam, *habeantur, quaſi verò non poſſideantur*: & non more infidelium, propter vindictas & rapinas temporales (vt ferè modo fit apud Chriſtianos) ſed pro gloria Dei eiuſq; Eccleſia contra eius hoſtes, ſi longanimitate Chriſtiana ſuperari non poſſint, adhibeantur.

Hilarius lib: 7. de Trinitate.

Rom: 13 ✝ 4
2 Corin: 6 ✝ 10

Gladii in corrupta Chriſtianitatę abuſus

Quem ſenſum videtur apertè comprobare præſens factum; quando præmiſſa generali pręmonitione, vt ſinguli Apoſtoli compararent gladios, & cum duo tantùm exhiberentur, dixiſſet Dominus; *ſufficit, vel ſatis eſt.* non autem (vt obſeruat B. Bernardus) parum eſt, vel, nimis eſt: vt nimirùm indifferens iſta quam diximus neceſſitas ſeu vſus oſtendatur. Idem patet in reprehenſione Petri à Domino facta, quæ vetat, non gladium habere, ſed importunè citra Dei prouidentiam ſtringere. Videant

Lucæ 22. ✝ 38
Bernar: lib: 4 dę conſideratione cap: 4.
Inocentius in extra vaganti cap: Sãctã Romanam.

deant ergo Ecclesiæ superiores, quo sensu & intentione, duplicem in Ecclesia gladium, ex hoc loco vendicent; vt nimirùm in hoc non minùs cautelam, quam sequelam expendant. Si enim vtroq; gladio spirituali videlicet, & materiali, post Ducem Petrum accinguntur, cogitent, ipsum Imperatorem, quamuis in petra solidatum, gladio spirituali verbi Dei, veluti ad futuram negationem sequestrato, gladium temporalem strinxisse; nullo equidem emolumento, sed potiùs detrimento: Primò diuinæ reprehensionis duplicis: quòd nimirùm gladio feriens, gladio & ipse subiiceretur; tum quòd violentia temporali, opus redemptionis spontaneæ, in Christo impediret. Deinde quia amputata dextra auricula seruo Pontificis, tàm in fama officij sui Apostolici, quàm in vita ipsa, propter recognitum circa iudicium Cayphæ crimen periclitaretur. Ideoq; mirum non est, si gladio Prælatorum interdum sic exorbitante, gladius sæcularis communiter plus quam par est, desæuiat. Quod, proh dolor, in corrupta ista Christianitate in dies experimur. Quoties enim contra infideles (si Deo placet) arma sumuntur, belli nondum, vel aliquando, nunquam, cruenti, cruenta & varia pauperũ & innocentium fratrum præcedit expilatio, & maior quandoq; hostili oppressio. Deinde gladij contra infideles exerti, quanta quæso in socios, nulla vel leuissima causa dissolutio? Iã verò terrarum Christianorũ recuperationem, vel hostilium inuasionẽ, qualis præcesserit intentio, euentus subsequens demonstrare solet. Cùm enim pro Christianorum bonorum bello absumptorum aliquid terræ acquiritur, quidquid emolumenti est, vix aliquid gloriæ Dei, & Ecclesię propagationi cedit: totum autem quod mansit indireptum, aliquando & ipsa quæ Deo pridem addicta fuissent, in prophanos & priuatos vsus, vel potiùs abusus & luxus sacrilegos distrahuntur: adeò vt quæ ex talibus ditiones Barbaris, quę verò Christianis subiaceant, vix interdum dignoscas. Et sic mirum non est, perpetes Christianorum contra Turcas, & alios infideles, expeditiones non succedere, & interdum propter hæreses, & nefanda in eorum castris scelera, diuinam assistentiam ad hostes potiùs transferri. Postremò in ipsis Christianorum assiduis inter se hostilitatibus, quæ quæso alia rerum facies, nisi ea quã B. Iacobus non tã dixit, quã nostris sæculis prædixit? *Vnde* (inquit) *bella & lites in vrbis? nonné hinc? ex concupiscentiis*

Gladius Petri sed non rectè exertus non detendit sed offendit.

Matt: 26 ✠ 52. Ioann: 18 ✠ 26.

Militia Pseudo: Christianorum notatur.

Bella contra infideles cur rarò succedunt.

Iacobi 4 ✠ 14.

cupiscentiis

cupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non potestis adipisci. Litigatis & belligeratis, & non habetis. Vt meritò Apostolus ibidem tales Christianos vocet *adulteros*, quòd nomine quidem & professione pręseferant patrem Deum: operibus tamen quæ in baptismo abiurassent, exhibeant se filios Diaboli, qui erat homicida ab initio, cuius & sanguinolenta opera desiderent imitari & perficere.

Ioan: 8. ✠ 44

Cap: XXI Cæterùm, quòd Dominus auriculã abscissam illico sanauerit; primò quidẽ secundùm sensum literalem, ostendere voluit, se quamuis comprehensum, diuina virtute non fuisse destitutum, quin magis in suipsius liberatione si voluisset, miraculum præstare potuisset. Simul etiam significauit, in sua illa passione maximè seruari à se charitatem, secundùm quam, sicut pro peccatis mundi exinaniri, pati, & mori voluit, sic eam inimicis etiam conseruauit: sicut antea docuisset: *Diligite inimicos vestros: benefacite persequentibus vos.* Addi potest & illud, ne mutilata vel cruentata, & crudam cicatricem referens auricula, cohortem ad comprehendendos etiam Apostolos concitasset: & in iudicio Pontificis, recens etiam crimen violatæ publicæ potestatis, ad cæteras calumnias accessisset. Quòd certè in Petro euenit, qui eadem obiectione, ad vltimã Christi cũ execratione abnegationem fuisset compulsus. Mysticè autem factum istud insinuare videtur effectum ipsius passionis Christi, quòd nulla esset plaga in homine volente, quæ ipsius merito non posset persanari, iuxta illud Isaiæ: *Cuius liuore sanati sumus.* Notat etiam Theophilactus, obstinatam Iudæorum incredulitatem (quam supra auriculæ abscissæ accommodauimus) meritò passionis Dominicæ, in paucis subleuandam iri, iuxta illud Propheticum: *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Porrò cõminatio & pœna talionis propter abusum gladij, profertur à Domino, non vt lex præterita, vel prophetia subsecutura, vt notat Euthimius hoc loco: sed cùm *homo ad imaginem Dei factus sit*, iusto Dei iudicio eueniat, vt (quod postea lex addidit) *qui sanguinem hominis fuderit, fundatur sanguis ipsius.* Sic & in Apocalypsi habetur: *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quæ profectò vindicta, vel eius continuus pauor, homicidas voluntarios plerunq; consequitur. Primum exemplum habetur in Caimo, qui de occisione fratris Abel correptus à Domino, dicebat: *Ecce eiicis*

Auriculæ abscissæ mox sanatæ mysterium.

Lucæ 6 ✠ 27.

Isaiæ 53. ✠ 5 Theophil: in cap: 19. Ioannis.

Isaiæ 10 ✠ 22. Rom: 9 ✠ 27.

Homicidii pœna talionis non afficiebat Petrum sicut communiter homicidas.

Gen 9 ✠ 6

Apoc: 13 ✠ 10.

Gen: 4 ✠ 14.

eiicis

eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar: & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Hæc ibi. De his plura in tractatu sacrificij diximus, vnde huc referre licebit.

Christologiæ parte 2 Serm: 6. cap: 16.

Petrus igitur quia tali culpa caruit, propterea etiam simili pœnę non subiacebat. Non enim gladio pro homicidij vindicta, sed cruce voluntaria, ad imitationem Magistri sui occubuit. Ideoq; verba Domini non tàm reprehensionẽ continent, quàm instructionem. Siquidèm Petrus non temerè, sed permissu Domini; gladium accepisset, eundemq; tacitè quasi Domino assentiente strinxisset, eodẽq; iubente mox vaginæ restituisset. Itaq; approbato zelo Petri, & fide, quam ipse in assistentia Domino promisisset, monet Dominus, ne passionem suam, sibi & vniuerso mundo salutarẽ, sęculari vindicatione impedire conaretur.

Lucæ 22 ℣ 36. 51.

Siquidẽ sicut duobus gladiis armata cohors superari non potuisset: sic cæleste præsidiũ multò efficacius & promptius Domino adfuisset, nisi passionis consummandę indicta diuinitùs necessitas, scripturarum præsaga authoritas, & redemptionis humanę communis vtilitas, obstitissent.

Legio Angelorũ quo mysterio à Christo infertur

Numerũ autem pręsidij Angelici legionibus Dominus definiuit, quòd Romana tunc supra Iudęos potestas, Romanam etiam computationem dictaret. Per legionem etiam voluit Dominus significare expeditissima & fortissima pręsidia, quæ Regiis personis pręsto esse solent: quẽadmodum Dauid habuisse legitur *legiones Cerethi, & Phelethi* Hac etiam denominatione insinuabat, fortissima pręsidia Angelica, opposita summis Dęmonũ quæ tunc in sese pręualerent potestatibus: Et videtur respexisse ad illud Dęmonium à se eiectum, & in porcos relegatum, quod cùm esset omnium sęuissimum, legionẽ sese à multitudine Dęmoniorum denominabat. Sicut igitur nomen legionis, sic ipse numerus duodenarius definitus, vniuersitatem & abundantiam auxilij insinuat.

2 Reg: 15 ℣ 18

Lucæ 8 ℣ 30

Et in illa hora respondens Iesus dixit turbis, & ad eos, qui venerant ad se, Principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie eram apud vos, & sedebam in templo docens, & cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis

Matt: 26.
Mar: 14.
Lucæ 22

distis manus in me, & non me tenuistis: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarũ. Tunc discipuli eius omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.

Cap: XXII

Christi capti quãta pręiudicia

Facta sui potestate Dominus, ostendit se esse eorum reum & vinctum, voluntate non necessitate, non iure, sed vi & iniuria, non legitimè, sed violenter & tyrannicè: quod facit per certas collationes. Primò, quòd reputarent quasi latronem, qui esset bonus pastor, & humanę salutis opifex: Deinde quòd noctu in orantem irruerint, qui interdiu in locis publicis pręsertim in templo, vbi omnes conuenirent, pręsto adesset: latronum autẽ & malefactorũ est, latebras quęrere, sicut alibi Dominus dicebat: *Qui malè agit, odit lucẽ, & non venit in lucem, vt non arguantur opera eius.* Tertiò, quòd versatus fuerit inter eos docens: propterea si qua fuisset doctrinę vel gestorum culpa, ibidem patebat redarguendi locus & occasio. Quartò, quòd ad sui comprehensionem tot genera armorum adhibuissent, quem viderent cùm duodecim tantùm Apostolis inermem, nec habentem vbi caput reclinaret. Quintò, cùm aliquoties antehac tentassent sese comprehendere, & perdere, experti sunt diuinam suam potestatem, quę non, nisi, & quando vellet, sese traderet. Iam verò quòd sese inuaderent, facere illos iudicio suæ excæcationis, & æternæ reprobationis, potestate Diabolica innixę, *qui sit princeps & rector tenebrarum harum*, hoc est, mundi, & hominum malignorum. Qualis potestas, iuxta pręditionem Domini, ad tempus ipsos etiã discipulos attigit, vt diuturnitate tentationis & periculi veluti cribrati, tandem fide exciderent, & relicto solo Domino, ad sua quisq; profugerent: vt impleretur in Christo quod ipse de se pręclixisset: *Respiciens eram in adiutorium hominum, & non erat.* Et alibi: *Torcular calcaui solus, & non erat vir mecum.* Et iterum. *Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia pater mecum est.* Pręcessit

Ioan: 3. ℣ 19.
Ioann: 11 ℣ 9

Ephes 6. ℣ 12

Lucæ 22. ℣ 31

Eccli: 51 ℣ 10
Isa: 63 ℣ 3
Ioan: 16 ℣ 32.

etiam

3 Reg: 19 ℣ 10.

Deut: 22 ℣ 6.
Deut: 32 ℣ 11
Matt: 23. ℣ 37

etiam typus in Elia Propheta, quando propter malitiam hominum tędebat eum viuere, & antequam à Domino reciperetur, dicebat: *Relictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Prohibitum erat lege Moysi, pullis ex nido receptis, matrem illorum simul inuadere. Isti autem fidefragi, pullis, id est, Apostolis relictis, ferociter aggrediuntur matrem ipsam, & quidem eam, quę alis suis ab exordio mundi, genus eorum protegeret.

Adolescentulus nudus à Christo profugus, quis?

Cęterùm, cùm iam Dominus abduceretur, solus Marcus refert, *Adolescentem quandam secutum fuisse eum, amictum sindone super nudum: quem cùm lictores tenuissent, ipsum profugisse nudum, sindone in manibus eorum relicta.* Istud factum parum videtur cum maiestate historię passionis Dominicę conuenire: propterea grauissimi Ecclesię Doctores minùs etiam grauiter illud exposuerunt. Volunt enim quidam, aliquem fuisse ex Apostolis, vel septuaginta duobus discipulis: cùm tamen Euangelista pręcipuam istā circūstantiam nequaquam omissurus videatur, qui tamen nec Apostolum, nec discipulum, sed adolescentem quendam, quasi incognitum, vocet. Euangelistę etiam conueniunt, Apostolos propriis vestibus indutos, tunc profugisse. Insuper Græci aliqui Doctores, adolescentem istum putant fuisse Iacobum minorem, Apostolum, leuissima sanè coniectura, quòd lineis vestibus (& quidem non pręsente Domino, sed post eius ascensionem) vsus fuisse traditur. Sed quia vel ętas ipsa non conuenit: (siquidem B. Iacobus maturus erat, quamuis Christo Domino fertur fuisse facie persimilis) aliqui Latini Doctores, Ioannem Apostolum & Euangelistā intelligunt: paulò equidem firmiori coniectura, quòd omnium Apostolorum ętate minimus fuisse perhibeatur: Cū tamē ipse de se testetur, quòd postmodum liberè secutus fuerit Christum ad iudicium Pontificis, illòq; tanquam notus, Petrum quoque introduxerit: & Christo morienti, sine formidine adstitisset. Affert tertiò Theophilactus quorundam, & propriam sententiam, adolescentem illum fuisse puerum custodis horti, in quo Dominus comprehensus esset; vel aliquem ex domo cœnaculi illius, ex quo Dominus in hortū fuisset egressus. Sed (saluo tanti Doctoris honore) quid hoc est aliud, nisi Euangelicam certitudinem leuissimis coniecturis, ne dicam figmentis, magis obscurare? Quod etiam olim D. Epiphanius sic reprehendit: Admirari subit de omnibus, qui

Epiphanius hæresi 78.
Theophilactus & Eutymius in hūc locun Marci
Hieronymus iuxta historiam Scholasticam
Augustinus in Ioannem Tractatu 113
Gregorius lib: 4. Moral: cap: 23
Aeda & Glossa ordinaria super hūc locum
Chrysologus Sermo: 78. 84. 150. 161
Teophilactus in hunc locum

prauos

Scriptura non admittit humana figmenta vel cōiecturas.
Epiphanius hæresi 78

prauos prętextus venantur, & ea quorum causas perscrutari non est opus, quòd & quęrunt non quęrenda, & à necessariis ad stultas quęstiunculas conuertantur, quo omninò vndiquaq; pernities incredulitatis ac blasphemiæ nobis immineat, propter ignominiam erga sanctos. Hæc ille. Certè non abs re Euangelista adolescentem illum indefinitè posuit, ne quis in hoc definire quid præsumeret. Satis est nobis igitur, non personam, sed rem gestam considerare. Non nouum est ad tumultus insperatos, plurimos spectatores concurrere: quin etiam si noctu contingant, alios ex cubilibus prospicere, alios etiam non satis vestitos spectatum excurrere. Sic etiam, cùm inter locū vbi Dominus caperetur, & domum Pontificis quò ducebatur, non paruum interfuerit spacium, non est dubium multos, vel ad solam famam Christi capti, concurrisse: istumq; adolescentem sindone quo fortasse decubuerat (sic enim & in sepultura Dominica ab eodem Euangelista denominatur) festinanter antequam turba præteriret excurrisse: & postmodum vel curiositate, vel (quod magis crediderim) admiratione & condolentia, quid cùm tanto propheta ampliùs accidisset, progressum vlterius, à lictoribus, quòd sectatorem Christi præseferret, apprehensionem tentatam euasisse.

Mar: 15 ℣ 46.

Religiosorum typus Euangelicus

Si verò intentionem literæ spectemus, fortasse ista narratione, solus Marcus voluit notare, primò quidem Apostolorum erga Dominum suum quandam perfidiam, cum illis aufugientibus, adolescentulus alienus sequelam Christi attentasset: Deinde turbæ Christum captiuantis rabiem, quæ prętextu tantū sequelæ Christi, innocenti adolescentulo nō parceret, vel in re apprimè miserabili iocis indulgeret. Sed potiùs ex re ad historiā indifferēti, aliquid mysterij eliciēdū est. Videtur igitur B. Marcus, tanquā primus instituti Monastici in Euāgelio magister, per adolescentē istū qui post fugam Apostolorū ferè nudus Dominū sequi intēdebat, designasse statū religiosorum, qui triplex consiliū Euāgelicū, voto firmissimo ad necessitatē obligāt: & in reclusa solitudine, proximè vestigia Domini consequūtur. Vbi tamē turbis sæcularibus sese immiscuerint, non solū scādalis pateant, sed excussis cucullis, apostasiis, non solū à regula, sed interdum etiam à fide, exponantur. Verissimum enim est B. Augustini dictum: Sicut non vidi meliores, quàm qui in monasterio profecerunt: sic nec deteriores qui in monasterio ceciderunt.

Hieron: de viris illustribus in vita Marci ex Philone

August: epistola 137 ad Hipponen:

runt. Sic ille. Et haud scio, an Ecclesiæ tantùm emolumenti attulerit Cænobitarum sanctissimorum in promouenda Catholica religione eximius sane profectus, quàm detrimenti, per hæreses ex tali apostasia non rarò exortas, defectus. Cuius rei potissima causa est, quòd solitudinis, silentij, & disciplinæ antiquę

Deuti 32 ℣ 36.

monasticæ (vt cũ Propheta loquar) *soluta sit manus: proptereaq́; clausi quoque defecerut, & residui consumpti sunt.*

Matt: 26.
Mar: 14
Lucæ 22.
Ioann: 18

Cohors autẽ & tribunus, & ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim socer Cayphæ, qui erat Pontifex anni illius. Et duxerunt Iesum ad domum Principis sacerdotũ, vbi Scribæ & seniores conuenerant. Erat autem Cayphas qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Et conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & seniores. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus à longe, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum vsq; intro in atrium Principis sacerdotum. Et ingressus intro, accenso igne in medio atrij, & circunsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, & sedebat cum ministris ad ignem & calefaciebat se, vt videret finem.

Annas & Cayphas quo sensu uocantur simul Pontifices

Cap. XXIII

Hic primùm elucidanda est perplexitas, quæ ex verbis Euangelistarum exoritur: quando Iesus dicitur primò ductus (vt res ipsa postulabat) in domũ Pontificis, seu (quod idem est) Principis sacerdotum. Quæritur ergo, quis fuerit iste Pontifex? Siquidem eum fuisse Caypham, Euangelistæ conueniunt, & Ioan-

Ioann: 11 ℣ 49.

nes confirmat, eius officium vaticinio etiam de morte Christi compro-

comprobans. Idem tamen Euangelista scribit, Pontificem (qui Annas erat) examinasse Christũ de doctrina & discipulis eius: & ibidem Dominũ alapam accepisse à ministro, quòd in responsione Pontificem inhonoraret. Videtur ergo tunc vterque, Annas & Cayphas gessisse Pontificatum. Quod & S. Lucas asserere

Lucæ 3 ℣ 2

censetur, quando annũ prædicatiònis Ioannis Baptistæ, sub Põtificatu Annæ & Cayphæ incidisse testatur. Et Augustinus multis rationibus id ipsum comprobat: vtrumq́; quidem simul annuum Pontificatũ gessisse, sed alternatim certo tempore administrasse. Quod confirmatur Actorum 4. Vbi in concilio contra Apostolos congregato, Annas ante Cayphã describitur summus sacerdos præsedisse.

August: Tract: 49 in Ioannem.
Actor:: 4 ℣ 6

Et sic facilis esset quæstionis nostræ resolutio, Dominum ad vtrumq́; Pontificem fuisse adductum: sed priùs ad Annam, quòd (vt notat Euangelista) socer ante generum fuisset honorandus: cùm tamen Cayphas propriè Pontifex nominetur, & ab ipso Dominus accepit cõdemnationis suę sententiam.

Pontificatus in lege ratio quando & cur mutata.

Sed pro solidiori quæstionis resolutione, notandũ est: mandato Dei vnum tantum summum sacerdotem Aaronem à Moyse fuisse constitutũ, idemq́; exinde firma lege fuisse confirmatum, & vsu receptum. Postquam autem Deus propter filiorum Leui præuaricationẽ reprobasset sacerdotium eius, in pœnam perhennem illius reprobationis, promisit se quidem sacerdotium à posteritate Heli non prorsus sublaturum, sed constituturũ se esse æmulum sacerdotij & posteritatis illius.

Exod: 29 ℣ 5
Deui: 17 ℣ 9
Hebr: 5 ℣ 1. 4.
1 Reg: 2 ℣ 30
3 Reg: 2 ℣ 27.

Quod euenit tempore Salomonis, scriptura sic attestante: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini: vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Hæc ibi. Superueniente tandem Romano dominio, res facta diuinitùs in mysterium, vsurpata est ad prophanum imperium, vt nõ solùm à præsidibus Romanorum, gemini crearentur Pontifices, sed sæpius etiam ad libitum mutarentur: vt testis est Iosephus, qui talem mutationem maximè in Valerio Grato notauit. Videtur id etiam diuina dispositione euenisse, vt sacerdotium alienum, sacerdotio Aaronico in templo illo æmulum, ad aduentum vsq; Messiæ perdurans, sacrificij noui & æterni secundum ordinem Melchisedech propritatem adstrueret: vt alibi suo loco docuimus.

Iosephus antiquitatum Iudai: lib: 18 cap: 4 & lib. 22

Magis igitur cõuenit sensui Euangelico, Annam qui Pontificatum emisset à Pręside Romano, Caypham generũ cui filiam elocasset, ad

Christolo: 2 parte Serm: 17 cap: 15

set, ad Pontificale officium & dignitatem admisisse, & alternis vicibus (vt S. Lucas intelligendus est) officium administrasse: ita tamen, vt officium Cayphæ in tempus passionis Christi inciderit, qui propterea propriè Pontifex, titulo, presagio de Christi morte, & sententiæ in Christi prolatione, definiatur. Annam tamen dictum etiam fuisse Pontificem, & Principem sacerdotum, quòd dignitatẽ & officium, quamuis tunc non vsum Pontificatus, commune haberet: sicut & modò, qui coadiutorẽ Episcopi gerit, vel qui Episcopatum deposuit, Episcopus denominari non desinit: Sic & Iosephus, eos qui apud Iudæos officio excidissent, sæpè etiam Pontifices vocare consueuit. Ducitur igitur Dominus ad Annam: Primò propter personæ authoritatem, vt socer præ genero honoraretur: Secundò propter impij consilij contra Dominum originem. Scribit enim Cyrillus, Annam fuisse insidiarum contra Christum authorem, & contractum cum Iuda ipsum iniisse, & perfecisse. Tertiò propter iudicio præmittendum examen (vt insinuat S. Ioannes) ad quod Annas tanquam ætate & vocatione fortasse senior, magis censebatur esse expeditus. Quartò quòd Annas cùm in concilio contra Christum coacto adesse non posset, fortasse propter ætatem, vel inconuenientiã (quando duo Pontifices consilio præsiderent & decernerent) particeps tamen processus illius contra Christum euaderet. Quòd verò aliqui addunt, vtrumq; Pontificem in vna vel vicina domo habitasse, non quidem absurdum esse, cùm & modò Iudæi cognati, soleant communes domos habere, aut quàm maximè vicinas: quod si distantiores essent, eas signo funiculorum soleant veluti adunare. Sed non est quod istis coniecturis laboremus, quando expresse Euangelista dicit, Annam, ligatum Dominum, quasi post examen priori alligationi superadditum, misisse, vtiq; publica sententia, morte condemnandum, ad Caypham, vbi Scribæ & seniores conuenerant. Citat Abulensis cuiusdam Rabbini testimoniũ, Christũ fuisse ad mortem ex lege (vt corã Pilato Iudęi asserebant) condemnatum, per vniuersale iudicium, per Moysem ordinatum, quod iudicium dicebatur Sanedrim, seu domus iudicij. Verba illius Rabbini sunt: Iesus Nazarænus visus est esse Messias, & interfectus est per domum iudicij, id est, in iudicio vnius & septuaginta iudicum. Et ipse causa fuit, vt destrueretur

Lucæ 3 ℣ 2

Iosephus de bello Iudaico lib: 2. per aliquot cap:

Iesus cur ad Annã ductus

Cyrillus Alexan: in Ioannem lib: cap: 38

Concilium à Moyse institutum an Christũ iudicauerit.

Abulen: Episco: in Matt: 15 par: 2

Ioann: 19 ℣ 7.

Ierosolimę excidium ob necem Christi

struereturr Ierusalem in gladio. Hæc ille. Sed præter rationem dictum esse videtur, in summo sacerdotio adeò corrupto & prophanato, Romanos tam frequens & celebre iudicium fuisse conseruaturos: cùm ipsi Iudæi coram Pilato fassi fuerint, *quòd illis non liceret interficere quenquam.* Vt autem concedamus iudicium illud tunc toleratum fuisse, Euangelistæ apertè testantur, non alibi quàm in domum Cayphæ Scribas & seniores conuenisse, nulla alterius vel domus vel iudicij facta mentione; quod etiam noctu & quidem in ipso Paschæ apparatu exercere non licuisset.

Cap: XXIV Iudicium ergo illud peractum est authoritate Pseudopontificum, ab Anna quidem inchoatum, à Caypha verò determinatum. Qui cùm prophano modo contra vocationem Dei, & legis præscriptum, & per maledictionem Giezi & Simonis, officium adepti fuissent, mirum non est quòd Simoniaco quoq; per Iudam processu, contra Dominum egissent: sicut vulgaris habet versiculus:

Vendere iure potest: emerat ille prius.

De quo maledicto vitio cùm nos suo loco satis dixerimus: sufficiat hîc recentioris cuiusdam, sed doctissimi & religiosissimi in hunc locum Commentatoris verba adscribere. Horrendum (inquit ille) flagitiũ est, Ecclesiasticas dignitates; aut supremos honores Cardinalatus, quouis prætextu vendere, aut comparare. Nam Cardinales ad opera summè spiritualia præstanda creantur, nempe ad eligendum ex ipsorum numero & gremio, Pontificem, & cum eo ad gubernandam simul vniuersalem Ecclesiam; quo munere quid spiritualius esse queat, non video. Imò, quod minus est, ne venditio quidem Magistratuum, & laicæ iustitiæ non nisi cum magno Reipubl: detrimento, & scandalo fieri potest: quod vel Ethnici ipsi solo lumine naturæ præditi, agnouerunt. Scribit enim Ælius Lampridius de Seuero Imperatore, quòd honores iuris, gladij, nunquam vendi passus est, dicens: Necesse est, vt qui emit, vendat: Ego nõ patiar mercatores potestatũ: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit. Sic ille: de quo verè dici potest illud: Digna vox maiestate regnantis, alligatum legibus se Principẽ profiteri. Nam quis non videat optimos quosq; ac doctos viros à magistratu ineundo propter defectum pecuniæ repelli, & improbos quosq; atq; ignaros propter vim pecu-

Ioan: 18 ℣ 31

Prophana & Simoniaca sacerdotia taxantur.

4 Reg 5. ℣ 25.

Acto: 8 ℣ 20.

Vide Christolo: par 2. Ser: 15 cap: 4

Et Speculum Clericorum nostrum

Alphonsus Salmeron: Societatis Iesu in passionem Dñi tractatu 19.

Cardinalatus quãto crimine venditur uel emitur.

Ambitio etiam secularis notatur

 niæ ad

niæ ad magistratum gerendum conscendere? Et quam quæso spem benè administrandæ Reipubl: præstare potest, qui tam iniqua ratione ad illā sumi desiderat? aut quis Princeps qui accepto precio magistratus vendit, delinquentem condignis suppliciis valeat plectere? Non ignoro B. Thomam in opusculo ad Ducissam Brabantię aliter statuisse: sed hoc iudico tutius esse. Et casus ille, quem sanctus Doctor assignat, vt Thomistæ dicunt,

Cardinalatus non venalis rara auis.

prorsus metaphysicus est, & mathematicus. Et cùm hęc ita se habeant, luceq; meridiana sint clariora, tantus tamen est in quibusdā ardor affectandi primarias illas Ecclesię sedes, tantumq; de Iudę imbiberunt spiritu, vt admirentur esse quenquam, qui sentiat Cardinalatum quauis ratione non esse venalem: tanta est iudicij corruptio, vt existiment inueniri neminem, qui ad illas tantas Ecclesię dignitates affectandas non vehementer aspi-

Christus decies vinctus deducitur

ret, & inflammetur. Hactenus ille. Sed nec illud ex eodem authore omittendum est, Dominum decies hinc inde fuisse deductum vinctum, manu armata & violenta, tanquam malefa-

1 Corin: 4 ✝ 9.

ctorem, *& spectaculum* (vt ait Apostolus) *fuisse factum mundo, Angelis, & hominibus*. Primò ex horto ad Annam: secundò ad Cayphā: tertiò mane ad concilium, & iudicium seniorum: quartò ad Pilatum: quintò ad Herodem: sextò rursus, ad Pilatū remissum: septimò ad Prętoriam cohortem, ad flagellandum, spinis coronandum, atq; illudendum: octauò eductum à Pilato foras purpurâ & coronâ spineâ proclamatū: nonò in montem Caluariæ vbi crucifigeretur: decimò deniq; cum honore ex cruce ad se-

Ecclesiarum plurium in die Parasceues visitatio & eius abusus.

pulchrum translatum. In cuius rei memoriam, solent deuotiores Christiani, totidem Ecclesias, vbi earum copia est, in die Parasceues visitare: vt ad ieiunium & luctum diei illius, aliquid etiam fatigationis in corpore suo, exemplo Christi, sustineant: vt sic ei quantum in nobis est, compatientes, & gratias agentes, ea quę ille pro nobis sustinuisset, in nobis ipsis vindicemus, & per veram pœnitentiam corrigamus. Interea verò vulgus Christianum, eiusmodi pias visitationes conuertere solet in vagas, curiosas, aliquando etiam tumultuarias cursitationes, in quibus sepulchri Dominici repræsentationes fastuosè plerunq; adornatas, mirantur potius, quā meditantur, seu venerantur: ac inter promiscuas virorum simul & fœminarum confusiones, lasciuas, quæ fortasse tempore Bachanalium non adeò liberè patebant, conspe-

conspectationes, tunc exercere non verentur. Sic sathanas diei, quo Creatorem patientem omnes creaturæ lugerent, non pepercit, quin illum (sicut alias sacras memorias) nefaria & sacrilega dissolutione inquinaret: & populo Dei *sepulchrum eius*, quod Isa: 11 ✝ 10.
Isaias prædixit *gloriosum*, redderet luxuriosum & flagitiosum.

TERTIA PARS.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus. Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapā Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem benè, quid me cœdis? Et misit eum Annas ligatum ad Caypham Pontificem. Ioan: 18

Cap: XXV

Examinis Christi coram Anna qualis processus & primo de discipulis.

Probabile est Euangelistam summarios tantùm titulos ipsius geminę inquisitionis posuisse. In particulari autē aliqui existimant, Dominum inquisitū fuisse: primò de discipulis: nimirùm quòd contra morem suū, solus absq; illis in iudicio compareret: impingendo quasi tacitā calumniam, quòd ab illis *tanquam seductor*, in vltima necessitate desereretur. Deinde quòd multi fuis- Matt: 27 ✝ 63.
sent, qui in eū crederent: vnde subsecuta fuisset vsq; in Gallilęam populi commotio, rebellionem Cæsari redolens, synagogæ periculosam. Tertiò, quinam fuerint eius etiam ex Senatu Iudæorum discipuli, & sectæ ipsius fautores, & tanquam capita eiusmodi seditionis, qui excommunicatione à synagoga pro- Ioann: 9 ✝ 22
hibiti, sibi tamen adhærere vel fauere præsumerent? Quartò vnde *filius fabri & idiota, qui literas nunquam didicisset*, neq; ex tribu Ioann: 7 ✝ 15
Leui esset, autoritatem docendi sibi vsurpauerit? Quintò, cur similes sibi idiotas ad officiū docendi selegerit, quibus eiusmodi facultas scientię legis & prædicationis, sicut & eiiciendi dæmonia,

monia, non nisi arte Magica innotescere & contingere potue-
Lucæ 6 ✝ 13 & cap: 10 ✝ 1.
rit. Sextò, cur in tali delectione, numerum legis æmulatus fue-
rit: quando duodecim Apostolos, ad instar duodecim Patriar-
charum, & septuaginta duos alios discipulos, ad modum eius-
dem numeri in lege seniorum, recensuerit: quasi antiquę diui-
nę legis per noua instituta deprauator & euersor. Hęc, inquam,
Examen Christi apud Annam de eius doctrina
& similia, ex aliis scripturæ locis, obiecta Domino fuisse, non
ineptè coniiciuntur. Deinde quantum ad doctrinam, quæri à
Domino potuit: vnde fuerit progressa, siquidem legi & doctri-
nę à Deo per Moysen æterno pacto firmatę, contradiceret. Nam
primum & potissimum legis symbolum circuncisionem, in ba-
ptismum aquæ commutauit. Deinde quòd sabbata, ieiunia in-
dicta, purificationes, & alias cærimonias legis despiciat. Ter-
tiò quòd ipsum Decalogum digito Dei exaratum, à clarissimo
sensu, in aliena & impossibilia præcepta inuerteret: Deo sese
Matt: 5 ✝ 22.
præferens, cùm diceret: *Dictum est antiquis*, &c. *Ego autem dico
vobis*, &c. Quartò, quòd & istam doctrinam nouo ænigmate im-
Ioann: 7 ✝ 16.
plicaret, dicendo: *Doctrina mea, nō est mea.* Si enim tua, quomodo
non tua? Si non tua, quomodo tua? Hæc, inquā, vel similia cōi-
iciuntur Domino ab Anna fuisse obiecta. Et quidem conue-
niebat, quantum ad officium, Pontifici, vel alteri eius nomine,
Daut. 17 ✝ 8.
talia inquirere, cui soli disquisitio legis fuisset diuinitùs cōcre-
Annæ in examinando Christo malignitas.
dita. Sed quia Annas talia excutit in vero Messia, tot pręsagiis,
doctrinis, & signis contestata, agit iam (vt inquit Cyrillus) non
Cyrillus Alexan: in Ioannem libro 11 cap: 45
vt Pontifex seu Princeps sacerdotum, sed vt vulpis subdola, ca-
nis mordax, & serpens venenatus: quando nimirùm prius vi &
dolo ligauit, & contumeliis affecit, deinde examinando inqui-
Ioann: 8 ✝ 33 Leuit: 22 ✝ 28 Deut: 22 ✝ 6
rit. Lex Moysis vetat ex nido auicularum, parentem simul cum
pullis decerpere: iumenta cum fœtibus suis vno eodemq; die
simul immolare. Nequissimus autem iste legis præuaricator,
Christum velut *aquilam nidum suum protegentem, simul cum Apo-
Inquisitio Caiphę quam iniqua & stolida
stolis tanquam pullis & charissimo fœtu*, simul extinguere inhiat.
Vbi est illa libertas, de qua ipsi Iudæi gloriati fuerunt contra
Dominum dicentes: *Semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vn-
quam?* Cùm profectò libertatis præcipuū caput, etiā nostrę Po-
loniæ leges statuant, vt nemo captiuetur, nisi prius iure victus.
Prouer: 26 ✝ 4
Rectè igitur (vt monet Sapiens) Dominus *stulto respondit, secun-
dùm stultitiam suam, ne importuno silentio sapiens ille sibi videretur.* Si
enim

enim pro reo & malefactore Dominus captus, vinctus, & ad tri-
bunal attractus est: quis vnquam malefactorum seipsum accusat?
Deinde eiusmodi inquisitio ex propria persona, fieri solet, vbi
delictum occultum est, & patratori soli conscium. Iam verò
Christi doctrina, primò quoad auditores, omnium hominū sta-
tibus, immò toti mundo, erat manifesta & publica: deinde quò
ad tempus, fiebat non noctu, sed in die, & tempore consueto:
tertiò quoad modum temporis, non erat surreptitia, sed per
tres cum dimidio annos, per omnem occasionem continuata:
quartò quoad locum, etiamsi prædicatio sua, domos, synago-
gas, campos, deserta, terras, & maria impleuisset: propriè ta-
men & præcipuè fiebat in domo patris sui, & templo illo Iero-
solymitano, quò & quando in solennitatibus omnes Iudæi con-
uenirent. Cùm ergo doctrina sua per omnes partes sit notissi-
ma & clarissima: quorsum tam importuna disquisitio: cùm po-
tiùs sequi deberet ex testimoniis auditorum accusatio, quam
postea Cayphas, iunior quamuis, sed prudentior, adhibuisset?
Ista vel similis ratio dedit Domino occasionem cum quadā, (ve-
ra tamen & modesta) reprehensione iudici respondendi: cum
alioqui, secundùm Isaiam, *tanquam agnus ad occisionem ductus, coram* Isaiæ 53 ✝ 7
tondente se, (hoc est, famam suam spoliante) *obmutescens, non ape-
ruerit os suum:* quod postmodum coram Caypha, magis autem co-
ram Pilato, maximè autem coram Herode, præstitisset. Acces-
sit ad stultam & importunam Annæ disquisitionem, eius arro- Arogantia Annæ in Christo qualē responsionem merebatur.
gans in Dominū iudicij vsurpatio: cùm lex vnum tantùm Pon-
tificem præscriberet, qui eo tempore fuerat Cayphas. Poterat
ergo Dominus, si eius mansuetudo permisisset, meliori iure
quàm Paulus reprehendere Annam, & dicere: *Percutiet te Domi-* Actor. 23 ✝ 3.
nus, paries dealbate. Si enim Paulus agnoscendo Pontificem, ne-
gabat se scire Pontificem, quòd nimirùm non vt Pontifex, sed
vt carnifex, pro iudicio verbera intentaret: magis id cadebat
in Annam, qui primus iudicium, & quidem violentum, in Do-
minum innocentem præsumeret, & veluti paries concussus, de-
albatione externa vitium conuestiret. Quod autem Do- Christus quomodo ab initio & palam locutus fuerit mundo.
Cap: XXVI.
minus, dicit, se palàm locutum esse mundo, cùm tantùm in Pa-
læstina prędicauerit: accipiendum est per Synecdochen, quòd
Ierosolyma in medio terræ fuerit constituta: vel potiùs vniuer-
saliter, quòd filius Dei existens Verbum Dei Patris, à principio
locutus

Baruch 3 ℣ 36. locutus fuerit mundo per Prophetas: quemadmodum conte-
statur per Prophetam: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius*
aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Ia-
Isaię 45 ℣ 19 & *cob puero suo, & Israel dilecto suo. Posthac in terris visus est, & cum ho-*
cap: 48 ℣ 16. *minibus conuersatus est.* Et rursus per Isaiam: *Non in abscondito locu-*
tus sum, in loco terræ tenebroso. Et iterum. *Non in abscondito à principio*
Ioan: 8. ℣ 25. *locutus sum, ex tempore antequam fieret, ibi eram.* Hoc & ipse Domi-
nus intendebat, quando interrogatus ab aduersariis: *Tu quis es?*
Respondit. *Principium, qui & loquor vobis.* Exhibet igitur Dominus
Chrysost: Homil: de seipso non proprium, sed publicum testimonium, quò minùs
82 in Ioannem possit de aliqua culpa conuinci: quando secundùm Chrysosto-
mum, magna est innocentiæ confidentia, omniũ & quidem ho-
Alapæ Christo inflictę typus & mysteria. stiũ testimoniis subiicere seipsum. Istam Domini responsionem
seruus indignam Pontifice ratus, *dedit alapam Iesu, dicens: Siccine*
3 Reg: 22 ℣ 24. *respondes Pontifici?* Cuius quidem facti præcesserat figura in Mi-
chæa Propheta, cui propter veram prophetiam, Sedechias Pseu-
do propheta & adulator coram Rege Achab, impunè percussit
maxillam dicens: *Mené ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est*
Isaiæ 50 ℣ 6. *tibi?* Idipsum clarè prædixerat Isaias in persona Dei, dicens:
Treno: 3 ℣ 30. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem me-*
Iob 16. ℣ 11. *am non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Et Ieremias:
Dabit (inquit) *percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Id
ipsum innocens Iob adumbrauit, dicens: *Percusserunt maxillam*
meam, saturati sunt pœnis meis. Tantam iniuriam filio Dei, à latro-
ne, coram iudice, vel potiùs tyranno legis à Deo constitutæ il-
latam, sic exaggerat, primo quidem innocens Iob typum Chri-
Iob 16 ℣ 22. sti gerens, post alias querelas huc etiam spectantes, sic dicen-
do: *Vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius homi-*
Chrysost: Homil: 81 in Ioannem. *nis cum collega suo.* Deinde S. Chrysostomus: Quid hoc (inquit)
impudentius? Exhorrescat cælum, contremiscat terra, de Chri-
S. Ephrem Serm: 1. de passione Domini. sti patientia, & seruorum impudentia. Et B. Ephrem: Creator
qui de puluere terrę hominem finxerat per gratiam, à manibus,
Alapa olim libertatis symbolum quas ipse formauerat, alapam accepit. Serui quidem omnes
Iustinian: codice de emancipationibus lege vltima. cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali libertate
potiantur: at ipse (ô infelix) cùm sit omnium liberator, iniustè
colaphizatur. Hæc ille. Istam legem Iustinus Imperator Chri-
Colosen: 3 ℣ 11. stianus postmodum aboleuit, quod, secundùm Apostolum *in*
conditione Christianorum, non reputetur, gentilis & Iudæus, Barbarus &
Scytha,

Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus. Hæc ibi. Et
sic dicere etiam possumus, Christum per suam exinanitionem
seruitute nostra suscepta, per passionem nos ea seruitute eman-
cipasse, & huius rei symbolum alapam coram Pontifice accepis-
se. Iam verò sicut Pontifici ad iniquam obiectionem, sic seruo
isti ad sacrilegam percussionem, Christo non erat tacendum, ne
silentio, & culpam, & pro illa initium pœnæ, in seipsum trahe-
ret. Vindicta igitur extremo iudicio (vt coram Caypha conte-
status est) reseruata, ad propositum militi respondet: *Si malè lo-*
cutus sum, testimoniũ perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? Opti-
mo ordine Dominus requirit legitimum iudicij processum: pri-
mò nimirùm accusationis probationem per vera testimonia:
deinde post conuictionem, iudicis sententiam: postremò pœnę
executionem: quæ omissis prioribus iniustè sibi fuerit inflicta.
Similis est Pauli ad Pontificem post irrogatam alapam expro- Actor: 23 ℣ 3.
bratio: *Tu* (inquit) *sedens iudicas me secundùm legem, & contra le-*
Cap: XXVII *gem iubes me percuti?* Ex his quæ dicimus, seipsam resol- Maxillam alterã percutienti cur non porrexit Christus neque Paulus.
uit quæstio ex hoc loco proposita: cur Dominus & eius Aposto-
li, quemadmodum alios docuissent, ipsi accipientes alapam vel
eius sententiam, non porrexerint alterã maxillam aduersariis:
sed potiùs verbis saltem illã vindicauerint? Respondetur enim, Lucæ 6 ℣ 29.
illas percussiones non tam fuisse facti & iniuriæ priuatæ, quàm
iuris & iniustitiæ publicæ: tum propter peruersum iudicij or-
dinem, ob priuatum odium: tum ne sua patientia, vel potiùs im-
portuno silentio, innocentiam in crimen, tàm Apostolus quàm
ipse Dominus, conuertissent, vt etiam B. Cyprianus docet. Ad- Cyprianus lib: 2 Epist: 3.
dit S. Augustinus, præceptum illud Domini de altera maxilla
præbenda intelligendum, non secundum exteriorem literam: August: in Ioann: tractatu 113.
quia dextræ manus percussioni, sinistra potius maxilla obuerti- Idem Serm: 1. in monte cap: 19 & lib: de mendacio cap: 15:
tur: tum quòd sequeretur, si percuteretur sinistra, desinere præ-
ceptum dextræ subiiciendæ. Intelligit igitur præceptum, non
tàm in corporali ostentatione, quàm in animi pręparatione, vt
nimirùm illud Apostoli subsequatur: *Non vinci malo, sed malum* Rom: 12 ℣ 21.
vincere, propter bonum, & proximi lucrationem: vt si aliter fieri non
possit, satiùs altera maxilla percussioni concedatur, quàm rixę
aut odij sementina relinquatur. Hęc declaratio cùm commu- Patientia Christiana non solum intentione, sed & facto cõprobãda.
niter teneatur & doceatur, factum est, vt pręceptum sic spiri-
tualiter expositum, in ventum abierit: & illa animi præparatio
H Christia-

Christianis euenerit metaphysica & imaginaria: adeò vt ei potiùs successerit regula pro iure gentium obtenta, qui alapã nece, vel pugnum simili plaga, non vindicârit, eum nihil ingenuitatis obtinere. Intentio autem Euangelica est, *præceptis obsecundare, non mente & lingua, sed opere & veritate.* Quod ipse Dominus ostendit in duobus illis filiis, quorum vnus alacri promissione, illusit potiùs, alter denegationis resipiscentia, in opus reduxit, voluntatem & imperium patris. Certè Apostolus Corinthiorum non tàm perfectioni, quàm ignobilitati, hoc est, externæ ostentationi adscribit, quòd pręceptum illud, Domini æmularentur, *sustinendo, si quis eos in seruitutem redigeret, si quis deuoraret, si quis extolleretur, si quis eos in faciem cæderet.* Satiùs igitur in ista populi Christiani dissolutione, pręceptũ istud sicut alia similia, vt sonat accipiendum esse: *non quòd viribus nostris talia implere poßimus, sed vt in eo qui nos confortat,* quoad maximè illa exequi studeamus. Quemadmodum enim sagittatoribus punctum constituitur, ad quod singulæ iaculationes dirigantur: tamen propter minùs exercitatos, producitur latior circulus, quem qui attingeret (modò non prorsus excederet) secundùm gradus, pręmij propositi euadit particeps; Ad eundem modum, Christianis qui in filios Dei regenerati, & spiritu diuino adoptati essent, proponitur quasi meta, perfectio charitatis, quę Deus est: iuxta illud quod Dominus post multas perfectionis Christianę doctrinas sic subiecit: *Estote ergo perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* Cuius quidem perfectionis gradus proximos attigerunt Apostoli, & sancti Dei Martyres, ad quorum exempla reliqui proficientes, Christo sese confortante, tendere debeant, sicut Apostolus docet: *Estote,* inquit, *imitatores mei, sicut ego Christi.* Sic igitur ad propositum redeundo: porrectio alterius maxillæ ad nouam percussionem, quamuis perfectorum sit, in tot myriadibus martyrum comprobata, qui etiam singula membra discerpenda persecutoribus prębuissent: tamen non propterea Christiani proficientes, vel etiam incipientes, à conatu serio non imaginatiuo, eiusmodi perfectionis imitãdę liberi esse debent: exemplo vel ipsius Domini nostri, qui alapam quidem iterandam non obtulit, propter rationes supra positas, sed totum corpus à capite vsq; ad plantam, animam deniq; & vitam, in subsequenti passione, pro nobis exhibuit. Aliud quod hic in Christo imitandum proponi-

1.Ioan: 3. ℣ 18
Matt: 21 ℣ 28.
2.Corint: 11 ℣ 20
Prçceptorum Euãgelicorum scopus & obseruantia
Philipen: 4 ℣ 12
Appositum perfectionis Christianę simile
Matt: 5 ℣ 48
1.Corint: 11 ℣ 1.
Innocentia Christi Christianis imitanda.

proponitur, est; vt quemadmodum Christo à calumniatoribus nihil obiici potuerit coram Anna, nisi inquisitio de doctrina, & discipulis eius: sic Christiani ita viuant, vt ab aduersariis nihil illis iustè obiici possit, quàm quòd Christiani sint, & ritu Christiano Deum solum colant. Quam laudem merebantur prisci illi Christiani, quibus nihil aliud præter istud culpæ obiici potuisset, vt Plinius ad Traianũ Imperatorem scribens attestatur.

Plinius iunior lib: 10 epist: ad Traia.

Princeps autẽ sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt: cùm multi falsi testes accessissent. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant; Nouißimè autem venerunt duo falsi testes, & quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, & dixerunt: Quoniam hic dixit. Nos audiuimus eum dicentem: Poßum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Ego dißoluã templum hoc manu factum, ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum dicens illi: Nõ respondes quicquã ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his, & quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit.

Matt: 26.
Marci 14.

Cap: XXVIII De iis quæ cum Christo in illa nocte gesta fuerunt, ex diuersa Euangelistarum narratione, aliquibus dubia fuerunt suborta. Sanctus Clemens Romanus scribit, Christum vinctum priùs deductum fuisse ad Caypham, exinde verò ad Annam, vbi alapam accepisset. Beatus verò Anselmus prorsus oppositũ tradit, Christum quidem primò deductum fuisse ad Annam, ibiq; examinatum, & alapa percussum fuisse: sed ibi tota nocte detentum, manè ad Caypham ibiq; congregatum concilium fuisse perductum. Quantum ad sententiã Clementis, videtur locus ille fuisse corruptus: quòd ibidem scribat, Annam fuisse generum Cayphæ:

Christus quando coram Anna & Caypha iudicatus.
Clemens Const: apost: lib: 5 cap, 16.
Anselm Serm: de passione Domini

Ioann: 18 ℣ 13.

cûm textus Euangelicus clarè aſſerat, Dominum fuiſſe primùm adductum ad Annam, qui fuit ſocer Cayphæ. Sic etiam ſententia Anſelmi in altero extremo deficit: Conſtat enim ex collationibus Euangeliſtarum, Chriſtum nocte illa examinatum fuiſſe, non ſolùm ab Anna, ſed etiam à Caypha, vbi trina negatio Petri contigiſſet. Dicendum ergo, poſt primum examen de diſcipulis & doctrina Chriſti, & poſt acceptam alapam, Dominum ab Anna fuiſſe remiſſum ad Caypham, propter reliquum examen perficiendum, teſtes inducendos, & ſententiã pronuntiandam: ibiq; Petri negationem ſubſecutam fuiſſe: Sed cùm nocte iudicium conuocari, & ſententiam ferri non conueniebat, in domo Cayphæ detentum fuiſſe Dominum, & priuatis contumeliis expoſitum, donec manè concilium conueniens, cum Caypha, ſententiam iniquam proferret: vt Lucas Euangeliſta expreſſiùs declarat: Matthæum verò per anticipationem ſcripturæ vſitatã, ſeriem totius examinis vna narratione continuaſſe. Iudicium

Proceſſus iudicii Chriſti coram Caypha

autem Cayphæ veriſimile eſt, ſumpſiſſe exordium à relatione examinis ab Anna denuntiati: & ad reliquos articulos criminales, propter quos morti adiudicaretur, primò inductos fuiſſe teſtes tres, vel ad minus duos, & non pauciores, ſecundùm legis

Teſtimonia contra Chriſtũ falſa.
Deut: 17 ℣ 6.
cap: 18 ℣ 15.
Matt: 18 16
Ioann: 8 ℣ 17.
3 Reg: 21 ℣ 10

Moſaicæ præſcriptum. Quæ tamen teſtimonia quamuis plura & varia; ſed quia ſibi non conuenientia, ſecundùm eandem legem & ipſum Decalogum, oportuit eſſe reiecta. Huius rei præceſſit figura in Naboth, qui cùm vineam ſuam tyranno Achab denegaſſet, ſuggeſtione impiæ Iezabelis, per ſubordinationem falſi criminis & teſtium, qui filij Diaboli ibidem vocantur, innocenter occiſus, vinea quoq; ſpoliatus eſt: Hinc illa ibidẽ con-

Matt 21 ℣ 15
Daniel: 12 ℣ 34.

clamata querela: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti.* Qualem iniuriam ſibi quoq; à Iudęis irrogatam oſtendit Dominus in parabola vineæ, quando eius locatores occiſis ſeruis cenſum repetentibus, ipſi deniq; Domino non pepercerunt, dicentes: *Ecce hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Illos quoq; duos iniquos Synagogę iudices, poſſunt repręſentare duo illi ſenes apud Danielem, qui propriis calumniis & teſtimoniis quantumuis diſcrepantibus, Suzannã innocentem condemnârunt. Tunc etiam in Chriſto propriè adimpleta ſunt, quę prædixerat Da-

Pſal: 34. ℣ 11.
Pſal: 26 ℣ 12.
Pſal: 63 ℣ 7

uid: *Surgentes teſtes iniqui quæ ignorabam, interrogabãt me.* Et alibi: *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Et iterum:

Scrutati

Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Hæc ibi. Vnde non eſt dubium plura, & à pluribus, falſa & ficta teſtimonia contra Dominum fuiſſe accumulata: ſed quantam & quàm impudentem calumniam inferrent, vel vnico & vltimo recenſito voluerunt oſtendere. Matthęus & Marcus Euangeliſtæ: *Surrexiſſe nimirùm duos falſos teſtes, dicentes ſe ex Ieſu audiuiſſe: Poſſum deſtruere & diſſoluere templum Dei hoc manu factum, & poſt triduum reædificare illud.* Quod quàm calumnioſè proferrent, patet ex ipſis Domini verbis apud S. Ioannẽ: Requiſitus enim ab aduerſariis,

Teſtimonii maximi contra Chriſtum abſurditas & malignitas

quod ſignum oſtenderet tantæ authoritatis, vt vendentes & ementes ex templo eiiceret; reſpondit illis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod ſi aduerſarij bona fide exquiſiuiſſent, de quo templo loqueretur, intellexiſſent, ſicut poſtmodum ipſi Apoſtoli *eum de templo corporis ſui fuiſſe locutum.* Et phraſis ipſa ſenſum intelligentibus, & non calumniantibus, prodebat: Templũ enim ex lapidibus propriè loquendo, non ſoluitur, ſed diruitur; & rurſus dirutum, non excitatur, ſed reſtauratur; vel reædificatur. Trilplex igitur verbis Chriſti importata fuit calumnia: Primò additione verborum: non enim dixerat Dominus: *Templum hoc manu factum, & aliud non manu factum ædificabo: ſed ſoluite* (hoc eſt. Soluetis animam à corpore per mortem) Deinde mutatione: quoniam Dominus dixiſſet, *excitabo,* quod proprium eſt reſurrectioni: illi autem mutauerunt, *reædificabo:* Tertiò ſenſus ipſius inuerſione: Siquidem ſermo Chriſti intelligentibus patebat,

Ioann: 2 ℣ 19

non de templo Salomonis (quod Deus ædificare mandaſſet, & ipſe Dominus non ſolùm circa illam eiectionem vendentium, ſed adhuc puer illud domum patris ſui & rerum ad cultum Dei pertinentium, conteſtatus fuiſſet) *ſed de templo corporis ſui,* quod ſecundùm prophetiam Salomonis, *Sapientia æterna ſibi ædificaſſet,* & in quo ſecundùm Apoſtolum, *omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitaſſet.* Cûm igitur ratio ipſa dictaret, & aduerſarij ipſi aduertere potuerint, obiectiones & teſtimonia illa nullius fuiſſe momenti, meritò Dominus ad illa non reſpondit: vt etiam patientia & ſilentiũ de illo prędictũ, initio illius iudicij cõprobaretur, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Quoniã inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam; & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Propterea

Lucæ 2 ℣ 49
Prouer: 9 ℣ 1.
Coloſen: 2 ℣ 9.
Chriſtus ad teſtimonia contra ſe cur non reſpõdit
Pſal: 37 ℣ 12.

ab eiuſ-

ab eiuſmodi ſilentio Dominus nihil deterretur, quamuis Pontifex ex ſolio conſurgens terrorem incutit, ſeſe iuxta inducta teſtimonia proceſſurum, niſi accuſatus ad obiecta reſponderet.

Humana etiam indigniſſima, cur pertulit Chriſtus Deus.

Leo Serm: 5. de paſſione Domini

Eius ſilentij aliam quoq; rationem S. Leo ſic affert: Hoc erat illud magnę pietatis ſacramentum, quòd Chriſtus conſectabatur iniuriis, quas ſi aperta potentia & manifeſta virtute propelleret, diuina tantùm exerceret, non humana curaret. In omnibus autem, quę illa popularis & ſacerdotalis inſania contumelioſè & procaciter inferebat, noſtræ diluebantur maculę, noſtrę expiabantur offenſæ: quia natura, quę in nobis victa ſemper fuerat atq; captiua, in illo innocens patiebatur, & libera: vt ad auferendum peccatum mundi, ille agnus ſe hoſtiam offerret, quem & omnibus corporalibus ſubſtantia iungeret, & ab omnibus ſpiritualibus origo diſcerneret. Hęc ille.

Matt: 26
Marci 14

Et rurſum ſummus ſacerdos interrogbat eũ, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei viui? Ieſus autem dixit illi: Tu dixiſti. Ego ſum. Verumtamen dico vobis. A modò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit: quid adhuc deſideramus teſtes? Ecce nunc audiſtis blaſphemiã. quid vobis videtur? At illi omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. Et reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. Et tunc viri illi qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et expuerunt in faciem eius, & velauerunt eum, & colaphis eum cæciderunt: alij autẽ palmas in faciem eius dederunt, & percutiebant faciẽ eius, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Et miniſtri alapis eum cædebant.

Cap: XXIX

Legum

Adiuratio quid, & in filium Dei quã iniqua

Legum criminalium communis ordo eſt, deficientibus teſtimoniis quę per ſcrutinia geruntur, reo iuramenti purgationem indici. Loco cuius Pontifex ſeueriorem incutit adiurationem: quæ Latinis eſt quod Græcis exorcizatio, videlicet per ſummã Dei viuentis poteſtatem, rei alicuius occultę indubia exploratio, præſertim per magiſtratum aliquem temporalem indicta. Hebræi autem vocabant Deum ſuum, ſicut *vnum*, ſic *viuum, vel benedictum, ad differentiam idolorum, quæ ſicut natura nihil erant*, ſic multitudine & varietate diuinitatis proprietatem & maieſtatẽ non aſſequebantur.

1 Cor: 8 ℣ 4

Cayphas cum ſuo collegio fide ſuperabat Arianos

Quærit ergo Pontifex, an Dominus, cùm homo ex Maria & Ioſepho prognatus illis videtur, aſſerat ſeſe (quod paſſim faciebat) filium, non Iouis, Saturni, vel cuiuſpiã idoli ex hominibus vel creaturis ficti, *ſed filium Dei benedicti*, hoc eſt, veri & naturalis? In quo certè impius Cayphas ſuperat fide execrabiles Arianos, ſaltem credens Deum generare, & poſſe habere filium ſibi ſimilem & æqualem.

Ioann: 10 ℣ 24
Iſa: 35 ℣ 4

Inſuper quando & hoc loco Cayphas, & alibi Iudæi, ex profeſſo inquirunt, *an ipſe eſſet Chriſtus*? proculdubio intelligunt illum promiſſum Meſſiam, qui in humana quantumuis ſpecie, eſſet tamen Deus verus, ſecundùm illud Prophetæ: *Ipſe Deus veniet, & ſaluabit nos.* Fortaſſe ergo Pontifex & tunc, ſupra impietatem Arianam, non diffitebatur, Meſſiam quamuis hominẽ, poſſe etiam eſſe Deum: niſi quòd futurum eius aduentum glorioſum, à mortali ac humili non diſcernebat.

Tu dicis, ſumma aſſecuratio apud Hæbreos.

Matt: 26 ℣ 25
Matt: 27 ℣ 12

Propterea Dominus hoc ipſum declarat, reſpondens Pontifici: *Tu dicis.* Eſt autem Hebræis aſſeueratio, quaſi ex proprio interrogantis ore confirmata & conuicta: qua Dominus etiam antehac vſus fuiſſet Iudam proditorem indicans: & coram Pilato ſciſcitante, an ille eſſet Rex Iudæorum? Addit mox Dominus quam diximus declarationem, per particulam aduerſatiuam:

Chriſtus compelatus homo reus, iudicem Deum ſe eſſe declarat.

Ioann: 1 ℣ 51

Verumtamen (inquit) *à modo videbitis filium hominis, ſedentem à dextris virtutis Dei.* Vbi particula, A modo, ſonat tempus & ſtatum à præſenti longè alienum, proptereaq; fide non experientia percipiendũ: ſicut eadem particula vſus eſt, quando in vocatione prima diſcipulorum, iis qui *à Nazareth nihil boni venturum reputabant*: prædicebat, quòd qui tunc Deum ſeſe agnoſcerent quando Nathaelem abſentem ſub ficu præuidiſſet, magis id ipſum aſſerit experturos, *quando viderent cælum apertum, & Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.* Id enim euidentiſſimum

tiſſimum ſignum erat diuinitatis, quòd ſuper *filium hominis cælum aperiretur: & quòd Angeli ſuper eum, non prius deſcenderent de cælo, ſed aſcenderent,* illius quaſi adorationem in terris continuantes, de
Heb. 1 ℣ 6. qua dixit Apoſtolus: *Cùm* (Deus Pater) *introduceret filium in orbem terrarum, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Simili particula vſus
Matt: 26 ℣ 29 eſt Dominus, quando in cœna nouiſſima dicebat: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vſq; in illum diem, cùm illud bibam vobiſcum*
A modo. quid ſonat. *nouum in regno Dei.* In omnibus enim iſtis locis habetur particula
Lucæ 22 ℣ 62 Græca ἄπ, ἄντι cui correſpondet apud Lucam, ἀπὸ τȣ͂ νῦν; ex nunc, vel ex hoc, diuerſum tempus & ſtatum rerum indicans. Quæ Chriſti locutio ſimilis eſt illi prophetiæ, quam citat S. Ioannes: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui*
Apoc: 1 ℣ 5 *eum pupugerunt.* Iſtam reſponſionem Chriſti iniquus Pontifex
Sciſſura propria veſtimenti quid ſignabat, & quale præſagium. ferre non valens, *ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit: quid vobis videtur?* Quòd certè zelator legis ſcilicet, fecit contra legem, *quæ prohibet Pontificem ſcindere veſtimenta ſua, etiam in acerbiſsimo lu-*
Leuit: 21 ℣ 10.
Leo Ser: 6. de paſſione Domini *ctu mortis patris aut matris ſuæ:* præſertim quòd conſuetudo iſta gentilibus eſſet vſitata, vt ex antiquiſſimo Poeta conſtat: quales
Homerus Illiados 10. mores populum Dei æmulari non liceret. Vnde etiam per Pro-
Ioel 2. ℣ 13. phetam illa reprehenſio. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra:* quod & impius iſte Pontifex ſuper innocentia Chriſti face-
Hierony: in Matt: caput 23. re debuiſſet. Sed, ſecundùm B. Hieronymum, hoc facto, ſicut
Theophilactus & Beda in cap: Marci 14 poſtmodum in ſciſſura veli templi, myſticè ſignabatur ſciſſura Pontificatus legalis, & ipſius Synagogę: ſicut & olim diuiſio Re-
Matt: 27 ℣ 51 gni Salomonis, cõſciſione ne pallij prophetici ſignabatur. Bla-
3 Reg: 11 ℣ 30 ſphemiæ igitur contra legem inſimulatum Dominum, iniquiſſi-
Blaſphemiæ læthalis inſimulatur Chriſtus. mus Iudex cum ſuo conciliabulo, prætextu legis Moyſis, morti adiudicat. Quale præiudicium tentatum ab eis erat, quando
Leuit. 24 ℣ 14. 16. iidem aduerſarij Domino dicebant: *Propter bonum opus non te la-*
Ioann: 10 ℣ 33 *pidamus: ſed de blaſphemia, quòd homo cùm ſis, facis teipſum Deum:* &
Ioan: 19 ℣ 7. poſtmodum fuit conſummatum coram Pilato, quando dicebãt: Cap:
Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filiũ Dei ſe fecit. XXX

Conſpuitio faciei Chriſti quàm cõtumelioſa. Porrò tanto crimini & exinde morti deſtinatum Dominum, publicę exceperunt contumelię: prius conſpuitione facie, quẽadmodum ipſe Dominus Apoſtolis prædixiſſet. Hoc autem ex-
Marci 10 ℣ 34
Lucæ 18 ℣ 33
Iob 30 ℣ 10 tremæ fuiſſe apud homines ignominiæ, teſtatur lex, & B. Iob in perſona Domini, dicens: *Abominantur me, & longè fugiunt à me, &*
Hiſtor: Scholaſt: in Exod: 32. *faciem meam conſpuere non verentur.* Hiſtoria (vt vocatur) Scholaſtica, ad-

ſtica, ad-

ſtica, adducit quandam traditionem, Hur ſacerdotem, quòd in abſentia Moyſis reſtitiſſet populo Dei ne adoratet vitulum, fuiſſe ſputis populi indignantis in facie obrutum. Quòd veriſſimè Saluatori noſtro contigit, qui propter diuinitatis cum Deo Patre communis confeſſionem, ſputis impiorum impetitur. So-
rori Moyſis Mariæ, pro magna ignominia reputabat Deus, *ſi pa-* Nume: 12 ℣ 14
ter in faciem eius ſpuiſſet: quantam nos reputabimus, quando in fa- 1 Petr: 1 ℣ 12
ciem illius, *in quem deſiderant Angeli proſpicere,* latrones impuriſ- Iſa: 50 ℣ 6
ſimi conſpuere non verentur? Quod tamen Dominus patienter ſuſtinuit, ſicut prædictum erat per Prophetam: *Faciem meam non*
auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Citat Lactantius Si- Lactan: lib: 4 cap: 18 ex libro 8. oraculorũ Sibyllæ
byllæ Erythreæ de hoc verſus, ſic prædicentis:

In iniquorum manus infidelium poſtea veniet.
Dabunt & alapas manibus inceſtis,
Ad viroſa genas præbebit ſputa pudentes:
Verberibuſq; ſacrum tradet proſcindere tergum.

Et alibi: *Impingent colaphos, vitioſaq; ſputa ſceleſtis*
Iſrael labiis.

Similem prędictionẽ legimus apud antiquiſſimũ Clementẽ Ale- Clemens Alexa: lib: 5 Stromatum apud Euſeb: de præparat: Euang: libro 13.
xandrinũ in hęc verba: Scripturæ quæ dicit: *Tollamus à nobis iuſtum illum, quoniam inutilis eſt nobis,* Plato tantùm non prophetans de ſalutari œconomia & diſpenſatione (redemptionis noſtræ)
in 2. de Republ: libro, per quàm ſimilia memorat. Ad hunc mo- Lactantius lib: 5 cap: 12 ex Cicero:
dum (inquit) animatus iuſtus ille flagris cædetur, excruciabitur, vincietur, oculis priuabitur: poſtremòq; mala oña perpeſſus, in crucẽ agetur. Hęc ibi. Qui locus deſumptus eſt ex libro Sapi-
entiæ Cap: 20. v. 17. & Iſaiæ Capite 57. vbi iuxta Gręcam verſionẽ Iſaiæ 57 ℣ 1
ſic legitur; quod etiam Eccleſia canit: *Ecce quomodo moritur iu-* Sabbat ſancto in Reſponſor 3 ſecundi nocturni
ſtus, & nemo percipit corde. Viri iuſti tolluntur & nemo conſiderat. A fa-
cie iniquitatis ſublatus eſt iuſtus: & erit in pace memoria (vel ſepul- Iuſti: cum Tryphone
tura) *eius.* Qualem perſecutionem Iuſtinus martyr accommo- Iudicum 16.
dat perſecutioni Iudaicę in Chriſto & membris eius completę. Similis typus præceſſit in Samſone, qui alioqui inuictus, ſed per dolum ligatus, oculis poſtmodum priuatus erat, vt facilius vindictæ modo ſublato, illuderetur. In illa autem quam Plato attigiſſe videtur prophetia, ratio tantæ in filium Dei crudelitatis,
in fine additur iſtis verbis: *Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæca-* Sapient: 2 ℣ 21
uit enim illos malitia eorum. Veriùs igitur *velamen iſtud per Moyſen* 2 Cor: 3 ℣ 13

olim

olim adumbratum, afficiebat oculos cordis eorum, vt cæcitatem & reprobationem irreuocabilem, per iſtas Chriſti contumelias & mortē, in poſteritatē quoq; ſuā traducerēt & propagarent. Prophetiam verò à Domino contumelioſè exigunt eò quod à plebe paſſim pro ſummo illo à Moyſe promiſſo Propheta habebatur. In eiuſmodi improperiis & contumeliis totam reliquā noctem fuiſſe conſumptam, credibile eſt: quam quomodo gallus cantu fatali veriùs, quàm naturali, ad Petri negationem diſtinxiſſet, iam audiamus. Vbi tamen præmittendum eſt, examen illud & iudicium, quod nocte peractum eſſet, & quod Matthæus anticipatiuè in continuam redigit hiſtoriam, fuiſſe manè pleniori concilio apud Caypham iteratum. Sic enim Lucas ſcribit:

Deut: 18 ℣ 15
Lucæ 7 ℣ 16
Beda in Marci cap 14.

Iudicium & damnatio Chriſti nocte inchoata, in die peracta

Lucæ 22 ℣ 66

Et vt factus eſt dies, conuenerunt ſeniores plebis, & Principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt eum in concilium ſuum dicentes: Si tu es Chriſtus dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero non credetis mihi: ſi autē & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt. Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius.

Vnde apparet ſententiam noctu à Caypha prolatā, in publico illo Conuentu poſt publicam Domini confeſſionem, fuiſſe etiā publicatam: atq; exinde pro executione ad Pilatum remiſſam.

Matt. 26.
Marci 14
Lucæ 22
Ioann: 18

Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, acceſſit ad eum vna ancilla, ex ancillis ſummi ſacerdotis, & cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, & ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita dixit: Et hic cum illo erat: Dixit ergo Petro ancilla oſtiaria: Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Et tu cum Ieſu Nazaræno eras? At ille negauit eum coram omnibus dicens: Non ſum. Mulier, non noui illum. Neq; ſcio, neq; noui quid dicas. Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis Petrus ſtans, & calefaciens ſe. Et exiit foris ante atrium, & gallus cantauit. Exeunte autem illo ianuam, & rurſus cùm vidiſſet eum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus, his qui erant ibi: Quia & hic erat cum Ieſu Nazaræno. Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Dixerunt ergo ei: Nunquid et tu ex diſcipulis eius es? Petrus verò iterum negauit cum iuramento. Quia non noui hominem, & dixit: O homo non ſum. Et poſt puſillum rurſus interuallo facto quaſi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus eſt. Et acceſſerunt qui aſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifeſtum te facit. Dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonné ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit, & ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Ille autem tunc cœpit deteſtari, & iurare, quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. Et ſtatim adhuc illo loquente, gallus iterum cantauit. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini Ieſu, quod dixerat ei: Quia priuſquàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus, fleuit amare.

Cap: XXXI.

Iudicio quod de Chriſto condemnando peragebatur, rectè
Euangeliſtę interferunt hiſtoriam negationis Petri, quòd eadem
ipſa nocte fuiſſet cōmiſſa. Plura hic ſolent inferri dubia: neq;
mirum, deficiente fidei magiſtro, diſcipulorum quoq; captum
Euangeliſtas conciliandi rationes potiſsimæ
circa hoc factum langueſcere. Quæ tamen non pariunt difficul-
tatē, ſi quis conſiderauerit: primò, Euangeliſtas ſolere ſupplere,
quod alij omiſiſſent: deinde eadem ipſa quæ ab aliis narrantur,
alios aliis verbis, propter maiorem elucidationem enarrare:
tertiò, ſenſum aliquando magis, quàm ipſa verba ſpectare: quar-
tò, propter diuerſam interdum narrationis ſeriem, more ſcri-
pturarum, rem aliquando recapitulatione ſuperiorum, vel è cō-
uerſò, anticipatione futurorum, enuntiare. Talia ergo pleni-
oribus Cōmentariis relinquentes, aliqua ad ſenſum hiſtoriæ ma-
Negatio Petri, qualis culpa. 1 Timoth: 5 ℣ 8.
gis neceſſaria attingemus. Primò autem negationem iſtam Pe-
tri, aliqui extremo piaculo remiſſione indigno atribuunt: quòd
petra fidei in præſentia Domini, *fidem abnegaſſet, factus infideli de-*
August: tract: 113 in Ioannem. Beda in Marci cap: 14 Tertulian: in Scorpiaco
terior. Auguſtinus enim & Beda aſſerunt, duplici illum negatio-
ne, idq; maxima, deliquiſſe: vna quòd negaret Chriſtum ne qui-
dem ſibi notum fuiſſe; altera quòd diffiteretur ſe eſſe eius di-
ſcipulum, hoceſt Chriſtianum. Ideo ſubinfert Auguſtinus: Pe-
trus ſi negato Chriſto hinc iret, quid aliud quàm periret? Pa-
ris enim infidelitatis eſſe, negare Chriſtum, & negare ſe Chriſti-
anum; vt etiam Tertullianus efficaciſſimè comprobat. Aliqui
rurſus nihil illum deliquiſſe, ſed prædictionem Chriſti, non ſua
voluntate, ſed præſcientiæ diuinæ neceſſitate eueniſſe. Bre-
uiter dicendū: Chriſtum vt Deus eſt, præuidiſſe atq; prædixiſſe
trinam Petri negationem, tamen liberam & voluntariam, quæ
vel gallo monitore ſeipſam corrigeret; Et cùm diuinum opus
Chryſoſto: 86 in Matt:
ſit, ex malis bona elicere, Chriſtum eam negationem permiſiſſe,
vt ſecundùm Chryſoſtomū, ex lapſu vt homo, cōuerſus, deinceps
Theodor: Sermo de charitate
veluti fidei petra cælitus deſtinata, fide nunquam deficeret, ſed
potiùs lapſos confirmaret. Perpulchrè Theodoretus: Petrus (in-
quit) ſauciatus deſiderio, cùm priùs didiciſſet futuram nega-
tionem, latere noluit ſed ſatiùs duxit ſequens negare, quàm
fugiens confiteri. Quod enim ab amore, & non à temeritate
proficiſcitur hæc ſequela, res ipſa teſtatur. Neq; enim poſt ne-
August: tractatu 113 in Ioann:
gationem in animum induxit vt magiſtrum relinqueret, ſed fle-
uit amare. Et Auguſtinus. Ecce (inquit) medici completa eſt
prædi-

prædictio, ægroti conuicta præſumptio. Non enim factum eſt
Ioann: 13 ℣ 37 Marci 14 ℣ 30
quod iſte dixerat, *animam meam pro te ponam:* ſed factū eſt quod
ille prædixerat, *ter me negabis.* Hæc ille. Secundò. Aliqui recen-
Petrus quoties negauit Chriſtum
tiores imputant Petro non trinam, ſed quinquenā vel ſeptenam
negationem, quòd eo numero ab Euangeliſtis referatur: Non
ſatis tamen (proclamati licet Theologi) expendentes morem
ſcripturæ, quem Euangeliſtæ fuiſſent ſecuti, vt paulò ante dixi-
mus. Quemadmodum enim galli-cantum, ſic negationem Petri,
Heb: 6 ℣ 18
certo & proportionato numero diſtinxit Dominus *quem impoſſi-*
Origenes tractatu 35 in Matt:
bile eſt mentiri, & quod, ſecundùm Originem, iuramento firmaſ-
Ioann: 21 ℣ 15,
ſet, trinam tantùm denuntiauit. Quòd demùm poſt ſuam reſur-
ctionem confirmauit, quando in collatione *ſupremi in oues ſuas*
paſtoratus, trina dilectionis vſq; ad Petri tædium, diſquiſitione, trinam
viciſſim eius dolentem negationem correxit atq; compenſauit.
Ioann: Apoſtolus quomodo notus Cayphæ
Tertiò, non deſunt, qui negant diſcipulum, qui Petrum in do-
mum Pontificis introduxiſſet, fuiſſe Ioannem: quòd nimirum
Ioannes vilis piſcator, & poſt Chriſti diſcipulus, ad notitiā Pon-
tificis non ſatis videretur idoneus: tùm quòd Petro, ſi non cau-
ſa, certè occaſio negationis extitiſſet. Dicendum: abſq; dubio
fuiſſe Ioannem. Primò, quòd eidem moris ſit, propter modeſti-
am, ſuiipſius mentionem indefinitè, vel alia circumlocutione
Ioann: 13 ℣ 23 & cap: 19 ℣ 16
proferre; quod etiam paulò ante, circa cœnā feciſſet: Deinde,
quòd Chriſto etiam circa crucem ad mortem vſq; aſſiſtens, non
Nicephorus libro 2 Hiſt: Eccl: cap: 3
expreſsè ſeipſum nominat: Tertiò, Nicephorus refert quadam
traditione, Ioannem Cayphę Pontifici vendidiſſe domum hęre-
ditariam in Galilæa, vnde comparauerit domum Ieroſolymis
porticui Salomonis vicinam, & exinde notitiam cum eo contra-
xiſſe. Quod licet non ſatis reſpondeat perfectiſſimæ paupertati
Gregorius Cedrenus in compendio Hriſt: Nazianze: in Tragœdia Chriſtus patiens
Apoſtolicæ, quando dicitur idem ipſe *Ioannes cum fratre ſuo Iacobo,*
relicto nauigio, retibus, & ipſo patre ſuo Zebedeo, Dominum fuiſſe ſecutos:
Tamen quia præter Nicephorum alii idem aſſerunt, & Grego-
rius Nazianzenus inſinuat: dici poteſt, in illa ſua vocatione, Io-
annem domum illam quæ forte ſibi etiam hæreditate ceſſerat,
tanquam templo vicina, Chriſti & Apoſtolico contubernio con-
Lucæ 22 ℣ 8
donaſſe. Si modò miſſio eiuſdem Ioannis cum Petro ad præpa-
randam vltimam cœnam in eadem domo, huic facto conueniat.
Si quis igitur hoc certioribus rationibus impugnaret, ſimplici-
ùs ratiocinabimur, Ioannem ex proprietate nominis, ſicut ipſi
Chriſto

Chriſto, ſic etiam omnibus amabilem, & apud Pontificem, vel eius familiam, aliquid fauoris habuiſſe. Quæ coniectura confirmari poteſt, quòd ex Apoſtolis ſolus Ioannes propter ſimilem fortaſſe fauorem, cum Maria matre, Chriſto circa crucem ad finem vſq; intrepidè adſtitiſſet. Vnde & alia obiectio diſſoluitur, illum ſubſequutæ negationi, neq; cauſam, neq; occaſionem extitiſſe; quòd proculdubiò vtriuſq; intentio fuiſſet, Chriſtum nõ abnegandi, ſed ſequendi, & videndi finem; quòd ſperarent miraculoſam ſui ex manibus iudicum liberationem, niſi in Petro & metus & myſterium quòd ſupra diximus, negationem extorſiſſet.

Ioannes non erat cauſa negationis Petro

Vide Iuſtinum Marty: quæſt: 58.

Matt: 26 ✝ 58

Cap: XXXII

Negatio Petri trina, & in domo Cayphæ facta

Quintò, ambigitur de loco & modo, in quo & coram quo, tùm ad cuius inſtantiam, Petrus negationes cõmiſiſſet? S. Hieronymus, Beda, & qui eos ſequuntur, putant primam negationem in domo Annæ contigiſſe: quod etiam videtur colligi ex contextu B. Ioannis, qui teſtatur, Chriſtũ comprehenſum, ductum fuiſſe primò ad Annam: poſtea recenſito examine & teſtimoniis prioribus, dicit eum Annã miſiſſe ad Caypham, vt interea nocte iam ingraueſcente, ſicut primus galli cantus, ſic prima etiam Petri negatio fuiſſet ſubſecuta: ad quod etiam duę ancillæ negationis pronubæ referuntur, quarum vnam Annæ, alteram Cayphæ fuiſſe, ſuſpitio eſt. Origenis tamen, & aliorum, cõmunis & probabilior ſententia eſt, omnes tres negationes in domo Cayphæ fuiſſe cõmiſſas. Ratio manifeſtiſſima eſt: quia tres primi Euangeliſtæ, quaſi vno ore narrant, negationes illas contigiſſe in domo Pontificis, quem tunc Cayphas agebat. Alioqui etiam ſequeretur, negationes plures fuiſſe quàm tres, quod ſuperiùs refutatum eſt. Satiùs ergo dicemus: Ioannem occaſione mentionis ſequelæ ſuæ & Petri, quæ ſtatim poſt captũ Chriſtum & Apoſtolorum diſperſionem, ad Annam fuiſſet ſubſecuta, anticipatione quoq; introductionem Petri, & ſubſequentem negationem (alioqui coram Caypha factam) enarraſſe. Ancillas autem apud Caypham duas vel plures fuiſſe, non fuit inconueniens: primò, quòd eius vxor ſummi Pontificis & filia & coniunx, gynæceo abundare poſſet, vt Marcus insinuat: tùm quòd cum vna *ancilla* à Ioanne dicatur *fuiſſe oſtiaria*, quæ in primo introitu Petrum ſenem (qualis ætas huic ſexui ſolet eſſe inuiſa) examinaret, poſtmodum alteri ſociæ, quæ fortaſſe foco adquem calefieret Petrus, præeſſet, ſuſpitionem ſuam inſuſurraſſet, & ſic gar-

S. Hierony: & Beda in Matt:

Origenes tractatu 35 in Matt:

Ancillæ in domo Cayphæ petri negationis adminiſtræ

Marci 14 ✝ 66 69

ſic garrulitas fœminea ad alios quoq; ſeruos & milites, & cognatum Malchi vulnerati criminationẽ tranſmitteret. Nam ad duplicem galli monitionem, & triplicem negationem, quatuor inſuper inſultus & explorationes, *veluti quadruplex negotium perambulans, in tenebris, & veluti cribrationem illam ſathanæ à Domino præmonitam, ſubierat Petrus.* Primum ab ancilla oſtiaria, quam euaſit ſimplici negatione dicens: *Non ſum: Mulier, non noui illum.* Et poſt hanc negationem dicitur primò *gallus cantaſſe*, quem tamen cantum Petrus, fortaſſe terrore obrigente memoria, non legitur aduertiſſe. Secundus impetus factus eſt, frigente exterius & interius Petro, & *cum miniſtris ad ignem calefaciente ſe*, ex ſuggeſtione alterius ancillæ miniſtris: Qui cum cõmuni voce interpellaretur, quòd ex ſociis *vel diſcipulis Ieſu eſſet*, ad diſertiorem negationem (*ô homo non ſum*) ſecundùm Matthæum, addidit etiã iuramentũ. Tertius inſultus factus eſt, maiore fortaſſe facto concurſu, quando *ex loquela quæ Galilæum argueret*, aucta eſt ſuſpitio. Omnes ſiquidem linguæ ſicut ab initio, propter ſuperbiam, in ſua genera fuiſſent diuiſæ, ſic etiam ſpecie diuerſas ſolent habere dialectos, ſeu locutionis & pronuntiationis modos: Et vt ſcribit B. Hieronymus, vnamquamq; prouinciam & regionẽ habere proprietates ſuas, & vernaculum loquendi ſonum vitare non poſſe. Cuius rei inſigne exemplum habetur in libro Iudicum: *vbi Galaaditæ Euphatæos ad necem explorabant pronuntiatione verbi Schiboleth*, quod illi non niſi acutiori veluti ſibillo Sibboleth, enuntiare potuiſſent. Similis pronuntiatio in lingua noſtra Polonica diſcernit Polonos, à Mazouitis: ſicùt in Latina enuntiatione, ſaltem litera v, & f, Germanos: litera verò l, Vngaros, aliis nationibus prodere ſolet. Iſta obiectio cùm viſa fuiſſet imbecillior, (nõ omes enim Galilæi poterant eſſe Chriſti diſcipuli) ſuperuenit quartus inſultus, nimirũ euidẽtius teſtimoniũ *à cognato Malchi, cuius Petrus auriculã amputaſſet, qui ſe illũ in horto cum Ieſu vidiſſe aſſereret.* Vnde Petrus cõſternatus, & noui criminis obiectionẽ reueritus, ad priores negationes & iurãentũ, ſuperaddidit *deteſtationẽ & anathema, quòd non nouiſſet hominẽ.* Propter tãtas execrationes ab aduerſariis remiſſus, & fortaſſe deteriora extimeſcens, *exiuit foras.* Interea Ieſus magis de ſuis, quàm de ſeipſo ſollicitus, ſiuè eminùs ſtãs corã iudice, ſiue ad cuſtodiam ductus, reſpexit Petrum, non ſolùm exteriùs, ſed interiùs quoq;

Pſal: 90 ✝ 6

Lucæ 22 ✝ 31

Linguarum diuerſitas vnde eiuſq; dialecti:

Gene: 11 ✝ 7

Iudicum 12 ✝ 6

quoq; auxilium ad resipiscentiam ingerendo. Successit mox iteratus galli cantus, prædictionẽ Dñi animo Petri ab eodẽ Domino reparato suggerens: quorum vtrumq; ad fletum amarum & pœnitentiam Petrum reuocauit. Cùm etiam reuera non tam deliberata ratio, quàm animalis passio, à Coryphæo fidei negationem talem extorsisset. Quòd pulchrè cecinit Prudentius.

Petri negatio ex animi defectu non affectu.

Prudentius in lib: Cathimorinon

Fleuit negator deniq; *Cùm mens maneret innocens*
Ex ore prolapsum nefas. *Animusq; seruaret fidem.*

Hilarius Can: 30 in Matt:
Hieron: super eundem locum
Ambro: in Lucã
Idem Serm. 43 de fide Petri
August: tract: 66 in Ioannem.
Leo Serm: 9 de passione Dñi

Quod tamen non sic accipiendum est, vt senserunt, Hilarius & Ambrosius, quasi Petrus dicendo, non noui hominem, negasset Christum, vt homo est, sed non, vt Deus: quia secundùm Hieronymum, etiam ut Deum negauit, prædicente Christo, ter me negabis. Quòd & idẽ Ambrosius alibi sic diluit: fidelior factus est (Petrus) postquam fidem se perdidisse defleuit, atq; ideò maiorem gratiam reperit, quam amisit. Similiter & ipse Hilarius, quando sic alibi scribit: Neganti quidem, claues tamen regni cælorum non ademit; quia cùm per trepidationẽ obrepsisset negatio, voluntati tamen vsq; ad martyrium confitendi fides firma non deerat. Hæc ille. Idem colligitur ex perhenni Petri pœnitentia. Testatur enim Clemens eius discipulus & successor, eum assiduè ferè, sed plerunq; per singulas noctes ad galli cantum surrexisse, & vnicum delictum incessantibus lachrymis expiasse: vt ad oculos assiduo fletu extergendos, linteum subinde madidum gestauerit. Monstratur etiam hucusq; inter locum Ierosolymæ & montem Sion, Ecclesia tituli S. Petri, quæ dicitur fuisse ædificata in illa spelunca, in qua Petrus ab ipsa negationis hora, vsq; ad nuntium Dominicæ resurrectionis, in fletu & ieiunio dicitur seipsum abdidisse. Triplicem istam tentationem B. Hieronymus ad peccati gradum sic accomodat. Prima, (inquit) ancilla, titubatio (seu suggestio) est: secunda, consensio: tertius vir, actus est. Sic ille. Cæterùm (vt Dominus ipse loquitur ad B. Iob) *quis dedit gallo intelligentiam?* vt magistrum fidei voce vigili à perfidiæ iactura corrigeret? Auis istius naturam sic descripsit Plinius: Proximè (inquit) gloriam sentiunt, & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit. Norunt sydera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia, ad curas, laboremq; reuocãt. Nec solis

Petri pœnitentia perhennis
Clemens in Recognitionibus

Hierony: in cap: 14. Marci
Beda super hunc locum
Galli natura, & in excitanda fide petri mysteria
Plinius lib: 10 histo: natutalis Cap: 21
Castrensis vigilia

Cap: XXXIII

solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; veniente nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum. Imperitant suo generi, & regnum, in quacunq; sunt domo, exercent. Dimicatione paritur hoc quoq; inter ipsos, velut ideò tela agnata cruribus suis intelligentes: nec finis sæpè comorientibus. Quod si palma contingit, in victoria canunt, seq; ipsi principes testantur. Victus occultatur silens, ægreq; seruitium patitur. Et plebs tamen æquè superba graditur ardua ceruice, cristis celsa, cælumq; sola volucrum aspicit crebrò; in sublime caudam quoq; falcatã erigens. Itaq; terrori sunt etiam leonibus generosissimis ferarũ. Et infra: Desinunt canere, castrati &c. Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publicè editur, ceu gladiatorum. Inuenitur in annalibus in Ariminensi agro, M. Lepido, Q. Catulo Cõsulibus in villa Galerij, locutum gallinaceum, semel quod quidem sciam. Hactenus Plinius non extra propositum nostrũ. Auis omninò solaris est, hilaris inprimis & animosa, quam etiam solam inter animalia Philosophus propterea à tristitia post congressum prolificum exceperit. Inde etiam instinctum accepit, vt vicissitudines solis primarias, quæ noctu diuq; maxime circa auroram in angulis horizontis contingunt, obseruare, & cantu vigili, veluti ad comunem lætitiam inuitatorio, distinguat & denuntiet. Vnde *potestatem illam tenebrarum, quæ erat ad comprehendendum Dominum idonea*, & quæ Petrum etiam ipsum multa de viribus suis præsumentem, affecisset, galli intelligentia à Domino instincta ad lumen fidei reuocat: vt primus quidem cantus noctis intempestæ, tenebras perfidiæ argueret, secundus verò in exortu auroræ, ad excutiendas erroris tenebras inuitaret. Ad quod eleganter allusit hymnus Ecclesiasticus, his versiculis.

Aristoteles
Lucæ 22 ℣ 53
In Officio Dominicæ per annum ad Laudes

Præco diei iam sonat. *Noctis profundæ peruigil* &c.
Hoc omnis errorum chorus *Viam nocendi deserit* &c.
Hoc ipsa petra Ecclesiæ *Canente culpam diluit.*

Cap: XXXIIII.

Et plura ibidem ad hoc propositum. His ad literam ita expositis, aliquot documenta fidei & moribus seruientia subiiciamus. Primum est: Non sine diuina dispensatione factum fuisse, vt quando magister cælestis de sumis articulis legis disquiretur, & veritas ipsa essentialis calumniis humanis impeteretur, tunc eius quoq; in officio Vicarius in fide exploraretur: & sic, cui *non caro & sanguis, sed pater cælestis donum fidei indidisset*, humana id sibi

Dogmata fidei & morum ex Petri lapsu
Matt: 16 ℣ 13

ſibi preſumptio non arrogaret, & propterea homo deficeret,niſi Deus reſpiceret. Secundò: Petrus ſolidum petræ fundamentũ accipiens, quando per fugam à Domino abſolutus Synagogæ malignantium commiſcetur; *tangens picem*, contra doctrinam ſacram, *ab ea coinquinatur, & cõmunicans iugo infideliũ*, ſuccumbẽs infidelitatẽ incurrit: vt petra ſuper arenam poſita labeſceret, fides eminente perfidia langueret: rurſus verò ea ſeſe erigente, velum ſynagogæ quateretur, veſtimentum Pontificis & cor dolentis Petri diſciſſa, ruinam legis prætenderet. Tertiò, vel exinde conſiderari poteſt, viris ſpiritualibus quàm ſit exicioſa conuerſatio ſæcularis, præſertim verò aulica. Aula ſiquidem mundi vanitatis & malignitatis ſumum eſt theatrum; vt verè vel ex iſto Petri exemplo dici ſoleat:

Cõuerſatio bona vel mala quantũ poteteſt

Eccli: 13 ℣ 1.

2 Corint: 6 ℣ 14.

Miræ circa negationem Petri Antitheſes

Aula etiam Romana vanitatis & nequitiæ theatrũ & illæcebra etiã Petri exemplo

Exeat aula, qui cupit eſſe pius.

Eoq; malum iſtud nocentius eſt, quò non minùs ſæcularibus quã Eccleſiaſticis familiare. Res conſideratione & admiratione digna: Pilati cohortes, Hærodis exercitus, non tantum ad fidem Petri labefactandam potuêre, quantum Pontificis paraſiti, & ancillarum ſtationes præualuêre. Proh dolor, ſi non idẽ in pleriſq; Prælatorũ aulis reperias. Excreuit, eheu, adoleuit, & palmites per vniuerſam Eccleſiam miſit, impia illa deſolationis Chriſtianæ diſciplinæ abominatio, quam olim S Bernardus in ſumma etiam Romanæ Eccleſiæ Curia notauit, plures in ea defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe: adeò vt eos qui extremæ ſunt in fallendo impudentiæ, Romaniſtas & Corteſanos Chriſtiana denominare & abominari ſoleat conſuetudo: & contra tales noſtra lex municipalis pænam extremæ etiã infamiæ & confiſcationis promulgare neceſſe habuerit. Quod tamen de omnibus intelligi, abſit etiã cogitare. Quartò expendendum hîc eſt, verè in S. Petro comprobatum fuiſſe, quòd pronunciauerit ſacer ſapiens his verbis. *Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris: ſors peccatorum cadet ſuper illam. Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto.* Hæc ibi. Hæc, inquam, ſi ad amuſſim affecerunt eum, cui reuelatio cæleſtis initiò affulſiſſet, qui petra terrena à cæleſti deriuata, fundamentum Eccleſiç ſuſtentaret, cui claues regni cælorum, & ouile Chriſti committeretur: pro quo Dominus impetrauit, ne fides ſua deficeret; quid quæſo audaciæ & dementię eſt, fęminarum greges paſſim in domi-

Romaniſtæ & Corteſani

Bernardus de cõſideratione lib: 4. cap; 4:

Fæminarum improbitas præſertim in clericos

Eccli: 25 ℣ 26.

Matt: 16 ℣ 18

Lucæ 22 ℣ 31

in domibus, in plateis, in foro, in Eccleſiis, in Clericorum contuberniis, ſed & quandoq; in Monaſteriorum clauſtris, ſub prętextu neſcio quorum officiorum vel miniſteriorum ſpiritualium frequentari? Vndè mirum non eſt, fidem & Orthodoxam doctrinam apud tales, ex Cathedris quidem obſtrepere, ſed factis & exemplis langueſcere. Quintò, quòd Dominus Petrum, quem columnam fidei conſtituiſſet, cadere permiſerit, duplex exinde elicitur eruditio. Primam ſic refert B. Gregorius: Conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus, eum quem cunctæ Eccleſiæ pręficere diſpoſuerat, ancillæ vocẽ pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit? Quòd nimirùm magna actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus: vt is qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet. Aliam rationem Auguſtinus adfert: Audeo (inquit) dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertũ manifeſtumq; peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderunt. Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit. Hæc ille. Sextò, Ex iſto exemplo primi Eccleſiæ Paſtoris, elucet verę pœnitentiæ ratio, excluſis extremis erroribus. Primò enim, quando Petrus poſt vocis galli & ipſius Domini præmonitionem, in facie Synagogæ Chriſtum publicè negat & abiurat: & tamen blando aſpectu Domini, & iterata galli voce diuinitùs ſubordinata, per lachrymas Deo reconciliatur, & ad priſtinum in Eccleſia Dei principatum admittitur: falſa eſſe conuincitur Nouatianorum aſſertio, quæ lapſis Chriſtianis veniã denegabat, & virtutem propitiationis Chriſti per pœnitentiam prorſus euacuabat. Ob hoc enim (inquit S. Leo) ſicut apparet, Petrus hæſitare permiſſus eſt, vt in Eccleſiæ principe remediũ pœnitentiæ conderetur. In altero extermo verſantur moderni hæretici, qui pœnitentiam in interno tantùm dolore, vel potiùs doloris præſumptione conſtituunt, confeſſionem verò, per quam clauibus Eccleſię fit ſubmiſſio, & ſatisfactionem ſeu ſuiipſius correctiuam vindicationem, prorſus excludunt. Siquidem Petrus non ſolùm corde doluit; ſed etiam delictum non tàm ore, quàm facto (ſuiipſius nimirùm à cœtu humano ſequeſtratione, ac veluti excomunicatione) manifeſtauit: illudq; demùm non ſolùm per illud triduum mortis Chriſti, ſed per totũ vitę tempus (vt ſupra ex Clemente retulimus) lachry-

Cap: XXXV.

Lapſus Petri cur fuerit à Domino permiſſus

Gregorius Homi: 21 in Euan:

Auguſt: de Ciuit: lib: 14 cap: 13

Pænitentiæ extremi errores exemplo B. Petri corrigantur

Theophilactus ſuper. Mar. cap:

Leo Serm: 9 de paſsione Dñi

Pœnitentia Petri diuerſa quam modernorum hæreticorum

 mis &

Caluinus verbis S.Ambros abusus
Ambro: Serm: 46 de pœniten: Petri

mis & aliis pœnis in seipso vindicabat. Sic enim intelligẽda sunt verba S. Ambrosij, quãdo Petri casum describens, inter alia dicit: Inuenio enim quod fleuerit, non inuenio quid dixerit: lachrymas eius lego, satisfactionẽ nõ lego. Et sic impiè Caluinus confessionem, & satisfactionẽ sacramentalem ex his verbis repudiauit, Cõfessione enim expressa in peccato manifesto, quod & gallus incusaret, opus non erat: ipse egressus foras & fletus amarus, satis prodebat crimen: vberes quoq; & deinceps iuges lachrymę, proposita perdolorem suiipsius (nisi resurgens Dominus reuocasset) enecatio, & speluncę veluti pręparata sepultura, satis profectò satisfactionis exhibebant. Intelligit igitur Ambrosius, vt seipsum explicat, per satisfactionem, ipsam locutionem, hoc est, delicti sui, quod non maleuolè, sed ex fragilitate accidisset, excusationẽ vel potiùs purgationem: & exinde fortasse (secundùm spiritum Caluini) absolutam & momentaneam, & pręsumptuosam suiipsius iustificationem. Notari etiam isto exemplo possunt delicati apud Catholicos pœnitentes, eorumq; confessarij, qui peccata satis grauia, leuissimis satisfactionibus expiantes, eiusmodi facilitate, in noua delicta impuniùs labuntur: Veluti versuram spiritualẽ cum Deo, eiusq; Ecclesia exercentes. Cęterùm reliquã Dominicę passionis expositionem, tribus aliis diebus, vt ex Euangelistis in Ecclesia proponuntur, reseruantes, sermonem pręsentem finiamus verbis S. Leonis sic dicentis: Quia ergo Iudęi omnium sacramentorũ sanctificatione priuati, lucem sibi in tenebras, & in luctum festa verterunt; nos dilectissimi effusam super omnes gentes gratiã Dei, procliuibus corporibus atq; animis adoremus; obsecrantes misericordem patrem, & diuitem redemptorẽ, vt de in diem, auxilio eius adiuti, omnia huius vitę pericula possimus effugere. Adest enim callidus vbiq; tentator, & nihil vacuum à suis relinquit insidiis. Cui auxiliante misericordia, quę nobis inter omnia aduersa prętenditur, fideli semper est constantia resistendum: vt quamuis impugnare non desinat, neminem tamen, quem expugnet, inueniat. Prosint omnibus dilectissimi, religiosè celebrata ieiunia, & continentię vtilitas, quam & animis & corporibus probauimus congruentem, nullis corrumpatur excessibus. Quę enim ad sobrietatem & parsimoniã pertinent, ideò diligentiùs in jis sunt celebrata diebus, vt de breui studio in longã consuetudinem

Christianorum pœnitentia delicata perstingitur.

Conclusia exhortatoria ad quadragesimam piè & meritc riè finiendam
Leo Serm: 17 de passione Dñi.

tudinem mitterentur, & siue in operibus misericordię, siue in studio parsimonię, nullum à fidelibus vacuum tempus habeatur: quoniam vtiq; in accessu dierum, & cursu temporum, lucra debemus facere operũ, non damna meritorum. Piis autẽ studiis & religiosis animis, aderit misericordia Dei, vt quod fecit cõcupisci, faciat obtineri: qui viuit & regnat in sęcula sęculorũ. Am̃.

DE PASSIONE DOMINI Sermo Secundus.

Cap: I.

Christus extremũ passionis secundum legem seruauit
Matt: 5. ℣ 18

QVòd Dominus & redemptor noster initio suę prędicationis fuisset contestatus, se *venisse in mundum, non soluere legem, sed adimplere:* id maximè pręstitit in ipso vitę suę decursu, quando in cruce iam iam moriturus dixisset: *Consummatum est.* Quod ipsum seruare voluit in ipsa serie & processu suę innocentissimę passionis: vt in consequenti contextu, quem in virtute eiusdem efficacissimę passionis explicandũ aggredimur, cernere est. Nam idem ipse Verbum æternum ante, assumptam carnem, legis antiquę autor, sacrificium Paschę seu liberationis ex Ægypto, sic ordinauerat: vt agnus ille typicus, ad hoc vnicè delectus, primùm quidem in domibus Iudęorũ asseruaretur, deinde in ipsa Parasceue Paschę in publicum prolatus, ab omni multitudine cruento modo im̃olaretur: cuius sanguinis partim aspersione, partim superliminarium illitione, populus Dei in suis receptaculis, ab vniuersali internetione liberaretur. Idipsum obseruatum fuit (vt alibi suo loco docuimus) in hirco emissario peccatorum expiationi destinato. Eum enim assumptum, sacerdotes domi prius, veluti ad reatũ alienarũ culparũ destinabant, & manibus super eius caput positis, confessionem peccatorum populi illi imputabant, & sic demum ad profundissimum desertum dimittebant, ad perpetuam eorundem peccatorũ asportationem & obliuionẽ. Similẽ profectò modum redemptor noster in isto progressu suę damnationis & passionis experiri voluit. Ipse enim agnus ad tollendum peccata mundi, quamuis ab origine mundi destinatus: tamẽ im̃inente Paschate liberationis humanę, singulariter ad hoc pręelectus fuit sententia sum̃i Synagogę Pontificis, sic decernentis: *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: Quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat,* &c. *Ex illo*

Exodi 12 ℣ 5 &c.

Christolo: parte 2 Serm: cap: 18.
Leui: 16 ℣ 15

Ioann: 1. ℣ 29
Apoc: 13 ℣ 8

Ioann: 11. ℣ 49, 53

illo enim tempore (addit ſacer Euangeliſta) *cogitauerunt Iudæi vt interficerent eum:* ſicut & breui poſt cōprehenſio Chriſti fuit conſecuta. Exinde rurſus Pontifex cum Principibus ſacerdotum, per totā noctem Chriſtum variè examinantes & calumniantes; quid quęſo aliud faciebant, quàm ad inſtar illius *hirci legalis & typici, ſcelera & iniquitates totius mundi* eidem applicabant, *vt per paßionē conſummatus*, eas in deſertū cęleſtis propitiationis, ad æternā reconciliationem deportaret? Iſtis ergo exactis, (pergit enarrare Euangeliſta) *ſurgit omnis multitudo* Iudaici principatus, atq; Dominum denuò vinctum, & tanquam morti ſententia irreuocabili adiudicatum, Pontio Pilato pręſidi Romani imperij, ad paratam quaſi ſententiæ mortis executionem tumultuariè pręſentat. Sed quàm deuotè iſta expendat D. Bernardus, audiamus: Procedamus nunc (inquit ille) & illius noctis incōmoda percurramus, quomodo tentus, vinctus, tractus, truſus, cæſus, conſputus, colaphis alapiſq; percuſſus, &c. Hęc ille. Vt & nos vſurpare hic poſſimus illud Poeticum:

Lucæ 23 ℣ 1. Bernardus de paſſionę Dñi cap: 5. Aeneid: 2. Nocte ante ipſam paſsionem quanta pertulerit Chriſtus

Quis cladem illius noctis, quis (verbera) fando Expediat.

Cęterùm hic recto imò neceſſario ordine Matthęus inſerit hiſtoriam pœnitentię, vel potiùs deſperationis & interitus Iudæ, quæ ſic habet.

PRIMA PARS.

Matt: 26 Marci 14 Cap: II.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit tringinta argenteos principibus Sacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Principes autē Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in carbonam, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille. Haceldema, hoc eſt, ager ſanguinis. vſq; in hodiernum diem. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quem appreciauerunt à filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

Primò quidem ex verbis iſtis conſtat, Iudam quamuis malitia prorſus diabolica Chriſtum tradidiſſet; tamen conſcientia, vel ſaltem

ſaltē naturali ſyntherefi remordente, ſperaſſe Dominum mortem ipſam euaſurum, vt etiam ſentit Theophilactus, vel diuina potentia, cuius aliquot ſpecimina in ſui comprehenſione edidiſſet, vel apertiſſima innocentia, quę corā iudicio tot calūniis cōuinci nō potuerit; aut deniq; fauore plebis, quę manè recollecta, tantum prophetā & benefactorē ſuum (quod ipſi Principes ſacerdotum in conſilio eius capiendi extimeſcebant) ex manibus Principum eriperet. Iam verò cùm oppoſitum fieri intelligeret: primò Dominum virtutem ſuam diuinam extremo aduentui ſuo ad iudicium vniuerſale & vindictam ſuorum inimicorum reſeruare, nunc verò morti vltrò ſeſe ſubmittere: deinde quaſi ex propria confeſſione ſumæ in Deum blaſphemiæ, illum bino vniuerſali concilio, fuiſſe conuictum, & dictamine legis morti adiudicatū: tertiò quòd cùm Iudęi propter crimen adeò notorium & recens, potuiſſent illum ſecundùm legis ſuæ pręſcriptum lapidare, vt antehac facere attentabant, niſi ſeſe Dominus miraculosè ſubtraxiſſet, & quòd non multò poſt in B. Stephano perfecerunt: tamen propter magis ſolennem, & ignominioſam punitionem, illum gentilibus occidendū traderent: poſtremò, quòd turbæ concurrentes, non ſolùm patrociniū eius nō aſſumerent: ſed ſimili ferè pompa qua ante aliquot dies Regem Iſraelis proclamarent & exciperent, eum ad Pilatum, ad paratam damnationē deducerent. Ex his, inquam, inditijs Iudas certam & irreuocabilem Domini damnationem conſiderans, in deſperationem deuenit; ſuggerente eam ſine dubio magiſtro & inhabitatore ſuo Diabolo, qui eum ad deſperationem, ſicut Ieſus Petrum ad reſipiſcentiam interiùs reſpexit, atq; promouit. Hic ergo tria veniūt nobis expendēda. Primò, Iudæ pœnitētia: ſecundò, eius cum Iudæis retractatio: tertiò, eiuſdē deſperatio & interitus. Quoad primum: Origenes & Hieronymus videntur probare pœnitentiam Iudæ, idq; reſpectu erroris Manichæorum, aſſerentium, homines habere duas naturas, vnam bonam, alteram malam. Sed meliori iure nos pœnitentiā Iudę non quidem iuſtificamus, ſed falſæ modernorum hæreticorum præferimus. Docuimus enim ſuo loco, ipſi ab Eccleſia orthodoxa edocti, pœnitentiam nō conſiſtere in ſola fide & noua obedientia: ſed contrario in peccando proceſſu, requirere, primò quidem contritionem ſeu dolorem cordis, primò quidem reſpectu Dei, qui

Iudas ſperabat Chriſtum traditū mortē euaſurum. Theophi: in hunc locum. Lucæ 20 ℣ 6 Lucæ 22 ℣ 2 Ioann: 8 ℣ 59 Ioann: 10 ℣ 32 Actor: 7 ℣ 58 Pœnitentiam verām an habuit Iudas Origenes & Hieronymus ſuper hunc locum Chriſtolo: parte 2 Serm: 4 cap: 28 Cōtritionis ratio Prouerb: 23 ℣ 6

qui cor ſibi præberi depoſcit: deinde quòd cor primum principium
ſeu inſtrumentum, vel potiùs fons eſt peccati, dicente ipſo Do-
Matt: 15 ℣ 18 — Cõfeſsio oris in pœnitẽtia cur neceſſaria.
mino: *Ex corde procedunt malæ cogitationes, homicidia, adulteria, forni-
cationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ,* &c. Secundò, vera pœni-
tentia requirit confeſſionem oris; primò quidem, vt ſicut pec-
catum in mente conceptum, per ſignum externũ foras ad offen-
ſam quoq; Eccleſiæ producitur: ſic dolor de peccato in animo
conceptus, per ſermonem quoq; & propriã accuſationem per-
Rom, 10 ℣ 10 — Matt: 16 ℣ 19
ducatur: vt, ſecundùm Apoſtolum, non ſolùm *corde credatur ad
iuſtitiam, ſed etiam ore fiat confeſſio ad ſalutem:* & Eccleſia Chriſti
ſponſa, ex tali confeſſione ſciat, quibus, quando, & quomodo,
Satisfactionis neceſitas
claues ſibi ad ſoluendum vel ligandũ relictas, applicare debeat.
Poſtremò, requiritur ſatisfactio, quoad ſeipſum: vt nimirùm
pœnitens, in prioribus partibus pœnitentiæ, miſericordiã Dei
expertus, iuſtitiam quoq; eius non prorſus abiiciat: ſed operi-
Lucæ 3 ℣ 8
bus contrariis priori vitæ, & afflictoriis, in afferendis *dignis pœ-
nitentiæ fructibus* ſeipſum exerceat: ſimulq; offenſam, ſi quæ eſt,
proximi, in contritione reconciliatã, ſaltem in hac vltima par-
Pœnitentia Iudæ melior quam hæreticorum
te pœnitentiæ ad opus reducat. Iſtas partes, videte deuoti Au-
ditores, ſi non Iudas, præ iſtis delicatis Chriſti ſectatoribus exhi-
buit? Contritio certè eius, & ſummus cordis dolor apparet ab
ipſa notitia damnationis Chriſti, ex qua ſtatim fuerit compun-
ctus, quòd ſi non Deum creditum, (vt quibuſdam placet) ſaltem
hominem iuſtum, ad mortem tradidiſſet. Qualem cordis con-
punctionem, non ſolùm reſtitutione iniqui precij, ſed etiam de-
ſperatione veniæ propter criminis enormitatem, & ipſo ſuſpen-
dio & morte conſignauit. Quid rurſus clariùs eius confeſſione?
quando in templo, & ſimili vbi pactum inierat concilio, procla-
Matt: 26 ℣ 4
mat: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtũ.* Deniq; ſatisfactio tanta erat,
Iacob: 2 ℣ 13
vt poſt reſtitutionem mercedis, *miſericordia Dei quæ ſuperabundat
iudicium,* prorſus abnegata, iuſtitiam ad extremam vſq; deſpera-
Pœnitentia Iudæ in quo deficit
tionem & exinde ſuſpendium, infelix extenderet. Non deerat
ergo Iudæ pœnitentiæ legitimæ initium & progreſſus, ſed non
ſubſecutus eſt ſalutaris effectus: quòd nimirùm peccatum eius
fuerit contra Spiritum ſanctum: quando ab opere tàm nefando,
tot ipſius Domini præmonitionibus reuocari non potuerit, &
loco Euchariſtiæ Diabolo ad ſui inhabitationem locum præbu-
Gene: 4 ℣ 14
erit. Si igitur Caim propter fratricidium à Deo præmonitum:

ſi Eſau propter vnam eſcam, primogenituræ perditum priuile-
gium, ſi Antiochus propter populi Dei perſecutionem, pœni-
tentiam etiam cum lachrymis, obtinere non potuerunt: quid mi-
rum ſi Iudas totius generis humani in Chriſto perduelis eam nõ
Cap: III
fuiſſet conſecutus? Iſtam Iudæ finalem impœnitentiam
ſic B. Leo expendit. Ad iſtam (inquit) indulgentiam traditor
Leo Serm: 11 de paſsione Domini — Idem Serm: 1. de paſsione Dñi
Iudas peruenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui dia-
bolus ſtabat à dextris, prius in deſperationem tranſiit, quàm ſa-
cramentũ Chriſtus generalis redemptionis impleret. Nam pro
omnibus mortuo impiis Domino, potuiſſet etiam hic conſequi
remediũ, ſi non feſtinaſſet ad laqueum. Sed maligno cordi, nunc
furtis fraudium dedito, nunc parricidalibus cõmerciis occupa-
Matt: 9 ℣ 13
to, nihil vnquam documentorum miſericordiæ ſaluatoris inſe-
derat, nec piis acceperat auribus Domini verba dicentis: *Non
veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Et poſtquam adduxiſſet aliquot e-
xempla Euangelica, ſic ſubiicit: A quo intellectu alienatus im-
pius traditor, inſurrexit in ſemetipſum, non iudicio pœniten-
tis, ſed furore pereuntis: vt qui vitæ authorem interfectoribus
Iudas pœnitendo & moriendo peccauit.
vendidiſſet, in augmentum damnationis ſuæ, etiam moriendo
peccaret. Et alibi: Meritò (inquit) ſicut Propheta prædixerat:
Pſal: 108 ℣ 7.
Oratio eius facta eſt in peccatum: quoniam conſumato ſcelere, tam
peruerſa impij conuerſio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret.
Iudæ peccatum in Spiritum S. — Ambro: lib: 10 coment: in Luc:
Hactenus Leo. In eundem ſenſum Ambroſius: Etſi caſſa eſt pœ-
nitentia proditoris, quia peccauit in Spiritum ſanctum: eſt ta-
men vllus in ſcelere pudor culpam agnoſcere: & quamuis ille
non abſoluitur, Iudęorum tamen (ſicut & modo hæreticorum)
Iudæ & Principũ Sacerdotum obſtinatio & deſperatio
impudentia confutatur, &c. Hæc ille. Porrò poſtquam Iudas per
eiuſmodi pœnitentiam crimen ſuũ condemnaſſet, ad eius cor-
rectionem, conatus eſt cum Principibus ſacerdotũ contractum
nefarium reſcindere; vt ſicut ille precium, ſic ipſi mercem in-
nocentem reſtituerent, & ab vlteriori condemnatione Chriſti
innocentis ſuperſederent. Sed cùm ſemel ſathanas corda tàm
ipſius Iudę, quàm ſacerdotum illorum obſediſſet, ſicut vendito-
rem ad fructum pœnitentiæ, ſic emptores ad æquitatis reſipi-
ſcentiã, admittere paſſus non eſt: ſed potiùs ad ſimilem ſuiipſo-
rum, ſicut & Iudas condemnationem adduxit: quando reſpon-
Matt: 27 ℣ 53
derunt: *Quid ad nos: tu videris.* Non enim ſeipſos iuſtificant, &
Iudam afflictũ conſolantur, vt maiori prætextu dicerent; con-

tiactum fuisse iustum, quòd malefactor, seductor, & legis tantus præuaricator, qui non solùm Cæsarem, sed diuinam quoq; maiestatem inuaderet, legitimè damnaretur: quod quidem in iudicio Pilati inferebant: sed tacitè concedunt Christum fuisse iustum, & sanguinem eius innocenter tradi & profundi: sed culpam in venditorẽ reiiciunt; quasi verò emptores ab ipsa essent liberi, qui inter tot agitata consilia, vltimum istud licitationis cum Iuda, ad Christum perdendũ inuenissent, & postea eiusdem culpæ consortes sese pronuntiassent, quando dicebant coram Pilato: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* De quo etiam appositè Ambrosius: Amentes planè (inquit) qui putant solui se magis autoris scelere, quàm teneri: In pecuniariis causis refuso precio, ius soluitur. Hi precium recipiunt, & sacrilegiũ prosequuntur: ac pertinacibus studiis, funestam sibi vendicant sanguinis auctionem, cùm refunderet venditor sacrilegij mercedem. Sic ille. Ex illo tamen Iudęorum responso, videtur confirmari opinio nostra superius posita, per Iudę potissimùm personam, reatus totius generis humani pœnas ad exoluendum, in personam Christi fraudulenter osculati transiisse. Quantum autem detrimentũ tàm venditor quàm emptores ex illo nefario plagiario cõmercio retulissent, antiquos Doctores de hoc sic differentes audiamus. Sanè Augustinus vtrosq; sic perstringit. Quid (inquit) egit iniquitas Iudæ, qui eum vendidit, à quo redimi debuit? Ecce nec Iudas tenuit precium, nec Iudæi quem comparauerunt Christum. Illi dico: Vbi est quod accepisti? Iudæo dico: Vbi est quod emisti? Illi dico: Quando vendidisti, tunc te decepisti. Isti dico: Quod emisti, possidere non potuisti. Euthymius autem, ex sententia B. Chrysostomi: Oportebat (inquit) ante proditionem pœnitentia duci. Sed talis est Diabolus: ante peccatum non permittit videre malum, ne sequatur resipiscentia: postquam autem peccatum numeris omnibus est expletum, videre permittit, vt mœrore afficiat, & in desperationem pręcipitet. Sic ille. Figura eius facti adumbrata erat in Achitophel, qui Dauide persecutionem filij fugiente, in ciuitate consilia in Regis perniciẽ moliebatur; quę quando non successerunt, similiter ex desperatione laqueo mortem sibi consciuisset. Deniq; auaritiam Iudæ B. Leo sic perstringit: Videte dilectissimi, & prudenter inspicite, quæ germina, & quales fru-

ctus de

Ioann: 11 ℣ 53
Lucæ 22 ℣ 4
Matt: 27 ℣ 25

Ambro: lib: 10 in Lucam

In persona Iudæ culpa generis humani Christo inflicta

Iudę venditoris & emptorum crimen & infelicitas

August: de symbolo lib: 2 cap: 6

Diaboli fallatia

Euthy: in hunc locum

Chrysost: homil: 86 in Matt:

Origenes tracta: 35 in Matt:

Architophel: typus Iudæ

2 Reg: 17 ℣ 23
2 Reg: 15 ℣ 31

Leo Serm: 5 de passione Dñi

ctus de auaritiæ stirpe nascantur, quam meritò Apostolus *radicem omnium malorum esse definiuit:* quia nullum peccatum sine cupiditate cõmittitur, & omnis appetitus illicitus istius auiditatis est morbus. Amore pecuniæ, vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullumq; est in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum: & tam stultè impius fuit, vt triginta argenteis & Dominum venderet, & magistrum. Sic ille. Hinc etiam mysticè colligere licet, iustificationem legalem in ipsa Christi passione apparuisse elanguidam, dum desperationi & suspendio compunctum Iudam Synagoga addicit; legem verò gratię Euangelicam exoriri eiusq; vigorem pullulare, quando clauiger cęli in domo legalis Pontificis extremè lapsus, foras egressus voce galli lucem Euangelij pręsagentis & respectione saluatoris, ad fidei indictum stabilimentum reuocatur.

Cap: IIII. Cæterùm cùm Iudę apud Principes ratio non cederet, scribitur *argenteos in templo proiecisse,* vt quasi supremi numinis contestatione culpam relaxaret: Mysticè quoq; insinuans, diuitias ex sacrilegio vel auaritia cõpilatas dispersioni tandẽ in posteritate forè subiectas. Vt autẽ verũ eueniat, quod dixit Salomon: *Auaro nihil esse scelestius, qui animã etiã venalem habeat:* meritò consecutum est, vt pecunia voluntariè perdita, posessorẽ quoq; voluntariè perderet. De mortis eius genere multa, sed quia præter scripturę authoritatem frũstra referuntur. Nobis sufficiat quid dicat scriptura: primò quidem laqueo mortem sibi consciuisse: & omnino condigna culpę pœna: Cùm enim legis stabilissimum præceptum, ad Apostolicam etiam sanctionem deriuatum, sanguinis & suffocati vsum, vel potiùs ausum ediceret; quia Iudas Israelita ipse & Apostolus, in vno delinqueret, iustum erat, vt in altero plecteretur. Rabanus autem scribit: suspensum fuisse in medio, qui cælo & ipsi terræ fuisset exosus. Addit S. Petrus suspensum crepuisse medium, & effusa fuisse omnia viscera eius. Vsitatum quidem est suffocatis vel suspensis intumescere, atq; exinde putredinis mole disrumpi: sed Iudæ sicut Ario & similibus, condignum profectò extremi exitij accidit genus, vt qui diuinitatis intima inuaderent, intima quoq; viscerũ suorũ in morte effunderent. Similis attentati parricidij pœna præcesserat in Absolone, qui propria cæ-

L ij

sarie

1 Tim: 6 ℣ 10

Petri & Iudæ diuersus exitus quid presaiebat

Eccli: 10 ℣ 9

Iudæ suspendium crimini correspõdens

Gene: 9 ℣ 4
Exod: 17 ℣ 14

Acto: 15 ℣ 20, 29

Rabanus in cap: 27 Matt:

Acto: 1 ℣ 18

2 Reg: 18. ℣ 9.
Matt: 23 ℣ 24
Hierony: in cap: Matt: 27

ſarie quercui inhærens, à Ioab & ſeruis eius inter cælum & terram lanceis confoſſus eſt. Videte autem Phariſaicam iſtorũ veteratorum *culicem colantium, camelum verò glutientium* hypocriſim: precium ſanguinis vtiq; innocentis fatentur iniquum, abominabile, nec templi repoſitorio dignum: rem verò emptam, hoc eſt Chriſtum, omnibus calumniis & ludibriis impetitum, diræ morti addicunt: Similiter venditorem innocentiã Chriſti venditi confitentem, ad extremam vſq; deſperationẽ condemnant:

Precium Chriſti venditi Iudæis exitioſum
Chriſoſt homelia 81 in Matt:
Acto: 1 ℣ 19

ſeipſos verò ſceleſtiſſimos quamuis mercatores, quaſi paſchali ſanctificationi idoneos, iuſtificant: Nefariam illam mercedem (vt B. etiã annotauit Chryſoſtomus) templo breui demoliendo indignam reputant, quã tamen loco perpetuæ ſuæ ignominiæ addicunt: Teſtatur enim B. Petrus, agrum pecunia illa comparatum, ex illo tempore vocatum fuiſſe Syriaco idiomate, quod Iudæis tunc vulgare eſſet, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis. Adſtipulatur & Matthæus Euangeliſta, referens eo etiam tempore quo Euangeliũ conſcriberet, qui erat annus poſt aſcenſionẽ Dominicam octauus, eodem nomine ad futuram poſteritatem fuiſſe denominatum. Videntur autẽ ſicut ſolenni, ſic fatali quodam conſilio, pecuniam illã ſepulturæ deſtinaſſe.

Precium Chriſti quomodo verſũ in ſepulturam peregrinorum

Siquidem eorum Synagoga Chriſto in cruce pendente mortua, meritò ſibi ſepulturam pręparabat. Quoad literalem verò ſenſum, locus iſte addicebatur ſepulturæ peregrinorum, ſiue Iudæorum aduenarum, qui ad ſolennitates ex toto orbe conuenire illuc ſolebant, nec ad proprias incolarum ſepulturas facilè admittebantur: vel etiam ad ſepulturam gentilium,

Ioann: 12 ℣ 20
Acto: 8 ℣ 27

quos etiam locum illum ſacrum frequentaſſe, tàm ex Euangelio, quàm ex Actis Apoſtolicis conſtat. Conueniunt autem S. Matthæus & S. Petrus, agrum illum vocatum fuiſſe figuli. Vnde coniicimus fuiſſe (quod & Gręcus articulus confirmat) locum quendam vulgo nominatiſſimum, ideoq; ad memoriam facti magis perheñem euaſiſſe.

Vide Auguſt: in Serm: 2 cenæ Domini de Iuda Iſcariothe
Philipen: 3 ℣ 20
An Mattheus pro Zacharia Hieremiam citauerit
2 Reg: 18 ℣ 9

Quod tamen nec ſuo vacat myſterio. Futurum enim erat, vt pergrini à lege Moſaica, *& domeſtici Dei, ac ciues Sanctorum Chriſto adſcripti, extra portam improperium eius ferentes*, ſepelientur ad certam reſurrectionem vitę, ab eodem redemptore ſuo, ad morem figuli, ad vitam immortalem replaſmati, *qui reformabit corpora humilitatis illorum configurata corpori claritatis ſuæ*, vt Apoſtolus docet.

Porrò circa prophetiam à Matthęo citatã, eſt aliqua difficul-

tas

Zachar: 11 ℣ 13
Origenes, Eutymius, Rupertus gloſa ordinaria ſuper hunc locum
Hierony: in Pſalmum 77

tas: cùm locus ex Ieremia citatus, apud Zachariam Capite 11. reperiatur. Variæ à Doctoribus antiquis & recentioribus afferũtur ſolutiones. Quarum tamen tutiſſima eſt, Euangeliſtam Matthęum more ſuo, quem etiam in hoc ipſo Capite 27. v. 35. ſeruauit, ſcripſiſſe abſolutè (*per Prophetam.*) Cuius rei non leuis coniectura eſt, quòd in Syriaco exemplari im̃utationibus non tam obnoxio, & in quibuſdam exemplaribus etiam Latinis, ſic legatur.

Euſebius Demõſtra: Euang: lib: 10 cap: 4.
Cyrillus Iero: Catheche: 13 illuminatorum.
Ierem: 32 ℣ 8

Quia igitur in verſione ſeptuaginta interpretum, cuius tempore Apoſtolorum potiſſimus erat vſus, locus ille Zachariæ adeò ieiunè tranſlatus eſſet, vt vix ſenſum Prophetę recognoſceret, Ieremias autem qui in pluribus afflictionibus typũ Chriſti referebat, quandam etiam myſticã non abſimilem agri comparationem continet: probabile eſt aliquem cui obſcuritas in Zacharia non ſatisfaceret, Ieremię nomen adnotaſſe, quod poſtmodum (vt com̃uniter fieri ſolet) in reliqua exemplaria eſſet tranſlatum. Eccleſia autem Catholica in ſacris codicibus ſatiùs quicquam piè tolerare, quàm etiam rationabiliter immutare, in more habeat. Neq; eſt quòd adeò de authore prophetiæ laboremus, cùm videamus prophetiam quoq; ipſam, more nouæ legis receptiſſimo, ſenſu potiùs, quàm verbis & literali ſuperficie, præſenti propoſito accom̃odari.

In emptoribus Chriſti iniqua eleemoſina notatur etiam inter Chriſtianos

Poſtremò hoc loco non omittenda eſt prępoſtera illorum Synagogæ principum miſericordia & liberalitas: qua vnde peregrinos ſepelirent, Meſſiã ſuum qui in propria veniſſet, vita priuauerunt. Paulò diſſimilis eleemoſynarum modus Chriſtianum populũ quoq; inuaſit, vt etiamnum experimur: vbi apud nos etiam vix aliquando videas, ex iuſtè acquiſitis, vel iuſto labore, loca ſacra, vel hoſpitalia pauperum erigi aut ſubleuari: ſed quę ex oppreſſionibus ſubditorum, & variis pro ſuo quiſq; ſtatu fraudibus & rapinis expilantur, pręter ea quæ ex variis luxuriis ſuperſunt, ſacris (ſi Deo placet)

Querundam Catholicorum præpoſtera douotio ex aliorum oppreſſione

vſibus addicuntur. Antiquæ Baſilicæ vel Eccleſiæ quibus publica animarum cura addicta eſſet, ſpoliantur, & noua Oratoria ad priuatos tantùm vſus aliquando & ad abuſus, luxurioſè magis interdum, quàm religioſè eriguntur, & adornantur. Verè etiam, ſecundùm Sapientem, his temporibus in hoc potiſſimùm Regno,

Sapien: 2 ℣ 11.

fortitudo vel potiùs violentia & crudelitas, *facta eſt lex iniuſtitiæ, & quod infirmum eſt, inutile inuenitur.* Vnde factum eſt, vt qui ex inferiori ſtatu alios egenos ſubleuare potuiſſent, ipſi ad mendicitatem fere

tem fere redacti sunt, & oppidorum aut villarum florentia olim & abundantia promptuaria, redacta sunt in misera hospitalia. Sed talia melius excutientem B. Chrysostomum audiamus: Audiatis (inquit ille) quicunq; animæ hominis precium capientes, beneficium postea ex cæde confertis. Iudaica huiusmodi eleemosyna est, immò verò diabolica. Sunt enim, sunt inquam etiam nunc, qui alienis direptis, excusatos se à toto crimine putant, si aliquam partem pauperibus dederint: de quibus ait Propheta: *Altare meum lachrymis operiebatis.* Non vult certè Christus rapina nutriri, ingratissima hæc sibi sunt alimenta. Quid ita tu Dominum contemnis, vt *res immundas offerre audeas?* melius est comittere vt inedia tabescat, quàm huiusmodi alimento sustentare. Alterum nempe crudelitatis est, alterum verò crudelitatis simul & contumeliç: & meliùs est nihil omnino dare, quàm rem aliorum aliis concedere. Dic quæso, si duos quosdam videres, alterum omninò nudùm, alterum indutū: nullàmne iniuriam faceres, si vestitū spoliares, vt nudum indueres? imò verò maximam. Quod si rem totā quam rapuisti, alteri dederis, non eleemosyna vsus es, sed iniuriam cōmisisti, cùm nec tricesimā partem raptarum rerum dederis, & elemosynam rem appelles, quo supplicio non vexaberis? Hæc apposite ad nostra tempora Chrysostomus.

Chrysost: in Matt homel: 86.

Malach: 1 ✝ 8

Adducunt ergo Iesum à Caypha in prætorium. Erat autem mane & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur: sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quā accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

Matt: 27 Marci 15 Lucæ 23 Ioann: 18

Diximus superiùs, mysterium fuisse, vt omnis multitudo Iudæorum Christum imolandum deduceret: nunc addimus, summum idipsum fuisse in populo à Deo electo flagitium: vt cùm non defuissent aliqui ad necem Christi non conspirantes, (sicut de Ioseph ab Arimathia & Nicodemo Euangelista testatur) tamen nullo reclamante, multitudinis conspiratio Christum facit nocentem. Vt etiam hic locū habuerit illa diuina querela per Prophetam: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* &c. *Et me vos configitis*

Cap: VI

Ex Iudæis nemo restitit condemnationi Christi

Ioann: 19 ✝ 38.

Malach 3 ✝ 8

configitis gens tota. Lex quoq; Mosis erat nominatissima: *Non sequaris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero denies.* Sed ista vniuersalitas culpç, portendebat vniuersalitatem pœnç totius illius populi,: vt Christus postea lamentantibus de se mulieribus declarauit: Merebantur profectò Israelitç illam exosam quamuis generi humano sententiam Timonis Atheniensis Philosophi, qui vbicunq; liceret, cruces humano supplicio erigebat. Quæsitus causam, respondit, Omnes homines suspendio esse dignos: malos quidem propter culpam propriam, bonos verò propter alienam: quòd cùm ratione & iure possint, malos inter se tolerent. Quomodo ab ista sententia liberabit sese corruptissimū istud sæculum, in ista præsertim Polonç gentis licentia? Cui propriè seruit illa diuina maledictio: *Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum.* Ista siquidem, duo sunt potissima fundamenta, in quibus peruersitas tàm legum quàm morum in hoc Regno nititur. Videte autem auditores apparatum Iudaicç in Christum iniquissimç accusationis: *Ipsi non intrant in prætorium ne contaminentur, sed vt manducent Pascha.* Vetabat quidem lex ne quis imundus manducaret Pascha, sed potiùs ad secundum mensem differret, donec mundaretur. Sex lex illa intendebat, immunditiem internam magis quàm externam. *Ipsi autem hypocritæ fermento Pharisaico imbuti, iuxta Dominicam reprehensionem, mundabant quæ foris sunt, ipsi autem intus pleni omni spurtitia inueniebantur.* Sic & modò domum iustitiç & potestatis iudiciariæ, quç à Deo est, ingredi reuerentur, Dei autem filium & propriū Messiam nefario mercatu captum, calumniosè condemnatum, & variè afflictum, ne quidē causa rectè cognita, ad diram mortem expostulant. Rectè hic exclamat B. Augustinus: O impia (inquiens) & stulta cæcitas: habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. Sic ille. Meliori igitur iure Pilatus eis obiicere potuisset, illos potiùs indignos fuisse domum iustitiç intrare, qui legem, & ipsam tanti festi Parasceuē, tanta contra innocentissimum hominē tyrannide polluissent. Seruata tamen iudicis grauitate & tollerantia, rē ipsam legitimè aggreditur, quærens: *Quam accusationem adfertis contra hominem istum?* Iuris enim omnium gentium est, eum qui causam præsertim verò honoris vel mortis ageret, aliquo iusto interuallo præmoneri

Exod: 22 ✝ 3

Homines boni malos tolerantes eadē pena digni

Polonæ libertaris excessus omnium malorū causa

Prouer: 17 ✝ 15

Iudæorum hipocrisis non intrando Prętorium & occidendo Christum, quibus quadrat

Ioann: 18 ✝ 28 Num: 9 ✝ 10 Matt: 16 ✝ 11

August: tract: 114 in Ioannem

Ioann: 18 ✝ 29

moneri, & ad sui defensam tempus & modũ sibi prorogari: hoc autem Christo concessũ non fuisse, non potuit præses ignorare.

Iustitia Romanis consueta Christo tamen negata
August: de Ciuitate lib: 5
Act: 25 ✝ 16, 11

Quod à Romanis iustitię merito, secundùm Augustinum, apud Deum commendatis, constanter fuisse seruatum, testatur Festus ille eiusdem loci Præses, qui ad similes contra Paulum iniquas à Iudæis obiectiones dicebat: *Non est Romanis consuetudo, donare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur* (vtiq; legitima intimatione) *præsentes habeat accusatores: locumq́ defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obiiciuntur.* Ista etiam ratione Paulus innixus, ab iniquo eiusdem Præsidis iudicio, Cæsaris Romani tribunal appellauit. Idipsum cauebat lex Moysis, vt paulò ante citauimus. Et in concilio aduersus eundẽ Christũ antehac habito, Nicodemus dicebat:

Ioan: 7 ✝ 15

Nunquid lex nostra iudicat hominẽ, nisi prius audierit ab ipso, et cognouerit quid faciat? Rectè igitur Pilatus impudẽtẽ respõsionem in illos ipsos retorquet, dicens:

Ioann. 18 ✝ 31

Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Quasi dicat: Si lex vestra dictat insontem & non auditum perdere, causam quam cœpistis more, vel potiùs errore, non autem iure determinate: cùm lex Romana id non permittat. Quod autem respondent Iudæi:

Iudæis quo sensu non licebat interficere quenquam
Ioann: 18 ✝ 31

Nobis non licet interficere quenquam; hoc sensu intelligendum est, quod iam ex legis illorum præscripto, causa satis esset cognita, & sententia mortis definita: nisi quòd executio ipsa ad potestatem superiorem, & quidem sæcularem pertineret.

Cyrillus in Ioann: Lib: 12. Cap: 8.
August: in Ioan: tract: 114
Eutymius in hunc locum.
Chrisost: homilia 82 in Ioann:

Cyrillus & Augustinus ista verba ad temporis incōmoditatẽ referunt: quasi Iudæi à supplicio quod alioqui inferre potuissent, die festo imminente impedirentur. Euthymius autẽ acōmodat generi mortis, quod suppliciũ Crucis quod Christus meruisset, legi Mosaicę in vsu non fuisset. Quam sententiam vtramq; Chrysostomus coniungit. Sed re vera parum Iudæos illos tenebat religio, quominùs Christum violenter caperent, iudicijs vel potiùs calumniis condemnarent, & mortem apud Pręsidem tantopere sollicitarent.

Deut: 21 ✝ 23
Iosuæ 8 ✝ 29

Deinde mortis per crucem non deerant apud Iudæos exempla: de qua tamen non particulanter, sed in genere dicunt, quod illis *non liceret interficere quenquam*. Consentaneum igitur est, sub imperio Romanorum, Principibus sacerdotum, relictum quidem fuisse iudicium de lege eiusq; cærimoniis, & ipsa religione, & simul executionẽ illã quæ esset ex lege ordinaria & ad totã populi cōmunitatem pertinens; quod in lapidatione

Acto: 7 ✝ 57
Ioann: 8 ✝ 29

Stephani,

Stephani, & eius in ipso etiam Christo attentatione, manifestum est: Cæterùm ordinariam & politicam iurisdictionem de criminibus capitalibus, ad Præsides Romanorum, vel Tetrarchas fuisse translatam. Hoc arguunt inprimis verba illa Gallionis Proconsulis, quando ad accusationem Pauli dicebat Iudæis:

Acto: 18 ✝ 14

Si esset iniquum aut facinus pessimum, libenter vos sustinerem. Si verò quæstiones sunt de verbo & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis. Ex quo vel solo exemplo constat, si Iudæi potestatẽ occidendi Pauli habuissent, nequaquam negotiũ tanta instantia & difficultate ad Proconsulem detulissent.

Iosephus lib: Antiquit: 20 cap: 8

Confirmatur altero exemplo apud Iosephum, qui scribit Ananam Pontificem cùm esset in iudicando seuerissimus, non fuisse tamen ausum pręsente Festo Pręside Romano, in Iacobum fratrem Domini Ierosolymę Episcopũ ferre sententiam, donec mortuo Festo, antequam Albinus in locum eius veniret, facinus consūmasset, & Iacobum occidisset: Quod factum contra authoritatem suam præsumptum, Præsidem venientem vindicasse.

Crucis mortem vltro prędixit & suscepit Christus

Inde etiam elucet sensus sequentium verborum Euangelistæ dicentis: *Vt sermo Iesu impleretur quem dixit; significans qua morte essèt moriturus.* Nam apud Matthæum sic mortem suam Dominum prædixisse legimus:

Matt: 20 ✝ 18

Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus sacerdotum: & tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Hæc ibi. Mortis ergo genus erat, Christum à Principibus sacerdotum gentibus (quorum princeps tunc erat Pilatus) tradi ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Hæc enim erat maxima ignominia, Christum, à populo quidem suo reprobatum ad mortem tradi, ab infidelibus autem morte turpissima occidi, sicut ipsemet dicebat Apostolis:

Matt: 26 ✝ 45

Dormite iam & requiescite: ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

Crimẽ triplex capitale Christo à Iudæis obiectum
Lucæ 23 ✝ 2

Cap: VII Conuicti ratione Pilati Iudęi, secundùm legis politicę præscriptum, causam intentant Saluatori, duplex crimen obiicientes. Primum subuersionem gentis suę: alterum rebellionem contra Cæsarem, primò quidem in prohibitione census eidem reddendi, deinde læsæ maiestatis, quòd maiori quoq; ausu Regem etiam se esse asserat. Quæ omnia non minori calumnia,

Subuersio gentis qualis Dño imputata

Ioann: 9 ✠ 16

quàm illa coram iudicio Caiphæ, Domino erant obiecta. Subuersionem gentis duplici modo intelligere poterant aduersarij: vel quasi Christus deduceret populum ab obseruantia legis, quod aliquoties ei obiiciebant, quando dicebant: *Ille homo non est à Deo, qui sabbatum non custodit:* vel quòd singulari efficacia prædicationis suæ, & potestate miraculorum inaudita, plurimos à fermento legali ad synceritatem legis Euangelicę pertraheret: doctrinam illam suam exordiendo à Galilæa, vnde duodecim Apostolos eiusmodi prædicationis consortes & ministros, sibi adsciuisset. Quod colligitur ex posterioribus aduersariorum verbis ad Pilatum: *Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam. incipiens à Galilæa vsq; huc.* Sic & Nicodemo Christi causam in concilio (vt proximè citauimus) defendenti dicebant: *Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide, quia ex Galilæa propheta non surgit.* Ad istā populi subuersionē vel comotionem, potuit referri altera criminatio de negato censu Cęsari: quasi is qui filium Dei se iactaret, populum Deo mancipatum, terreno principatui subiici indignum iudicaret. Vtramq; istam criminationem Pilatus facilē per se intellexit esse calumniosam: siquidem rebellionis vel machinationis contra Cæsaream authoritatem ipse fuerit seuerissimus inquisitor & punitor: *qui Galilæos quosdam ob similem excessum, non multò ante, insolito supplicio affecerit,* vt refertur apud Lucam Capite 13. Non potuit etiam eundem Pilatum latere, solennis illa etiam cum Herodianis principum Synagogæ ad Christum legatio, vel potiùs exploratio, de censu Cæsari reddendo, quā ille cum maxima illorū confusione decidisset, vt *quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ verò Dei, Deo, redderentur.* Quod etiam S. Leo sic pulchrē expressit. Quid (inquit) eum grauari finis de affectata potentia, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? Romanis legibus nō contradixit, censum subiit, didrachma soluit, vectigalia non inhibuit, quę Dei sunt Deo, & quę sunt Cæsaris, Cæsari reddenda constituit. Paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicauit: hoc est verè non impugnare Cæsarem, sed iuuare. Hæc ille. Quocirca Pilatus istam vtramq; obiectionem tanquam merè calumniosam, reiiciens, in tertiam quę Cæsaream authoritatem concernere videretur, statum accusationis constituit: quod sic prosequitur Euangelista.

Ioann: 18 ✠ 5

Ioann: 7 ✠ 52

Accusationum contra Christum calumnia ipsi Pilato perspecta

Lucæ 13 ✠ 1

Matt: 22 ✠ 17, 21
Leo magnus Ser: 10 de passione Domini

Ioann. 18
Matt: 27

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum. Iesus autem

autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses Pilatus, & dixit illi: Tu es rex Iudeorum? Respondit Iesus: A temetipsō hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? At ille respondens ait illi Iesus: tu dicis, quia Rex sum ego.

Examen Pilati de regno Christi & responsum

Cap: VIII Postquam Pilatus accusationis Iudaicę scopum intellexisset, reuertitur in prætorium, vbi erat Iesus custodiæ traditus: & interrogat eum, non secundùm propositionem accusatorum, quòd diceret se Regem Iudæorum, (non enim titulus sed res crimen inferebat) sed *an ipse esset Rex Iudæorum:* qualem etiam distinctionem obseruauit Pilatus in titulo cruci affixo. Ad quam interrogationem antequam responderet Dominus, suam quæstionem præmittit dicens: *A teipso hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me?* Quorum verborum duplex potuit esse scopus. Primò ut Christus in ipso tribunalis illius initio contestaretur, se reum esse constitutum vt homo, & non vt Deus est. Quasi ergo diceret: Cùm ergo accusationem contra me factam, ô Præses non audiuerim, antequam tibi respondeam, scire mea interest, vtrum tuę proprię tanquam iudicis inquisitioni, vel aduersariorum delationi & obiectioni, respondere debeam: cùm diuersę tales intentiones, diuersam quoq; responsionem exigant. Secundò, videtur his verbis Dominus explorare voluisse mentem Pilati, & propriam in hac quæstione intentionem. Si enim motu proprio id quæsiuisset, hoc est, instinctu vel naturali, secundùm quem, teste Apostolo, *etiam gentes Deum eiusq; sempiternam virtutem & diuinitatem cognoscerent:* vel per supra naturalē reuelationē seu instinctū, qualis tunc in vxore Pilati apparuit: tunc Dominus sic respondisset, vt veritas Regni Christi Pilato ad eius salutem innotescere potuisset. Hoc enim propriè requirebat regnum & officiū Christi, *Reges sibi rebelles conterere: fide autem subiectos prædicatione conuertere & saluare,* vt clarissimè Psalmus secundus edocet. Iam verò Pilatus, prudenter magis quàm piè, intentionem quæstionis suę declarat: *Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi: Quid fecisti?* Quibus verbis declarat se agere, non vt discipu-

Ioann: 18 ✠ 34

Intentio responsionis Pilati
Ioann: 18 ✠ 35

Rom: 1 ✠ 20

Psal: 2 ✠ 9 & 6

Pilatus statum causæ Christo institutæ declarat

discipulum Christi vel Iudæum, qui legis mysteria circa propositam controuersiam calleret: sed vt iudicem, & quidem cum summa Cęsaris potestate, vt causam introductam secundùm allegata & probata definiret. Interrogationem igitur suam, eò maioris esse momenti, quò à tota gente & ipsis Pōtificibus eius regni de quo erat quæstio, inferebatur? Duo igitur Pilatus à Christo inquirit: primò an ipse sit Rex Iudæorum? alterum est: siue sit Rex, siue non sit, quid comiserit, quòd tanquam mortis reus sibi ad damnationem traderetur? Vbi tacitè quamuis, inclusit Pilatus reliquas Iudæorū obiectiones de subuersione populi, & censu Cæsari denegato. Iesus autem priori propositio-

Regnum Christi quomodo non de hoc mundo
Ioann: 18 ℣ 36

ni directè respondet: *Regnum suum non esse de hoc mundo.* Qua distinctione diuinè prorsus (sicut antehac quæstionē de reddendo censu Cæsari) totam questionis & accusationis vim dissoluit. Regnum enim Christi, est quidem verum regnum, & est in hoc etiam mundo: sed non ex hoc mundo, hoc est, ad corporalem, terrenam, & politicam gubernationem: Quam ipse quidem vt

Daniel: 4 ℣ 29
Prouerb: 8 ℣ 15

creator per homines mortales successiuè administrat, *dando regna terrena cui vult, & rursus auferendo: per quem reges regnant.* Ipse autem propriè est rex spiritualis, æternitatis, immortalitatis, & perhennis felicitatis director atq; largitor. Quòd etiam singulariter exprimunt particulæ: hinc, nunc: quę tam loca quā tempora certa in regnis sæcularibus definiunt. Sicut ergo Ecclesia

Sedulius in hymno de Epiphania

canit: Non eripit (Christus) mortalia, qui regna dat cælestia. Et Augustinus: Audite (inquit) Iudæi & gentes, audi circun-

August: tract: 115 in Ioannem

cisio & preputium: audite omnia regna terrena. Non impedio dominationē vestrā in hoc mundo: regnū enim meū non est de hoc mundo. Hęc ille. Idem ipse Dominus contestatus est dicens.

Ioann: 8 ℣ 23

Vos deorsum estis: ego de supernis sum: vos de hoc mundo estis: ego non sum de hoc mundo. Subinfert rationem, Dominus: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis.* Quasi clariùs diceret: Si essem Rex tantum temporalis Iudæorū: quamuis illi rebellionem contra me assumerent, non deessent tamen Regiæ potentiæ alii milites, qui iniuriam eiusmodi vindicarent. Nunc verò quando res non sic geritur, vel ex hoc solo tibi, ô Pilate, constare potest, me non posse de

Christi regnum quo sensu etiam temporale

regno eiusmodi à quoquam conueniri. Obseruandum tamē est cum Augustino, Christum non dixisse: Regnum meum non est in Cap: IX

hoc mundo, sed non est ex hoc mundo: sicut nec dixisse; Regnum meum non est hîc, sed, non est hinc. Reuera enim Christus verè erat, & est *Rex constitutus super montem sanctum Sion:* & accepit vt homo *à Deo Patre regnū patris sui Dauid,* quādo etiam ex regali progenie natus, & *à Magis dictante cælesti inditio, contestatus est natus Rex Iudæorū.* Sed ibidē declarat primò ipse Dauid, regnū illud fore spirituale, & propterea æternum, sic dicens: *Regnum tuum regnū omniū sæculorum; & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Similiter & ipse Angelus denuntians filij Dei incarnationem declarat, *regnum istud non habiturum esse finem:* donec secundùm Apostolum, *finito isto sæculo, & peracta redemptione, tradat illud Deo Patri, vt sit omnia in omnibus.* Ideo ex responsionibus suis

August: loco citato
Psal: 2 ℣ 6 8
Lucæ 1 ℣ 31
Matt: 2 ℣ 2
Psal: 144 ℣ 13
1 Corint: 15 ℣ 24.

rectè colligenti Pilato, quòd quacunq; tandem significatione, tamen non diffiteatur Christus se esse, Regē respondet Dominus: *Tu dicis: quia Rex sum ego:* Quidquid enim Dominus regalis status & dignitatis externæ, à natura & officio suo habuisset, illud per suæ diuinitatis etiam sumam exinanitionem deposuit, propter opus redēptionis nostrę per exinanitionem, passionem, sui traditionē, & mortē consumandā: longè profectò perfectiùs, quàm Codrus ille Rex Atheniensium: qui oraculo edoctus, Rempubl: non nisi sua morte saluam euasuram, ipse in vestitu plebeio, incautis hostibus, sese occidendum exhibuit. De

Christus perfectiùs quam Codrus patriam morte sua liberauit.

Regnum Ecclesiæ Catholicæ an temporale
Ioann: Maldonatus in Coment: super Matt: cap: 26,

qua quæstione recentiorem quēdam sed doctissimum Theologū sic disserentē audiamus: *Regnum meum non est de hoc mundo,* &c. Occasione (scribit ille) horū verborū, à multis de Regno Christi disputatur. verenè Rex fuerit? Sunt qui quodammodo inuitum facere velint Regem, hæreticosq; eos putent, qui temporalem etiā fuisse regē negāt: cùm ipse in iudicio interrogatus, palā responderit: *Regnum meum non est de hoc mundo:* id est, non est mundanum, non est terrenum, non est temporale; sed cæleste, & spirituale, regnū suū nō solùm beatorum societatem, sed fidelium etiam in terris congregationem, id est, Ecclesiam appellans: quę etsi in hoc mundo est, tamen de hoc mundo non est: & quia non ex terra, sed ex cælo originem, habet, cùm eius caput Christus à quo congregata, & formata est, de cęlo descenderit: cùm fides, quę eius forma est, & charitas, que eius vinculum; & spes, quæ præmia illa promittit, de cælo dentur, sicut Christus apud Ioannē Cap: 8. 23. ait: *Vos de deorsum estis; ego de supernis sum: vos de*

Ioan: 8 ℣ 23

mundo

mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Et rursus Cap: 15. 19. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non*

Christus quatenus & qualis rex *estis; & quia eius conuersatio in cælo est, neq; putat se hîc habere ciuitatem permanentem, sed à Dño peregrinari.* ad Philippenses 3.20. Tota igitur quęstio ad hunc modum expedienda est; Christū quatenus Deus est, non solùm spiritualem sed etiam temporalem totius mundi & superioris, & inferioris regem esse; propterea enim *habet in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantiū.*

Apoc: 19 ꝟ 16 Apoc: 19. 16. vt ostendat se non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed natura, quę per femur significatur, Regem

Philipen: 2 ꝟ 6 Gen: 24 ꝟ 2 esse; *quia natura & non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Propterea iubet, *Abraham seruum suum super femur suum manum ponere, vt eum per Deum cæli adiuret, quòd ex eius femore nasciturus esset Christus.* Gen: 24. 2. Illud etiam certum est, Christum, quatenus homo est, Regem esse spiritualem totius Ecclesię; hoc enim est regnū,

1 Corin: 15 ꝟ 24 Psal: 2 ꝟ 6 & 9 quod sanguine suo patri acquisiuit, *quòdq; illi post finem mundi redditurus est.* 1. Cor: 15. 24. Hoc est Regnum illud, de quo scribit Dauid Psalm: 2. 6. *Ego autē constitutus sum Rex ab eo,* quod spirituale esse, non temporale, statim declarat, *super Sion montem sanctū eius, prædicans præceptum eius:* nam & Sion illa spiritualiter intelligenda est, vt tract: in Iohan: 115. D. Augustinus adnotauit; & prædicare præceptum Dei, non temporalis, sed spiritualis Regis, officium est. Hoc est Regnum, de quo eodem Psalmo paulò post dicitur: *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* quia Ecclesia toto terrarum orbe diffundenda erat, & à mari vsq; ad mare propaganda. Hoc Regnum est de quo Christus post resurrectionem dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo,*

Matt: 28 ꝟ 18, 19 *& in terra.* Matth: 28. 18. quę potestas, qualis fuerit, statim exponit, versu 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* quæ partes non temporalis, sed spiritualis Regis sunt: ideoq; sicut in Regno temporali solus Rex condendarum legum potestatem habet; ita Christus in Ecclesia solus potuit sacramenta instituere, quæ, sicut in Republica leges; ita in spirituali Christi Regno, peccatorum remedia

Christus vt homo non erat temporalis rex. sunt. Qua verò parte Christus homo erat, non erat vniuersi orbis terrarum temporalis Rex. vt & Augustinus eo loco, quem modò nominauimus, & oms boni Theologi sentiūt. Aut enim naturali, aut diuino, aut humano iure Rex esset. Naturali non erat, quia

Regis

Regis filius non erat, quod est naturalem esse Regem: diuino non erat, quia omnia sacrarum literarum testimonia, quę de eius loquuntur Regno, de spirituali Regno, vt Augustinus ait, intelliguntur: humano non erat, quia non fuerat orbis terrarum consensu Rex electus, & cùm *Iudæi vellent eum rapere, vt Regē facerent,* Ioann: 6 ꝟ 15

aufugit. Ioan: 6. 15. De Regno Iudeæ dubitari non potest, an humano iure ad Christum pertineret? Qua in re illud constat eum ex Regio sanguine à Dauide vsq; procreatum, ut Matth: Cap: 1. eius genealogiam per Reges deducens docere voluit. An autem ad illum ius Regium perueniret, si Rex esse voluisset, meo quidē iudicio, non satis constat; quia nescimus, an ex Regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem Regnum, si ad ius hæreditarium reuocandum fuisset, pertineret. Probat Christus apud Ioan: Cap: 18. 36. *Regnum suum non esse de hoc mundo,* id est, mundanum, quia si mundanum esset, mundanos etiam, qui pro se pugnarent, ministros haberet. Tantum verò aberat, vt haberet, aut habere vellet, vt Petrum vnū ex discipulis suis qui seruū Pōtificis vulnerârat, vt se defenderet, & grauiter reprehenderit, iusseritq; gladium in vaginam remittere, suosq; ministros non terrenos, sed cælestes, id est, Angelos esse significauerit: *An putas,* Matt: 26 ꝟ 53

quia non possum modò rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò, plus quàm duodecim legiones Angelorum? Cap: 26. 53. Hac occasione Pilatus intulit, *ergo Rex es tu?* Tunc respondit Christus, quod hîc Matth: scribit, *Tu dixisti,* qua phrasi, non ambiguè, vt D. Augustinus, & nonnulli alij putant: sed modestè respondet se Regem esse, vt supra Cap: 26. 25. 64. Hactenus ille Commentator.

Cap: X. Alius verò celeberrimus eiusdē instituti Theologus, & fortissimus nostri temporis hære sumaries: postquam eandem de duplici Ecclesiæ potestate quæstionem exactissimè excussisset, sententiam S. Bernardi Canone Ecclesiastico firmatum sic elucidat. Robertus, Bellar: de Rom: Pontifice lib: 5 cap: 5.

Sanctus Bernadus lib: 4. de consideratione: vtrumq; gladium Spiritualem, & temporalem dicit esse summi Pontificis: tamen in multis locis eiusdem operis apertè demonstrat, Pontificis maximi potestatem propriè spiritualem esse, non temporalem, Lib: 1. de consideratione cap: 5. In criminibus, inquit, vt alia quacunq; ratione hæc tibi vendices (bona videlicet tēporalia, quæ habet Ecclesia ex dono Principum terrenorum) sed non Apostolico iure. nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Et

Cap: 6.

cap: 6 Exi in mundum; ager enim est mundus, isq; creditus tibi
exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus. Libro
3. cap: 1. Eis (Apostolis videlicet) tu successisti in hæreditatem,
ita vt hæres, & orbis hæreditas. At quatenus hæc te portio cõ-
tingat, aut contigerit illos, id sobria consideratione pensan-
dum. Non enim per omnem reor modum, sed sane quadãtenus,
vt mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est, non da-
ta possessio. Deniq; in ipso lib. 4. cap: 4. vtrumq; gladium tribuit
S. Bernardus Ecclesiæ: sed spiritualem ponit in manu Pontificis,
temporalem in manu Principum terrenorum: vtrumq; tamen
dicit esse Ecclesiæ, tum quia vterq; seruire debet Ecclesiæ, tum
quia gladius temporalis gladio spirituali subiectus est. Hacte-
Synagogæ & Ecclesiæ potestas qualis — nus ille. Ex qua autoritate, eiusq; declaratione satis constat, Ec-
clesiam nouę legis, non minùs quàm olim Synagogam legis ve-
teris, in sumo Sacerdotio, quantum ad populi Dei gubernatio-
nem, diuina ordinatione obtinere ius & potestatem administra-
tionis, non solùm spiritualis, sed etiam temporalis, præsertim
quatenus hæc ad illam conseruandam esset necessaria: Sed cum
hac differentia, vt lex illa temporalis & carnalis, imperiũ etiam
temporale & carnale cum spirituali simul admitteret: Ecclesia
verò tanquam spiritualis, potestate spirituali, tanquam excel-
1 Cor: 6 ℣ 4 — lentiori contenta, sæculare ijs qui secundùm Apostolum *in Ec-
clesia contemptibiles essent*, hoc est minora charismata spiritus obti-
Regnum sæculare quomodo in Ecclesia ferendum — nerent, cõmitteret. Successu tamen temporis, sicut Synagoga
gentilitatis æmula, & regimen ipsius Dei per sacerdotem non
ferens, ad politicum dominium, Regem more nationum impor-
1 Reg: 8 ℣ 5 — tunè extorsit: Ad eundem modum (veluti typo veritati respon-
1 Cor: 4 ℣ 8 — dente) populus Christianus ad libertatem & mores sæculi reda-
ctus, Regna & Imperia, quæ à suprema authoritate Ecclesiæ ac-
cepisset, attributis vltro opibus, ad eam quoq; detulit. Sicut vi-
debatur exoptasse Apostolus sic scribens: *Iam diuites facti estis: si-
ne nobis regnatis: & vtinam regnetis*, &c. quẽ sensum verba sequen-
Imperium in Ecclesia ferendum — tia confirmant. Quando igitur semel Regem sic constituere pla-
1 Reg: 8 ℣ 9 — cuit, non est, quod illos præsertim religionis Catholicæ aduer-
sarios offendant Regia iura seu prærogatiuæ populo duriora,
qualia ibidem Deus ipse per Samuelẽ Prophetá præscripsisset.
Maximè verò quòd principatus ille imbellis & ferè inermis, *ab
Psal: 128 ℣ 1 — ipsa tamen iuuentute* (vt loquitur Psalmista) *varie impugnatus*, & vi-
cissitudi-

cissitudinariis fortunæ casibus agitatus, *expugnari tamen*, & à
propria sede exturbari non potuerit: vt vel exinde diuinam il-
lius potestatis non solùm tolerationem, sed etiam singularem
protectionem recognoscere liceat. Et fortasse sumas afflictiones
quas olim maximè sedes illa pro religione excepisset, iustus Do-
minus, summis postmodum humanis honoribus compensari per-
mittit: vt Apostolus loco supra citato manifestè insinuat: & nos — Christologię 2 Partis. Serm: 17
superiori libro ex Isaię potissimum prædictionibus ostendimus. — à Cap: 13
In quo si excessus aliquis videatur: primò quidem cogitandũ est, — 1 Reg: 3 ℣ 13
in hoc sæculo, nullam potestatem præsertim sumam, etiam apud — Isaiæ 22 ℣ 15
fidei aduersarios, sine excessibus inueniri. Quod etiam in sumo — Exod: 32 ℣ 21
sacerdote Leui eiusque filiis, Soba, ipsoq; Aarone, & aliis qui- — Gen: 9 ℣ 23
busdam obseruari potest. Deinde genuinis filiis, quæ patris — Rom: 14 ℣ 4
turpiora sunt contegere potiùs, quam ostentare aut irridere — 1 Cor. 4 ℣ 5
conuenit. Si etiam *seruus*, magis Vicarius Christi *Domino suo stat — Rom: 13 ℣ 1
aut cadit: Non ergo ante diem iudicemus*. qui soli cęlesti iudici reser-
uatus est. Si culpa aliqua Regni vel Regnorum est (*cùm omnis po-
testas à Deo sit*) illius cognitioni & iudicio propria est, qui filius — Psal: 2 ℣ 9
Dei æternus & simul *constitutus Rex supra montem Sion, sibi subie- — Apo: 2 ℣ 27
ctos regit in virga ferrea, vt noxios demum tanquam vas figuli confrin- — Ezech: 21 ℣ 27
gat*. Sicut & præmonuit per Prophetam: *Tu autem prophane, impie
dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Hæc dicit Do-
minus Deus; Aufer Cidarim, tolle coronam: Nonné hæc est quæ humilem
subleuauit, & sublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem
ponam eam. Et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium, &
tradam ei*. Hæc ibi. Sequitur in textu.

Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium — Ioann: 18
perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.
Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?

Cap: XI — Prioribus verbis Christus, Regnum suũ non esse ex hoc mundo,
probabat ratione ducta ab effectu, quia Regem terrenum, exer-
citus quoq; terrenus defenderet: nunc addit rationem ab ipsa
causa & sua origine: quòd nimirùm sicut Regnum eius, sic ipse
non ex terra, sed ex cælo ducat originem: Causam autem cur — Veritati quale testimonium perhibere venit Christus
Dei Verbum per incarnationem homo factus *venisset in mundum,
fuisse testimonium perhibendæ veritati*. Vbi veritatis nomine, vocat
opus reparationis humanæ per veram doctrinam, & fidem salu- — Ioann: 18 ℣ 37
tarem. Quæ quidem veritas cognoscendi & colendi verum De-
N um, in-

Gen: 2 ℣ 15 um, insita erat primis hominibus in ipsa Dei imagine, vt *in ope-*
Ioan: 8 ℣ 44 *rando & custodiendo paradiso*, per meritum ad consequens præmi-
um exerceretur. *Sed antiquus serpens Diabolus, qui erat mendax ab*
initio, & in veritate non stetit, superinduxit suam falsitatem man-
dato creatoris contradictoriam, dicens: *Nequaquam moriemini,*
Gene: 3 ℣ 5 *sed eritis tanquam Dij, scientes bonum & malum.* Et ex illo tempore
homo *loco Dei, iumentis factus similior*, mortalitatẽ tàm animę quàm
corporis, cum tota sua posteritate incurrit. Nolens tamen Deus
imaginem suam sub dolo & iugo sathanę perpetuo comprimi:
Psal: 84 ℣ 11 post sententiam iustitię, benignitatẽ quoq; misericordię osten-
Gen: 3 ℣ 5 dens, fecit mox promissionem eius veritatis recuperandæ, idq;
per mulieris semen nasciturũ, quod caput infernalis serpentis
contereret. Istius promissio veritatis, specimen quoddã reliquit
Rom: 1 ℣ 18. in mentibus omnium hominũ, qui teste Apostolo, naturali lumi-
Acto: 17 ℣ 27 ne attentauerunt cognoscere Deũ, qui nõ longè sit ab vnoquoq;
Hebr: 11 ℣ 6 nostrũ: imò aliqui cognouerũt Deũ creatorẽ, quòd est, & quòd
inquirentibus se sit remunerator: si modò vt Deũ cognouissent,
& creatorẽ non creaturã vanã glorificassent. Insuper autẽ gens
Deo electa Iudæorum, per legem diuinitùs reuelatam, propiùs
istam veritatem habuerit adumbratam in variis ænigmatibus, fi-
Galat: 4 ℣ 4 guris, & promissionibus. *Postquam ergo venisset plenitudo temporis*
Act: 17 ℣ 27 Dei benignitate disposita, (vt idem Apostolus gentiles alloqui-
Gen: 3 ℣ 15 tur) *tempora huius ignorantiæ Deus despiciens, misit filium suum*
factum ex muliere, semen illud promissum benedictum, vt eidem saluifi-
Testimonium Christi diuinum quale cæ veritati perhiberent testimonium: non quale per alienos
testes humanitùs adhibetur; sed queadmodũ teste eodẽ S. Ioan-
1 Ioan: 5 ℣ 7, 9 ne, in æqualitate personarũ diuinarũ, *tres sunt qui testimonium dant*
Ioann: 3 ℣ 11 *in cælo*, de sua diuinitatis natura consubstantiali (*& quidem, qui,*
quæ sciant loquantur, & quę viderint testentur: ideoq; testimonium
eorum maius est quam hominum:) ad eundem modum huic veri-
tati præstinatę humanę redemptionis, quod esset naturę diuinę
in filio Dei abstrusum & reconditum, hoc per assumptã huma-
nitatem esset fidelibus contestatũ: iuxta illud quod idem Euan-
Ioan: 1 ℣ 14, 18 gelista scribit: *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Dei filius qui est*
in sinu patris, ipse enarrauit. Hoc etiam intendit idem Euangelista,
dicens: *Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam*
eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. De cuius
plenitudine omnes nos accepimus. Tale est illud, paulò post: *Lex per*
Moysen

Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Hac ra- Ioann: 1 ℣ 17
tione Dominus seipsum vocat veritatẽ, & nomen in cælo habet Ioann: 14 ℣ 6
Verax, & fidelis. aduersariis quoq; ipsis attestãtibus, quòd *esset* Apoc: 19 ℣ 11
verax, & viam Dei in veritate doceat. Mertò igitur & hîc addit Dñs: Matt. 22: ℣ 16
Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. Huic quoq; proposito Ioan: 18 ℣ 37
respondet illud sapientissimum problema seruorum Darij Regis
Persarum: *forte esse vinum; fortiorem Regem; fortiores mulieres: omnia* Veritas quæ omĩa superet est Christus
autem hæc veritatem vincere. Iosephus etiam describens Christum
propter opera adeò stupenda, Deum potiùs dicendum quàm ho- 3 Esdræ 3 ℣ 10
minem, scribit eum fuisse doctorem eorũ, qui libenter vera su- 3 Esdræ 4 ℣ 33 &c
scipiunt. Quod si Pilatus sacratiora ista veritatis mysteria ex- Ioseph: Antiquit: lib: 18 cap 4
pendere vel sciscitari noluisset: consuluisset saltẽ Philosophũ,
definientem veritatem, esse adæquationem rei ad intellectum. Veritas Philosophis quid?
Iam verò intellectus obiectum maximè proprium, Deus est. Aristo: lib: 2 Methaphysicæ
Plato etiã censebat, veritatem apud Deum & homines omnium Plato lib: 5 de Legibus
bonorum esse potissimam, & fælicitatem hominis consummare.
Ideo qui voluntariè mentitur, infidelem, qui verò non volunta-
riè, eum stultum, reputari oportere. Sed ista & alia similia, non
esse tunc audienda reputabat Pilatus: vel quia fortasse censeret
disputationi de veritate Christum non sufficere, vel locum non
habere, quando potiùs de iustitia, vel misericordia deprecanda
tractandi vrgens incumberet necessitas. Propterea cùm dixis- Ioann: 18 ℣ 38
set: *Quid est veritas*; ad Iudæos sermonem conuertit.

Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, et dicit Pilatus ad Prin- Ioann: 18
cipes sacerdotum, & turbas: Ego nihil inuenio causæ in hoc homine. Matt: 27
Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Et cùm accusaretur Lucæ 23
à Principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc Pila-
tus rursum interrogauit eum, dicens illi: Non audis quanta aduer-
sum te dicunt testimonia? Non respondes quicquam? Vide in quan-
tis te accusant? Iesus autem amplius nihil respondit ei ad vllum ver-
bum, ita vt miraretur præses vehementer. At illi inualescebant, di-
centes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens
Cap: *à Galilæa vsq; huc.*
XII Post examen Christi peractũ, reuertitur Pilatus ad Iudæos, refe- Accusatio innouata cõtra Christum, à Iudæis
rens, *non potuisse inuenire in eo causam*, hoc est, mortis, vel comeri-
tę accusationis. Quibus auditis Iudæi addiderunt alias accusa- Matt: 27 ℣ 13
tiones plures, vel *in multis* (vt præses inquit) *illum accusando.* Quę Ioann: 18 ℣ 38
cùm noua propositione obiicierentur, consequitur ex contextu,
Pilatum

Silentii Christi coram Pilato rationes

Pilatum euocasse Christum ad illa audienda & expurganda: Christus tamen ad nullam tot obiectionum respondit: ita vt miraretur præses. Cuius silentij rationes dari possunt. Prima, quòd responsione nihil Christus profecisset: apud accusatores quidem, quòd iam satis expertus esset quod ante dixerat: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si verò interrogauero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis.* Apud Pilatum verò, quòd doctrinam de veritate vltro oblatam despiceret. Secunda ratio: quia ista calumnia, iam primo loco quamuis aliis verbis obiecta fuisset, quam tamen Pilatus pro legitima non agnouisset. Tertia est S. Ambrosii sic scribentis: Accusatur Dominus & tacet: & benè tacet, quia defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Addit Glosa interlinearis in hunc locum: Melior est causa quæ non defenditur, & probatur. Susanna tacuit, & vicit. Hæc ibi. Denique non respondet, sed tacet Dominus, vt innocentiam & patientiam suam contestaretur, *tanquam agnus qui secundum Prophetam coram tondente se,* hoc est, iniquo iudice famam suam spoliante, *non aperuit os suum.* Inter hæc autem obiecta potissimum erat, quod refert S. Lucas, quando dicebant: *Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsq; huc.* Cõmotio quidem ista initium accipiebat à dulcedine prædicationis Christi: deinde progressum habuit tot miraculis, quando (vt testatur Princeps Apostolorum) *incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes &c. pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes:* postremo ista commotio maximè consummabatur, quando Lazarum quatriduanum suscitauit, & voce de cælo tanquam tonitru, vel Angeli locutione, testimonium diuinitatis suæ accepisset. Ex illo enim tempore turbæ concurrentes, occurerunt illi, & Regio titulo & apparatu illum Ierosolymam introduxerunt. Isto ergo sensu Iudæi Galilęæ fecerunt mentionem, vt sicut communiter regni Israelitici fines determinabãtur à Dan vsq; ad Bersabeæ; ad eundem modum seditio Christo insimulata, ex Galilęa eius patria vsq; Ierosolymam sese extenderet. Vbi etiam secundùm Theophilactum, erat quædam stimulatio odii apud Pilatum, qui paulò ante quosdam Galilęos propter rebellionem Cæsari sæuissimè enecasset. Pilatus tamen ista non attendens, arripit inde libenter occasionem Christum remittendi ad Herodem; Primò quidem vt

Lucæ 22 ℣ 67

Ambrosius lib: 10 in Lucam cap: 15
Glosa interlinearis.

Isaiæ 53 ℣ 7

Comotio populi quo sensu Christo imputata
Lucæ 23 ℣ 5

Act: 10 ℣ 38
Ioann: 11 & 12.

Regni Iudæorum termini
Iudicum 20 ℣ 1
1 Reg: 3 ℣ 20
Galilęę mentio Iudæis vnde
Theoph: hoc loco

Pilatus cur accepit occasionẽ mittendi Christum ad Herodem

dem, vt causam quam viderat iniquissimam deuitaret: deinde, ne videretur nouam offensæ causam prebuisse Herodi, qui hominem suo Tetrarchatui subditum, inuito saltem ipso iudicaret: tertiò quòd Herodes, qui & ipse Iudaicã legẽ sectaretur, & qui ob solennitatẽ fortasse Paschæ, illis diebus (vt tangit Euangelista) Ierosolymis degeret, meliùs de causa legis cognosceret: Quartò, quòd vsurpatio regiæ dignitatis, magis potuisset Herodem afficere, qui regni Iudaici successor & particeps haberi vellet. Deniq; vt Christi iniuria & afflictio, sicut hominis cum Deo, sic Pilati cum Herode fieret reconciliatio. Quod prædictum fuisse per Oseam Prophetam, exponunt antiquissimi Ecclesiæ Doctores, Iustinus Martyr, Tertullianus, Cyrillus, & Cyprianus, fortasse ex suo magistro Tertuliano, quando dicit Propheta secundùm versionem 70 interpretum: *Alligantes duxerunt cum Xenium regi Iarim,* quod interpræ tatur Syluestrem, rectè exprimens Herodem, regem quidem, sed alienigenam. Tunc etiam (subdit Cyprianus) Herodes & Pilatus ex inimicis in concordiam reuocati sunt, & veluti reconciliationis suæ xenium, vinctũ sibi inuicem mittebant Iesum. Quid interest, dum modò Iesus vbiq; vt saluator dissidentes reconciliet, pacem reparet, cõcordiam reddat? Vnde etiam de hoc scriptum est in Iob: Dominus reconciliat corda principum terrę. Hęc Cyprianus, vel vt aliqui volunt, Ruffinus.

Lucæ 23 ℣ 7 & c.

Prophetia de remissione Christi à Pilato ad Herodẽ
Oseæ 10 ℣ 6
Iustinus Dialogo cum Tryphone
Tertull: lib: 4 cõt: Marcionem
Cyprianus vel Ruffinus in symbolum Aposto:
Cyrill: Ierosol: Cathechesi 13 illuminat.

Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil respondebat illi. Stabant autem Principes sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad inuicem.

Lucæ 23

Cap: XIII Legimus apud eundem Euangelistam: *Accesserunt ad Iesum quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras & tertia die consummor. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Ierusalem.* Hæc ibi. Fieri non potuit, quin sermo iste Christi, si non per Pharisæos tanquam hypocritas & Christo

Herodes quomodo in Christum affectus vt eum videre cupierit
Lucæ 13 ℣ 31

Christo infensissimos insidiatores, saltem per aliquos ex tot auditoribus, ad Herodem fuisset perlatus. Cùm ergo ille prænosceret, Christum ingressu illo in Ierusalem vitã esse consummaturum, & signa quę Dominus ante mortem suam præmiserat maxima (qualis erat suscitatio Lazari) se videre non potuisse (cùm mortem sibi à Iudæis paratam sciret, quæ etiam contumeliam quòd se vulpem appellaret, esset vindicatura) cupiebat fortasse blanditiis suis, desiderium diuturnum videndi aliquod

1 Corin: 1 ℣ 22

signũ à Domino expiscari. Siquidem teste Apostolo, *Iudæi* (qualis erat Herodes) *signa quærunt, Græci sapientiam.* Fortasse autem nuntiatum sibi erat, quando Dominus ad Herodem ducebatur,

Miraculum in Christi ad Herodem deductione ex Euangelio Nicodemi

(si Euangelio Nicodemi in hac narratione credimus) cùm frequenti præsidio militari, ne Iudæi impetũ in eum facerent, in exitu Christi de prætorio, duo vexilla Pilati, quę ex vtraq; parte posita stabant, in reuerentiam Domino sese inclinasse. Quod

Christo infanti in Egypto arbor adorando inclinata Sozomenus. lib: 5 histo: Eccle: cap: 20

prodigium non videbitur prorsus incredibile, si cum simili conferatur, quod recitat Sozomenus: Christo infante in Ægyptum fugiente, portam ciuitatis Hermopolis dictę ingredienti, arborem portę vicinam quantumuis magnam, sponte inclinatam, ipsum adorasse. Iam verò Dominus Herodem non solùm mira-

Herodẽ Christus cur neq; responso dignatus est

culi spectaculo, sed ne responso quidem dignatus est: quòd non solùm voce, sed re ipsa eum tanquam vulpem detestaretur, quod dolo, fraude, & malitia principatum inuadens, ementita religione, religionem maxime in nece præcipui inter natos mulierum Ioannis, in tyrannidem cōmutaret. Simili ergo affectu

4 Reg: 3 v 14

eum excepit Dominus, sicut Elizęus Ioram Regem Israelis: quando ei dicebat: *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iozaphat Regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Hæc ibi. Talem igitur contemptum Herodes stultitiam ratus, *spretum similiter cum exercitu suo atq; illusum, & veste alba indutum, remisit ad Pilatum.* Cuius facti figura præcessit

Dauid stultiam simulans typus Christi
1 Reg: 21 V 13

etiam in Dauide, qui à Rege Saul ad necem conquisitus, & ad Achim Regem perductus, finxit se stultum & saliuam despumantem, vt sic violentas manus euaderet. Nam silentij istius apud Herodem causa esse potuit, vt Dominus non per Herodem, sed per gentilem iudicẽ (vt ipse ex antiquis prophetiis prędixisset) mortem oppeteret. Huc accomodari potest & illa prophetia,

Lucæ 18 ℣ 31
Oseæ 9 ℣ 7

Venerunt dies visitationis: venerunt dies retributionis. Scitote Israel stultum pro-

phetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & amaritudinem amentiæ. Hæc ibi. Quoniam autem genus

Stultitiam cur in passione Christus sustinuit

humanum in intellectu deliquerat per stultitiam, in voluntate per malitiam: propterea Christus ante mortis pœnam, assumere etiam voluit stultitiam, & contumeliam: Princeps etiam Apostolorum exponit, impletam hic fuisse illam prophetiam Da-

Psal: 2 V 1
Act: 4 V 25 & 27

uidis: *Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius:* Principes istos signanter Pilatum & Herodem denominans. Porrò symbolum istius stultitiæ exhibuit Herodes cum suis adulatoribus, exuta purpura tanquam veste regali, ve-

Veste alba quali & cur Dominus indutus

stis albæ indumentum, vt tacito quasi iudicio, non solùm Pilato sed toti Ierosolymæ, Christum pro Rege, stultum exponeret. Quod tamen occulta dispensatione diuina gerebatur: vt sicut primus iudex iniquissimus Cayphas decreto suo Christum morti, ad vniuersalem hominum redemptionem, destinaret: sicut exinde Pilatus purpura sanguine aspersa, titulum eius ęternum signauerit; quę simili vestitu in Apocalypsi describitur: *Verbum*

Apoc: 19 V. 13 16
Ambro: lib: 10 in Lucam cap: 17

Dei: & Rex regum, & Dominus dominantium: Ad eundem modum Herodes vestitu candido, primò, secundùm Ambrosium, contestatur Christi in passione innocentià, quam etiam designari in Missa per albę vestis indumentum, in tractatu de Missa diximus: deinde gloriosissimam ex eadem passione victoriam, in cu-

Apoc 6 V. 2 cap: 19 V 11 cap 3 V 4

ius signum in eadem Apocalypsi, describitur idem filius Dei *sedens albis vestitus in equo albo, arcum & coronam in signum subiectionis totius creaturæ deferens.* Qualem album vestitum, innocentiæ & victorię symbolum, *impertiuisse quoq; beatis secum regnantibus, in equis similiter albis byssino amictis, Regem ipsum sequentibus:* quemadmodũ

Pilati, & Herodis Iudæ Cayphę interitus quam funestus

ibidem initio promiserat dicens: *Qui non inquinauerunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt. Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Et sic

Psal: 2 V. 9
Ierem: 19 V 11
Apoc: 2 ℣ 27
Clemens Const: Apost: lib: 5 cap: 1.
Iosephus Antiq: libro 18 cap: 17
Eusebius histo: Eccle: lib: 2 cap: 7.
Nicepho: historiæ

triumphator Christus tandẽ subiecit inimicos suos pedibus suis, *& tanquam vas figuli contriuit eos.* Primò enim Iudas (vt supra dictum est) infelicissimè in anima, corpore, fortunis, & fama, interiit: vt secundùm Christi prædictionem, *melius fuisset, si non natus esset homo ille.* Deinde Cayphã mortem quoq; sibi consciuisse, autor est Clemens Romanus in Apostolicis Constitutionibus. Simili morte periisse Scribas, & alios Christi condemnatores, tradit Nicephorus. De Pilati etiã & Herodis apud Cæsares Ro-

manos

Orosius lib: 7 cap: 5

manos graui accusatione, propter quam mortē sibi intulissent, testantur, Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis, Eusebius Cæsarien: Nicephorus, & Paulus Orosius. Quod autem à talibus per-

Passiones Christi in Martyres redundarunt

secutoribus passus erat Christus; tanquam caput, hoc etiã erant passura membra corporis sui: secundùm quod ipse dicebat: *Non est seruus maior Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Quod etiam Beda præsenti loco sic accomodat: Hoc nefandissimum Pilati & Herodis fœdus, quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum velut hęreditario iure successores custodiunt: quando gentiles & Iudæi sicut gratia & religione, ita etiam mente dissidentes, in Christiánis tamen persequendis, Christiq; in eis fide interimenda consentiunt. Hæc ille.

Ioann: 15 ✝ 20
Lucæ 23 ✝ 31
Beda in Lucam cap: 93

Poloniæ peruersio & disolutio taxatur

Et hæc quidem ætas illa felicior perpessa est ab infidelibus: nunc autem in pace Christianitatis, *facta est* ab ipsis fratribus, secundum prophetam, *amaritudo amarissima.* Intuere quæso in isto præsertim corruptissimo Regno nostro, iudiciorum vel publicorum consiliorum subsellia: si non similem & magis fortasè intolerabilem peruersitatem iustitiæ, quàm quę Christo inferebatur, reperias. Aspice aulas non solùm Regum & Principum sæcularium, sed etiam spiritualium, si non maiorem vanitatem, fastum, superbiam, adulationē, illusionem, scomata, & piorũ persecutiones, reperias. Et (quod magis dolendum est) omnia ista geruntur studiosa quadam professione: vt aulici pueri talem insolentiã plus quam in aula Herodis edocti, in adultiorem statum, lege quadam impunitatis transmittant. Vnde mirum non est, si secundùm alium Prophetam, ex illusoribus pueris, *viri postea consulares illusores consurgant, qui pactum cum morte & inferno frustra molientes,* paratũ exitium sibi, suæq; patriæ concilient. Legimus propter vnicam Elizæi Prophetæ illusionem, & quidem leuē, *quod caluus* (quia talis fortasse aspectu cernebatur) *à pueris improperaretur, leones immissos fuisse, qui pueros illos dilaniarent.* Quis scit, quando modò aulæ Principum non tàm sapientibus & fortibus, quàm parasitis, & sacrarum rerum illusoribus, repletę sunt, si non propterea etiã Dominus imittit tanquam leones, barbaros & infideles, qui terras Christianorum in dies magis atq; magis impunè inuadant, depopulentur, & occupent; vt recens exemplum, dum ista scribimus, non solùm in Vngaria & vicinis prouinciis; sed etiam in nostra Russia & Podolia,

Isaiæ 38 ✝ 17

Isaiæ 38 ✝ 17
Isaiæ 28 ✝ 14
4 Reg: 2 ✝ 23

dolia, vbi regiones illæ magna ex parte depopulatæ, & myriades ferè Christianorum per Tartaros abductæ cernuntur.

SECVNDA PARS.

Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum; & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: Sed neq; Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei: Emendatum ergo illum dimittam. Lucæ 23

Cap: XIIII

Connocat Pilatus principales Christi accusatores, vt sine tumultu rationi facilius cederent: quos primò reprehendit, quòd sibi obtulissent Christum tanquam variis criminibus reum, cùm tamen in examine tàm publico quàm secreto, nihil tale probari & conuinci potuerit.

Pilatus quomodo suadet crucē Christi in flagellationem cōmutãdam

Ne autem suo iudicio vel indulgentia falli cuipiam videretur, subiectum etiam fuisse disquisitioni & iudicio Herodis, cui quæstiones legis meliùs constarent: & tamen præter contemptum & illusionem, *nihil morte dignum factum est ei.* Si quid ergo, certè leuitas sola & stultitia in eo est punienda, vel potiùs (vt loquitur Lucas) *emendanda*, idq; leuiori correptione, iuxta illud: *Virga & correctio tribuit sapientiam.* Et rursus: *Virga in dorso imprudentium.* Quod etiam lex Moysis præscribebat, leuiores culpas *plagis castigari, dummodò quadragenarium numerum non excederent.* Conueniebant & Romanæ leges, quæ ante supremum magistratum, securim ad capitales pœnas, fasces autem virgarum ad leuiores, præferebant: Simul etiam præscribebant, vt liberi quidem fustibus, serui autem flagelis cęderentur. Ratio dari potest: quòd baculum manus percutientis simul, & dorsum patientis excipiebat: flagellum autē ad maiorem quasi ignominiam, manubrium quidem cædentis, lora autem cæsi, contingeret. Videtur autem Herodes reconciliationē gratiæ cum Pilato in hoc ostendisse, quòd eius sententiam alba veste notatam, executione pœnæ fuisset prosecutus.

Flagellationis in lege Moysis & Gentilica vsus
Prouer: 29 ✝ 15
cap: 26 ✝ 15
Deut: 25 ✝ 3
2 Cor: 11 ✝ 24
Cælius Rhodgi- in variis lect: de pœnis Romanor:
Baculi quam flagelli percusio quibusdã honestior

Per diem autem solennem consueuerat, & necesse habebat præses populo dimittere vnum ex vinctis, quemcunq; petissent, Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Congregatis ergo

Matt: 27
Marci 15
Lucę 23
Ioann:

illis, Pilatus reſpondit eis, & dixit: Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Quem vultis, dimittam vobis, Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes.

Pilatus Barabbę morte Chriſtum liberare ſatagit

Hieron: hoc loco in Matt:

Cùm videret Pilatus Iudæos pœna flagellationis Chriſti indictã, non fuiſſe contentos, ſed mortem eius tumultuariè vrgere: tactus conſcientia, quòd ex inuidia Pontificum eum ad mortem poſtulari intellexiſſet, opponit innocenti, vel minùs nocenti, non (vt notat Hieronymus) alterum ex latronibus ſecum crucifigendis, ſed hominem ſceleratiſſimũ, & omnibus inuiſum *propter homicidiũ & cædem, in ciuitate patratam*; ſperans tali optione Chriſtum liberatũ iri. Porrò iſtam dimiſſionem vnius vincti in die ſolenni, (qui anthonomaticè, ſecundùm S. Ioannem, Paſcha dictus eſt) notat Pilatus ſeruatam fuiſſe ex conſuetudine ipſorũ Iudæorum: quam ipſi Iudæi ex antiquo (vt exponit Cyrillus) ſeruabant, in memoriam liberationis ex Ægypto, quam etiã Romani illis conſeruabant. Iſtam conſuetudinem, exemplo præſertim Chriſti comendatam, retinebant antiquiores Chriſtiani, quando, ſecundùm B. Cyprianum, & Leonem, Imperatores, & alij Chriſtianorum magiſtratus, vinctos aliquos, in memoriã liberationis animarum ab inferis, & ob ſolennitatem Paſchalẽ, ex carcere dimittebant. Quod etiam Eccleſia quodam modo hucuſq; imitatur, quãdo in die Paraſceues, ſingulariter vinctorum etiam ex carceribus ſolutionem deprecatur; & pridie homicidis abſolutionem ſolennem impendit.

Paſcha dies ſolennis dictus & liberatione vinctorũ honoratus

Cyrill: in Ioan: lib: 12. cap: 13

Beda ſuper hunc locum.

Ioan: 18 ℣ 39

Cypria: Ser: de Chriſmate

Leo Serm: 2 & 3. de Qudrageſ:

Matt: 27

Sedente autẽ illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.

Pilatum quomodo vxor de innocentia Chriſti prę monuit

Cap: XV.

Iſta per anticipationem hoc loco inſerta eſſe, ipſemet Euangeliſta oſtendit, quando dicit ea geſta fuiſſe, cùm Pilatus ſederet pro tribunali, ad ferendam vtiq; & publicandam contra Dominum ſententiam: quod circa horam ſextam factum fuiſſe, S. Ioannes computat. Sed propterea hoc loco factũ id inſeruit Mattheus, vt reliquam hiſtoriam de Barabbæ dimiſſione, Chriſti autem flagellatione, & vltima condemnatione, ſine interruptione contexeret. Quod ratio ipſa etiam ex contextu arguit: Si enim Pilatus maturiùs de iſto oraculo vxori facto fuiſſet prẹmonitus, fortaſſe condemnationem Chriſti potentiùs etiam promouiſſet,

Act: 12 ℣ 4

mouiſſet, vel ſaltem (ſicut Herodes de Petro feciſſe legitur) diſtuliſſet poſt Paſcha, vt interim populus à Principibus tũc mancipatus, ad eum liberandum ſeſe recolligeret. Habuiſſet etiam Pilatus occaſionem diligentiùs inquiſitionem illã pertractare, vnde Chriſtus eſſet, & qua ratione filium Dei ſeſe nominaret: & propoſitã à Dño veritatis doctrinam, non tantùm, ſicut fecit, deſpiceret. Quę omnia ſedenti iam in tribunali, & in fauorẽ Cęſaris ſententiã lataro excutere, ſed & fortaſſe vxori reſponſum dare, minus licuerit. Imò veriſimile eſt (vt B. Athanaſius inſinuat) ex illo etiam aucto conſcientiæ ſtimulo, proteſtationem ſolennem cum manuum ablutione, de Chriſti innocentia feciſſe. Non omittenda hic eſt Rabani in hæc verba breuis quidem, ſed appoſita comentatio. Tribunal (ſcribit ille) ſedes eſt iudicis: ſoliũ, Regum; cathedra magiſtrorũ. In viſionibus autẽ & ſomniis gentilis viri vxor hoc intellexit, quod Iudæi vigilantes, nec credere, nec intelligere voluerunt. Hæc ille. Solent hîc expoſitores inueſtigare, qualis fuerit iſta vxoris Pilati ſuggeſtio, quam illa viſum appellat, & quo propoſito facta? Primò attendendum eſt, nocte proximè præterita iſtam viſionem contigiſſe, quando nimirùm Dominus apud Caypham iniquum iudicium, & varia probra pertuliſſet. Vnde ſequitur per ſomnium iſtud accidiſſe: quod arguit particula Græca κατ' ὄναρ, hoc eſt, in ſomnis: quomodo etiam habetur apud Matthæum reuelatio Ioſepho facta, vt cum infante Chriſto in Ægyptũ fugeret. Quòd autem dicitur, hodie, per ſynecdochen intelligitur eiuſdem diei continuatio: ſicut Dñs trinã Petri negationẽ hodie prædixiſſet, cùm tamen noctu contigiſſet. Fieri etiam poterat (quod in more eſt) vt in diem quoq; fœmina illa delicata ſomnum protraheret: & propterea quoq; ſeriùs quàm expediebat, ſomnium marito comunicaret. Porrò quatuor genera ſomniorum conſtituuntur. Primum naturale, quod ex diuerſitate abundantiũ humorum prouenit: Secundum morale, quod cogitationũ & impreſſionum intellectus præcedentium imaginem in ſomno refert: qualia ſomnia diuerſa ponit Plato, hominũ ſapientũ, & rudiorum. Tertium tribuitur inſtinctui diuino per Angelos bonos. Quartum verò permiſſu diuino per illuſionem dæmonum. Somnium ergo iſtud non potuit eſſe naturale, rem tam ſeriam & præſentem portendens. Morale quidem ex parte fuiſſe concedi

Athana: in Euangelium de Cruce & paſsione Dñi

Tribanal ſedes, ſolium, quid differunt

Rabanus in gloſſa ſuper cap: Matt: 27

Vxoris Pilati de Chriſto viſio qualis

Matt: 2 ℣ 19

Somnium quotuplex & quale vxoris Pilati

Plato in Ethica ſeu deſcien:

potest; quòd fœmineus sexus ad condolentiam propensus, in ista matrona, Christi tumultuariè capti & afflicti, aliquas cogitationis impressiones reliquerit. Sed quia incertum est famam illam ad fœminam illam nocte intempesta peruenisse: reliquum est, vt genio bono vel malo ista suggestio attribuatur, ad qualem mollior fœmineus sexus aptior reputatur, vt statim initio mundi in Paradiso cōpertum est. Sæpius tamen, præsertim fidelium vxorum eiusmodi præsagia non sunt contemnenda: quando & Dominus monuerit Abrahamum: *Omnia* (inquit) *quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*. Quod Ethnica quoq; præmonent exempla. Vt autem vnum atq; alterum producamus: De C. Iulio Cæsare, sic refert Valerius Max. Caij Iullj Cæsaris vxor Calphurnia, nocte quam is vltimam in terris egit, in quiete vidit multis eum confectū vulneribus in sinu suo iacentē; somnijq; atrocitate vehementer exterrita, rogare non destitit, vt proxima die à Curia se abstineret. At ille, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, Senatū in quo illi parricidales manus illatę sunt, adire contendit, vbi à Bruto & Cassio interfectus fuit. De Nerone autē sic alibi legimus: Nero in somnis sibi nauiganti eripi clauum, atq; ab Octauiæ coniugis vmbra (hoc est, anima post mortem) in obscuras tenebras trahi se, atq; à formicarum alatarum multitudine opprimi vidit. Quę somnia populi motus, atq; ipsius mors, vera effecerunt. Hæc ibi. Complura talia recentiora exempla, & aliorum certa relatione accepimus, & ipsi obseruauimus. Vnum apponere non pigebit. Ante annos viginti, cum fratre meo Ioanne natu maiore, piæ memoriæ, ab Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, cuius Canonicos ageremus, missi eramus: ille quidem, vt Varsauiæ in Comitiis generalibus Regni istius, negotia Ecclesiastica curaret: ego verò, vt Petricouię iudiciis Regni vniuersalibus (quæ Tribunalia vocant) cum aliis prouincialibus Collegis pręsiderem. Dum hæc agimus, nuntiat ille mihi, se grauissimo & lethali morbo conflictari: quod & scriptura solito languidior arguebat: qua ille obsecrabat, vt citissimè ad extremum casum suum aduolarem. Certabat cum officio pietas. Suasu tandem iudicij illius Collegarū, vt me quam breuissimè expedirem, magnis itineribus Regiis (Poduodas nostri vocant) iter aggressus sum. Emenso reliquæ diei illius curriculo, veni ad oppidū in quo equi recentiores essent assumendi. Quod

Mulierum in sibi charos præsagia non cōtemnēda. Gen: 21 ℣ 12

C. Iulii Cæsaris interitus ab vxore præmonitus Valerius Maximus lib: 1 cap 7

Alterum exemplum Neronis Fulgosus lib: 10 cap: 5

Exēplum de fratre authoris iam morituro

Quod cum nocte intempesta, non sine mora peragitur, paululum me quieti trado. Vix oculos clauseram: ecce fratris pallore afflicti viua species, cubiculi in quo cubabam, ianuam pulsat vehementiùs, & per fenestellam ianuę insertam, sese prospiciendū habitu quo domi reclusus vtebatur, exhibet, vocem istā edens. Accurre ociius, frater, accurre. Illico ego famulos sopore consternatos excito, profectionemq; vrgeo. Referunt illi, equos quidem in promptu esse, sed sum̄a difficultate & adactione Magistratus conductos: quos etiā muliercula eorum possessor cum eiulatu & maledictionibus fuisset prosecuta. Ego verò viæ maledictionem, quamuis iniustam, in casu præsertim periculoso, defugiens, restitutis prioribus, alios equos quocunq; tandem sumptu conquiri iubeo: quæ cura quinque horis egressum inde meum retardauit. Accurro tandem, & fratrem charissimū (proh dolor) quinque itidem ante horis mortuū inuenio, ad extremum vsq; spiritum, de aduentu meo, non minori quàm Iosephum de suo Beniamin affectu, subinde (vt astantes referebant) percontantē. Porrò talia præsagia, an à bonis vel malis genijs, hoc est, Angelis vel cacodęmonibus inferantur, parum refert: quando non sine diuina vel dispensatione vel permissione talia accidere credimus. Sic & in isto exemplo B. Ignatius, Bernardus, Rabanus, Beda, Lyranus, & quidam alij; somnium istud à diabolo ministratum fuisse asserunt. Quod non absq; ratione dictum esse videtur. Si enim boni Angeli, propter diuersa patrocinia hominum & Regnorum, diuersa quoq; coram Deo suffragia & studia præseferebant; magis hoc dici potest de potestatibus infernalibus, vbi teste B. Iob, *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Si etiam Christi Domini mundo euangelizantis diuinitatem dæmonia, partim tentationibus explorabant, partim per inimicos eius oppugnabant, partim in hominibus obsessis cōfitebantur & prædicabant: maiori ratione & necessitate circa eius passionem hallucinabantur, quando (secundum Autores supra citatos) in processu eius passionis, humanis infirmitatibus diuinas operationes permisceri cernebant, & virtutis eius passionem quò proximiùs, eò etiam certiùs assequebantur; & fortasse ex animarū in limbo exultatione recognoscebant. Alij tamen ex antiquioribus, nimirùm Origenes, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, Euthymius, & Theophilactus, per bonū Angelū hoc administratum

Gen: 43 ℣ 3

Somnium vxoris Pilati à quali spiritu suggestum

Ignatius Epist: ad Philipen: Bernar: Serm: 1 de Resurrect: Beda Lyranus in hūc locum Historia Scholastica in Euan: Cap: 167 Daniel: 10 ℣ 13 Iob 10 ℣ 22

Origenes & alii super hunc locū

tum fuiſſe ſentiunt: tùm propter innocentiæ Chriſti per gentilitatis vtrumq; ſexum, ad grauiorem Iudæorum reprobationem, teſtimonium: tùm propter ipſius etiam fœminæ, quę ex naturali ſaltem affectu Domino compateretur, ſpirituale͂ ſalutem. Aliud etiam exinde myſterium elicit B. Hieronymus: Nota (inquit) quòd gentilibus à Deo ſæpè ſomnia reuelentur: & quòd in Pilato & vxore eius, iuſtũ Dominum confitentibus; gentilis populi teſtimonium ſit. Auguſtinus autem myſterium iſtud ſic expendit: In natiuitate, mundi vxor ducit virum ad mortem: in paſſione Chriſti, vxor prouocat ad ſalutem. Illic ſerpentis ſubtilitas præcipit, hîc terror Angelicus reuocat: vt inde inciperet venia, vnde videntur prorupiſſe peccata. In eundem ſenſum Rabanus: Nunc demum diabolus intelligit, per Chriſtum ſe ſpolia amiſſurum: ſicut primùm per mulierem morte͂ intulerat, ita per mulierem vult Chriſtũ de manibus Iudæorum liberare, ne per eius mortem, mortis amittat imperium. Hæc ille. Vnde Origenes, Chryſoſtomus, & Theophilactus, iſtam fœminam ſaluatam eſſe exiſtimant, non quidem authoritate ſcripturę, ſed traditionis probabilitate. Dari etiam poteſt ratio, quòd ſicut latroni compuncto ex gente Iudæorvm, ſic non minùs iſti fœminæ Chriſto compatienti; benignitas Dei, & virtus eius paſſionis in orbem ſeſe tunc diffundens, ad veniam non defuiſſet: tùm etiam ne introitus Chriſti in prætoriũ, & veritatis annuntiatio, ſi nõ in ipſo Pilato; in eius ſaltem coniuge tanquam coſta ex latere deſumpta, (vt B. applicat Chryſoſtomus) ad ſalutem vana & efficax redderetùr.

Hiero: in cap: 2 Matt:
Ambro: in Luc:
Auguſt: Serm: 12 de tempore ſeu de paſsione
Rabanus ſeu gloſſa ſuper hunc locum
Vxorem Pilati ſaluatam eſſe qui ſentiunt Origenes & alij locis citatis
Chriſoſt: Serm: 3. de cœua Dñi vel de proditore

Ma't: 27
Marci 15
Lucæ 23
Ioan: 18

Principes autem ſacerdotum, & ſeniores concitauerunt turbam & perſuaſerunt populis, vt magis peterent Barabbam. Ieſum verò perderent. Reſpondens autem Præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi clamauerunt rurſum omnes ſimul dicentes: Nõ hunc, ſed tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Ieſum. Pilatus autem iterum reſpondens ait illis. Quid ergo vultis faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? At illi iterum ſucclamabant dicentes omnes: Crucifigatur, crucifige, crucifige eum. Pilatus verò tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum: & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes vt crucifigeretur, & inualeſcebant voces eorum, & magis clamabant dicentes: Crucifigatur, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam?

Cap: XVI

Iniquiſſima & contumelię plena erat iſta Chriſti Domini ad Barabbam cõparatio: quemadmodum B. Petrus Iudęis quibuſdam pœnitentibus exprobrat, dicens: *Petiiſtis virum homicidam donari vobis, autorem verò vitæ interfeciſtis.* Vbi emphatica ponitur antitheſis, homicidæ & latronis, cum autore vitæ & ſaluatore. Vnde apta poteſt inferri accomõdatio culpæ in paradiſo cõmiſſæ, ad exolutionem pœnæ per Chriſtum factæ: quæ quidem duplex erat: prima ommiſſionis, quòd primus homo (vt habebat preceptum) non operabatur, nec cuſtodiebat Paradiſum: altera commiſſionis, quòd furtum quidem & latrociniũ in ablatione fructus vetiti, & ipſius diuinitatis vſurpatione cõmiſiſſet, atq; deinde homicidium in totam poſteritatem ſuam necdum natam tranſmiſiſſet. Vtramq; igitur culpam Dei filius, quamuis propriè in ipſa carnis aſſumptione ſuſcepiſſet, externo tamen quodam ſymbolo iam exolutioni per paſſionem proximus, priorem quidem culpam videtur veluti exhauſiſſe ex proditorio oſculo Iudæ: quandoquidem ille cum cęteris vndecim ex mundo electus Apoſtolatus veluti Paradiſi recuperandi officium, non cuſtodiuit: *nec tenuit principatum ſuum*: nec ſecundùm *quod miſſus erat operatus eſt fructum qui permaneret*: ſed potiùs malus operarius in vltima cœna, iuſſus facere quòd ſuo officio conueniebat, traditionem Domini & Saluatoris conſumauit. Altera culpa furti, latrocinij, & homicidij, ad proximã eius exolutionem, erat Chriſto quodammodo aplicata voce totius populi, nemine reclamante; vt nimirum (pœna Barabbæ in Chriſtũ innocẽtiſſimum trãſlata) ille quidem dimitteretur, hic verò ligni culpam ligni pœna exoluens, crucifigetur. Quod etiam confirmat mos gentilium, qui famoſos fures, ſeu latrones, ſicut Crucis ſuplicio afficiebãt, ſic eius nota (quæ etiã interdũ apud nos ſeruatur) deſignabãt Et ipſi Iudæi, teſte Philone, homicidas eodẽ ſupplicij genere afficiebãt quod tũc ex ſceleratiſſimo Barabba, in Chriſtũ innocẽtiſſimũ, iniquiſſimè transferebatur. Meritò igitur Pilatus tantã rabiẽ eorũ perſtringit, & ad Chriſti dimittendi perſuaſionẽ denuò accomodat: ſumam atq; perhennem ignominiam totam hanc

Act: 3 ỽ 14
Barabbæ crimina quo myſterio Chriſto imputata
Gen: 2 ỽ 15
Gen: 3 ỽ 6
Iudę 1 ỽ 6
Ioan: 15 ỽ 16
Ioan: 13 ỽ 27
Lucianus Dialo: Luc voca
Philo lib: de ſpeciali

gentem

gentem fore relaturam, quando Rex Iudæorũ, si non re, saltem titulo vel causa, crucifigatur: quemadmodum paulò post in prolata sententia, & crucis titulo id ipsum præstitit. Quod tamen opprobrium perditos illos homines à proposito reuocare nõ potuit. Sed secundùm antiquos Doctores euenit illud, quod prædixisset Dominus per Prophetam: *Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in sylua, dedit contra me vocem: ideò odiui eam.* Talis autem iniustitia & persecutio ex Christi capite, deriuare etiã solet in membra eius, hoc est, pauperes & innocentes. Passim enim Christiani, quando tantam iniquitatẽ contra Dominum audiunt, condolent quidem & abominantur, interim autem in seipsis talia aduertere nolunt. Reuoluite quæso, Auditores, tàm iudicia quàm consilia corruptissimi huius sæculi: vbi obsecro non reperietis Iudaicam cupiditatem, in dolos & proditionem deuenientem: Annæ præsumptuosa præiudicia, Cayphæ calumniosam iniquitatem: Principum iustitiæ peruersionem: plebis tumultariam conspirationem: Pilati adulatoriam personarum acceptionem: Herodis deniq; innocentiæ subsannationem? Vtinã autẽ non solùm in priuatis hominũ actionibus, sed etiam in publicis, vbi de Republica eiusq; conseruatione summa rerum agitur, talia committi non videamus.

Iudæorum rabies feralis contra Christum
Ierem: 12 ℣ 8
Cyrill: Ierosolym: Catechesi 13 illuminat.
Cypria: vel Ruffinus in symbolum
Beda in Marci cap: 15.
Iniquitas contra Christum patrata inuenitur in Pseudo Christianis:

Ioan: 19
Matt: 27
Marci 15

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, duxerunt eum in atrium prætorii, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextram eius: Et veniebant ad eum, & genuflexo ante eum, illudebant ei, & cœperunt salutare eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et conspuebant eum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percuciebant caput eius arundine, & dabant ei alapas, & ponentes genua adorabant eum.

Denudationis Christi ad flagellationem mysteriũ
Eccli: 11 ℣ 29.
Gene: 3 ℣ 7

Cap: XVII

Præuaricationis primorum hominum in paradiso, prima pœna erat denudatio, vel potiùs nuditatis naturalis propter culpam erubescentia & confusio. Cui accomodari potest illa scriptura: *In fine hominis* (sicut ibi in fine status innocentiæ) *denudatio operum eius.* Nuditatem verò illam, non casu aliquo, sed condigna Dei ordinatione, exceperunt folia ficus, quæ cum non sint plena, sed potiùs in angulos incisa, non sufficienti tegumento, sed

potiùs

potiùs corporis pœnali nocumento seruiebant. Constat enim foliorũ taliũ affrictu, cutẽ vsq; ad sanguinẽ excoriari. Hoc igitur mysterio (vt etiam notauit Irenęus) Dominus in manus peccatorũ traditus, ordinem in exoluendo delicto Adæ conseruauit: ac primò omniũ denudari sese permisit & erubescere voluit, vt suo innocentissimo rubore argueret Synagogæ contra se debachantis impudentiã, à Ieremia propheta olim sic notatã: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere:* simul etiam voluit ad vberem sanguinis profusionem cædi & flagellari. Quam flagellationem Pilatus ea intentione adhibuit, quòd leuitatis potiùs quàm læsæ Cæsareæ maiestatis culpam, emendatione plagarum corrigendã esse iam ante censuisset, & Herodis iudicium exequeretur: quando fatui plagarum potissimum inflictione corriguntur: Tum etiã vt esset ratio eum à morte absoluendi: cùm & ipsa lex sacra præscribat, Deũ *etiam ipsum bis in idipsum non iudicare seu punire: nec velle vt consurgat duplex tribulatio,* seu pœnæ pro vno delicto inflictio. Solent hic aliqui autores flagellationis ipsius vehementiam & atrocitatem in modũ & numerum etiam plagarum exaggerare. Sed quia Euangelistæ vnus post alium historiam supplentes, nil tale tradunt: satis nobis fuerit considerare, flagellationem illam fuisse atrocissimã, quòd nimirùm non legali præscripto ad definitum plagarum numerum, sed iudicio Pilati ad mortis ferè vicissitudinem infligeretur: & *à planta pedis ad verticem* sicut Beato Iob, innocenter Domino afflicto, *species & decor hominis in eo non recognosceretur,* vt Isaias prædixit, & Pilatus contestatus est producto Iesu dicens: *Ecce homo.* Certè vel vnica plaga gentilium carnificum filium Dei affligi, intolerabilis contumeliæ fuit, iuxta illam Dei querelam: *Nunquid homo affiget Deum: quia vos configitis me gens tota?* Si enim talis afflictio Deum tantopere offendebat, in primitiis frugum, quid in primogenito & vnigenito filio non offendisset? Quia verò reputata illa in Christo leuitas vel stultitia, ad Regiæ dignitatis vsurpationem sese extendebat, flagellationi Pilatus addidit ironicam Regiæ reuerentiæ illusionem, quæ hominem ingenuum super omnes alias iniurias afficere solet: dicente Seneca: Nullus maior labor, quàm posse perferre illusores. Quemadmodum etiam primos homines in paradiso, post priorem nuditatis illusionem diuinam, subsecuta erat altera, quando *induti vestes*

Christus ordinem culpe respondentem in passione seruauit
Iren: lib: 3 cap: 37
Magist: histor: Scholast: in Genesim cap: 23,
Ierem: 3 ℣ 3

Flagellationis Cristri intentio apud Pilatum

Nahum 1 ℣ 9

Flagellationis Christi atrocitas

Deut: 25 ℣ 2
Iob 1 ℣ 7
Isaiæ 52 ℣ 2

Malach. 3 ℣ 8

Christus quare post flag: latio- nem illusus

Seneca in Epist

P *pelliceas.*

Psal: 48 ℣ 13 21
Gen 3 ℣ 22

pelliceas, & pro bestiis (vt ait Psalmista) *reputati*, sic à Deo audiebant: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Ad eundem modum milites Christi illusores, primò Christum induerunt purpura, (& fortasse lacera, vel pseudopurpura, ut vestis reliquis illusionibus responderet) coronam spineam capiti imponunt, arundinem verò manui ingerunt: quorum singula pœnæ generi humano in paradiso inflictę, rectè accomodatur. Spinea enim corona, respondet terræ *cordis humani maledictæ, loco boni fructus spinas germinantis.* Ad quod mysteriũ Isidorus sic pulchrè allusit: Quandoquidem (scribit ille) execrationis illius, qua terra post mandatum à nobis violatum multata est, seges spinea erat: Dominus autem vt omnem in seipso morbum curaret, aduenerat: Idcirco spinea corona, vt victor redimitus est. Quemadmodum scilicet clari & celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum cuius ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant. Hæc ille. Similiter & arundo foris quidem lignum fabrile referens, sed intus vacua & inutilis, pro sceptro regali tradita, denotare potest *tribulos* humanæ per peccatum vanitatis & asperitatis. Latebat tamen in ista illusione veritas: quia Regi cælorum regnum temporale delatum, non honor, sed ignominia reputari debet. Vera etiam militia Christi Regis æterni, erat cælestis, *cuius legiones si ipse permisisset, mox sibi fuissent affuturæ.* Quod mysterium Cyrillus quoq; expendit his verbis: Figura fuit Regni: Illudebant quidem, genua flectebant: tamen induentes purpura, postea crucifigunt. Milites coronam imposuerunt capiti eius. Quid enim refert, etiamsi spineam? Omnis Rex à militibus appellatur: oportebat & Iesum, à militibus typicè crucifigi. Sicut ideò scriptura in Canticis dicit: *Exite & videte filiæ Ierusalem, Regem in corona, qua coronauit eum mater eius.* Mysterium erat corona: solutio enim erat peccatorum, dissolutio autem maledictionis. Accipit sententiã Adam. *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos adferet tibi.* Propterea Iesus accepit spinas, vt soluat hanc maledictionem: ideo sepultus est in terra, vt maledicta terra pro maledictione recipiat benedictionem. Hactenus Cyrillus. Non latuerunt etiam hæc mysteria Sibyllam sic òlim vaticinantem:

Illusionis modus quomodo culpe Paradisi respõdet

Isidorus Pelusiata libro 1 epist: 55 ad Euthomium
Gen: 3 ℣ 28
Coronę spineæ & arundinis mysterium
Gen: 3 ℣ 17

Matt: 26 ℣ 53
Cyrill: Iero: Cateche: 13 illuminat

Cant: 2 ℣ 11

Gen: 3 ℣ 17

Sybill: Erytrea lib: 8 oraculor:

Nam veniet sanctis æterna vepre corona
Lectis, cum calamo compungent ilia, legis
More suo: ex calamis etenim quos concutit aura
Ad lites animi sese ira vindice vertit.

Scitè

Scitè etiam B. Augustinus, isti spineæ coronationi applicuit *arietem cornibus implicatum* vepribus ad cruentam immolationem Abrahæ diuinitùs subministratum accommodat. Tertullianus quoq; coronationem illam sic expendit: Ex spinis, opinor, & tribulis, in figuram delictorum quæ nobis protulit terra carnis: abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mòrtis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Sic ille. Ex quibus etiam verbis colligere licet, quod Christiana pietas persuasum habet, spinas illas adeò fuisse agrestes & acutas, vt impetu præsertim accedente, quando illud ipsum caput per milites arundine percutiebatur, cranium Christi penetrarent, ad vulnera cerebro mortifera inferenda, nisi potentia diuina mortem ipsam consummationi redemptionis per crucem distulisset. Spinas enim illas longè nostrates excedere, vel arundinum quæ inde ex illis partibus ad nos deferuntur, forma testari potest, & aculeorum etiam reliquiæ, quæ in quibusdam locis religiosè asseruantur. Certè nos in agro Romano, sicut crassas arundines, sic & aculeorum spinas, vidimus, ad perforandum etiam capitis cranium satis sufficientes. Idem & corona ipsa quæ Parisiis asseruari dicitur confirmat.

Isaac & aries in immolatione typus Christi
Gen: 22 ℣ 15
Agust: de Ciuit lib: 16 cap: 32
Tertulianus de Corona militis
Spinarum in Christo cruciatus quãtus

De hac Antoni Episc: Florentia

Cap: XVIII

Porrò Dñs, sponsus & caput nostrum ipse existens, sponsam quoq; & membra sua, ad similem coronã æternam per tribulationem parandam vocat & allicit dicens: *Veni de Libano sponsa mea, coronaberis.* Quod clariùs Dominus iam glorificatus promittit: *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ.* Apostolus etiã: *Nemo* (inquit) *coronabitur, nisi legitimè certauerit.* Propterea Clemens ille Gręcorum Theologorum antiquissimus, inter alia sic Christianos erudit: A ratione alienum est, vt qui audierimus spinis Dominum esse coronatũ, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus. In eandem sententiam Bernardus inquit: Pudeat v... sub spinoso capite Christo, membrum delicatũ inueniatur. Idem profectò scopus erat voluminis, quod antiquissimus Tertullianus de corona militis conscripsit. Refert enim ibidem: Cùm in Romano exercitu milites coronas ab Imperatore elargitas, in capite detulissent, & solus Christianus eam in manu sua gestasset, rogatus causam, respõdit, se religione prohiberi, quòd Christus in delusiònem spinis in capite fuerit coronatus. Legimus etiam S. Elizabetam Regis Vngariæ filiã, in pueritia quamùis,

Ad coronam mysticam post Christum stimulus
Cant: 4 ℣ 8
Apoc: 2 ℣ 10
2 Timot: 2 ℣ 5
Clemens Alexan: lib: 2 Pedagog: cap: 8
Bernar: Ser: 5 de Sanctis
Coronę sæculares dedecent Christianos
Tertulianus libro de corona militis.
In vita S. Elizab: apud Surium die 19 Nouembris

quoties

quoties ad ecclesiam conuentaret, regalia capitis ornamenta deponere consueuisse: quòd indignũ duceret, in conspectu memoriæ Crucifixi, redemptoris sui coronam spineam gestantis, caput suum floribus vel gẽmis adornari. His singulatim explicatis, illud in genere addendum est ex B. Hieronymo: Quamuis Christum pro nobis etiam morte simplicissima affici sufficeret, non temerè tamen vel casu tot tamquè varias afflictiones perpeti eum voluisse. Primò quidem ratione dæmonis, vt principatum eius destrueret. In istis enim afflictionibus, magis diuina potentia & prouidentia, quàm diaboli inuidia & malitia, quæ cæca est, operabatur. Quod post B. Athanasium S. Leo egregiè sic explicat: Nec ergo diabolus ipse intellexit, quòd sæuiendo in Christum, suum destrueret principatum, qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini sanguine contineret. Sed malitia nocendi auidus dum irruit, ruit: dum capit, captus est: dũ persequitur mortalem, incidit in Saluatorem. Si enim (alibi sic prosequitur) crudelis & superbus inimicus, consiliũ misericordiæ Dei nosse potuisset, Iudæorũ animos mansuetudine potiùs temperare, quàm iniustis odiis studuisset accendere: ne omniũ captiuorum amitteret seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem &c. Hæc ille. Hoc autem mysterium, diuina in Christo oparebatur sapientia & potentia, quæ teste B. Ambrosio, interdum diaboli operibus, contra eundem diabolum vtitur. Et videte Auditores, quomodo singulæ Christi contumeliæ in ista regali illusione, in ipsum diabolum recidant. Induitur Christus purpura, vt serpentinam diaboli fraudulentiam exponliaret: coronatur spinis, vt sua humilitate & patientia superbiã dæmonis deiiceret; qui teste B. Iob, *est rex super omnes filios superbiæ*. Arundinem pro sceptro regali suscipit, vt vanum ac futile dæmonis imperium ostendens, illud post resurrectionem victor virga ferrea regeret & contereret. Tradit enim B. Hieronymus: Serpentes venenosissimos, modico etiam arundinis ictu necari. Secundò, voluit Christus non solùm mortem, sed varias etiam afflictiones & illusiones perpeti, vt secundùm Athanasium, non solùm culpam & pœnam ipsius peccati, sed etiam illius mala germina, hoc est, varios animi & corporis defectus & pœnalitates, in se reciperet, & pro nobis exolueret. Quod attesta tur Isaias: de primò quidem sic dicens: *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum.*

Christus cur ad mortem tot afflictiones admiserit

Hieron: in Matt: cap: 27

Diabolus tot Christi passionibus deceptus mortem eius vrsit

Athanas: Sermo: de passione Dñi

Leo Serm: 9 & 11 de passione

Ambros: lib: 1 de pœniten: cap: 13

Contumeliæ Christo illatæ in dæmonem redundarunt.

Iob 41 ℣ 25

Arundo Serpentibus exitiosa

Hieron: in Matt: cap: 27

Christus non solum pænam sed & pænalitates nostras sustulit

Athanas: Serm: de passione Dni.

Isa: 53 ℣ 6, 4

Deinde de secundo addit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Tertiò, sustinuit eiusmodi afflictiones Dominus, vt singulis pœnis, singulares offensæ hominis erga Deum species exolueret atq; tolleret. Quia enim homines peccant: primò interius in anima; voluit Dominus ante omnia perferre ineffabiles animæ angores & passiones, ad sudoris vsq; sanguinei profusionem: quod ipsemet attestabatur dicens: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Et multò ante: *Baptismo* (inquit) *habeo baptizari, & quomodo coarctor vsq; dum proficiatur?* Deinde exterius peccant homines honore & fama: peccant circa bona corporis, & fortunæ &c. Hæc expiando, voluit Dominus sufferre tot calumnias, illusiones, & improperia, deinde in corpore exquisitissima tormenta, vsq; ad mortem: Deniq; extremæ quàmuis paupertatis suæ expoliationem: dum ex necessario vestitu exutus, vestẽ reddit spoliatoribus, & tunicam: *& qui in terra locum non inueniebat*, supra lignum crucis *tandem inueniret, vbi caput suum reclinaret.* Postremò tantæ Christi afflictiones propterea multiplicatæ sunt, vt nobis in ipso cederent, non solùm in redemptionem & satisfactionem pro peccatis, sed etiã in meritũ ad nouam gratiam & virtutes: neque solùm nos eximeret à malis, sed etiam constitueret in bono; sicut ipse dicebat: *Ego veni vt vitã habeant, & abundantius habeant.* Passus est Dominus, rex regum quàmuis & Dominus dominantium, de regno mundano sibi illudi & corona spinea affligi potiùs quàm honorari, vt innatam nobis superbiam & vanitatem deprimeret: atq; mundi illæcebris etiam supremis contemptis, doceret *regnum suum*, cuius nos fecisset participes & heredes, *non esse de hoc mundo: sed regnũ spirituale quod intra nos est, simulq; sacerdotium regale*: vt nimirũ subiectis in hac vita propriis passionibus, & quibusuis tentationibus per mortificationem Deo oblatis, regnum illud supremum cæleste atq; sempiternum acquiramus. Vbi pro veste ignominiosa, reddetur stola gloriosa; pro spinea corona, commutabitur aureola aurea: Sceptrum arundinaceæ mundanæ vanitatis, compensabitur palma gloriosæ æternitatis.

Christus omnes affectiones culpæ in homine expiauit

Matt: 26 ℣ 38

Lucæ 12 ℣ 30

Ioan: 19 ℣ 23

Lucæ 9 ℣ 58

Passio Christi non solum nobis malum abstulit: sed etiam bona contulit

Ioann: 10 ℣ 10

Christus quale regnum & Sacerdotium nobis promeruit

Ioan: 18 36

1 Petri 2 ℣ 9

Cap: XIX

Exiuit iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia in eo nullã inuenio causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans coronam spineam & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo.

Ioan: 19

Post-

Intentio Pilati producendi Iesum flagellatum

Postquam Iesus fuisset crudelissimè flagelatus,& contumeliosissimè illusus: exeundo Pilatus nuntiat Iudæis,se velle denuo eũ præsentare,vt non solùm auribus audiant,sed etiam oculis videant,eum mortis non esse reum: quandoquidem examen satis durum,subsecuta fuerit flagellatio, & aliæ afflictiones,quæ loco torturæ adhibita,nihil tamẽ criminosi ex illo elicere potuerint: Satis igitur superq; castigatum,esse tandem dimissione dignum. Ista reor intentione, & vt aspectu eius miserabili. Iudęos ad misericordiã flecteret, producit Iesum foras Pilatus, hanc vocẽ edens: *Ecce Homo.* Quæ verba primò B. Augustinus sic expendit: Ecce homo, nõ clarus imperio,sed plenus opprobrio: si Regi inuidetis,iam parcite,quia deiectũ videtis.Flagellatus est,spinis coronatus est, ludibria veste amictus est, amaris conuitiis illusus est,alapis cęsus est: feruet ignominia, frigescat inuidia: sed nõ frigescit,inardescit potiùs & increscit.Hec illæ.Tunc enim apparuit Christus in ea forma,quã prçnuntiauerat Isaias his verbis: *Non est species ei neq; decor: & vidimus eum,& non erat ei aspectus &c; & quasi absconditus vultus eius,& despectus eius: Vnde nec reputauimus eum.* Primò ergo verba ista,ad intentionẽ Pilati,sic intelligi possunt: Vt ostenderet,Iesum tanta afflictione, non solùm regiã sed humanã etiam speciem amisisse: nec subesse rationem supplicii illius ampliùs sollicitandi: cùm tanta quæ iam passus esset consecutura esset mors, vel violenta, vel saltem ciuilis, secundùm quã vita eius si quæ superesset in perpetuo futura esset dispendio & opprobrio.Deinde sensu mystico apprimè quadrãt verba ista illusioni Adæ, quam etiã Christus in se recipisset: quãdo ex Paradiso eiecto Deus in Trinitate personarum sic improperabat: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum.* Tertiò conueniebat propriè vox ista generi humano, in quo propter prçuaricationem originalem, à capite vsq; ad plantam nõ inueniebatur sanitas, quç omnia Christi in se recepit: iuxta illud Isaię: *Omnes enim nos sicut oues errauimus, vnusquisq; in viã suã declinauit: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Talem namq; vniuersitatis contestationem à sæculari præside videtur insinuare vox ista, qualẽ ante hac prodiderat Caiphas: dicendo: *Expedire vnum, mori hominem, ne tota gens pereat.* Quartò, quemadmodum Christus in transfiguratione sua, ad deuitandum futurç passionis suæ scandalum, ostendit speciem gloriæ suæ,

Cap: XXI

Ecce homo quàm plena mysteriis vox

Ioan: 19 ✠ 5

August: tract: 116. in Ioann:

Isa: 53. ✠ 2.

Ecce Homo quo sensu dixit Pilatus

Ilusionem Adæ sustinet Christus

Gen: 3 ✠ 22

Isa: 53 ✠ 9

Ioan: 11 ✠ 50

Ecce homo vox Transfigurationi opposita

suæ, secundùm quam *exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terestrium, & infernorum:* Idq; cum attestatione vocis cælestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* Sic in ipso iam passionis decursu, voluit filius Dei ostendere, & vniuerso mundo contestari, exinanitionem suam, secundum quam *cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus esse se æqualẽ Deo,* (sicut Lucifer in cælo, & Adam in paradiso) *sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo: factus obediens Patri vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Ideò rectè eiusmodi contestationi conuenit vox terrena, per præsidem orbis tunc domini hoc est Cæsaris conclamata. *Ecce homo.* Deniq; voluit Christus tanquãm caput martyrũ in isto suæ afflictionis ostentu, exhibere seipsum formam membris suis: vt exemplo Domini, serui quoq; regno quamuis indigni, improperium eius perferrent. Quòd egregiè imitati sunt Apostoli, de quibus dicebat Paulus, *Vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus: Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos. Quia spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Hæc ibi. Hic recollige ô anima Christiana, & considera, si tale vnquam siue in cælo, siue in terra, siue inprofundo inferni accidit (sicut & S. Lucas vocat) spectaculum. Magnum quidem illud extitit in remotioribus membris, hoc est: tot myriadibus martyrum, qui secundùm eundem Apostolum, *ludibria experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sũt, secti sunt, tẽtati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierũt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus. In solitudinibus erantes, in montibus, in speloncis, & in cauernis terræ.* Maius spectaculum apparebat in proximioribus mẽbris Christi Apostolis: quòd Paulus sic explicare pergit: *Nos stulti propter Christum: vos prudentes in Christo: Nos infirmi, Vos autem fortes: Vos nobiles, nos autem ignobiles Vsq; in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur: & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, : blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta mundi facti sumus omnium peripsema; vsq; ad huc.* Sed omnium maximam spectaculum factus est filius Dei, in incarnatione quidem sua *ex forma Dei exinanitus,* in passione verò sua *humiliatus in forma serui vsq; ad mortem crucis*: verè spectaculum factus mun-

Matt 17 ✠ 2

Philip: 2 ✠ 9

Improperiũ Christi sequendum

1 Cori 4 ✠ 8

Cap: XX

Spectaculum quã tum Christus fuerit factus supra martyres & Apostolos

Heb: 11 ✠ 36

1 Cor: 4 ✠ 10

Philip: pen: 2 ✠ 7

Ioan: 1 ✠ 10

Hebr:2 ℣ 7 ctus mundo, per quem *mundus factus eſſet, & mundus eum non cogno-*
Lucæ 22 ℣ 43 *uit*, ſed creatorem ſuum crucifixit: *verè ſpectaculum Angelis, à qui-*
Hebr:2 ℣ 14 *bus in paſsione ſua ſic minoratus eſt, vt ab eis ſolamen & conſortationem*
acceperit: veriſsimè ſpectaculum hominibus, *qui in propria venien-*
tem, & cum pueris (vt dicit Apoſtolus) *in carne & ſanguine commu-*
nicantem, non ſolùm non receperunt, ſed quem vt Deum glorificare
Signum magnum apparens Christus in paſsione debuiſſent, inter latrones reputatum occiderunt. *Magnum ali-*
quando (teſte Ioanne Apoſtolo) *aparuit ſignum in cælo: Mulier ami-*
Apoc:12 ℣ 1 *cta ſole, & luna ſub pedibus eius: & in capite eius corona ſtellarũ duodecim.*
Maius longè, tibi ô deuota anima, nunc apparet in terræ medi-
tullio: quando filius Dei ſol ille iuſtitiæ, & ſolis conditor, con-
ſtituitur corã gẽtili iudice, cinctus turba populi ſui crucem ſibi
Zacha:3 ℣ 2 inclamantis: & quidem *amictus veſte ſordida, proprio ſanguine tincta,*
à dextris in perſona principum Synagogæ & populi, aſsiſtente & imprope-
rante ſibi diabolo. Sub pedibus autem ſuis habet lignũ crucis cor-
nibus in forma lunæ præparatum, per quod veluti ſcalam. in ty-
1 Reg:14 ℣ 13 po quondam *Ionathæ, manibus & pedibus reptans*, ſolus cum armige-
ro latrone, agmina hoſtium infernalium proſterneret, & aditum
nobis ſua virtute victricibus, ad ſupernas coronas præpararet.
Pſal:146 ℣ 4 Rurſus verò in capite eius *qui ſtellas condidiſſet, eaſq; numerat, & vo-*
Baruch 3 ℣ 34 *cat nominatim, & ad cuius imperium illæ dicunt, adſumus:* hic inquam
propter te gerit coronam ex duodecim, non ſtellis, ſed vepribus
ſpinarum contextam, diuinum eius caput vſq; ad cerebrum pe-
netrantem. Aſpice infidelis & inique iudex: aſpicite infelices
Synagogæ principes: aſpice perfida tota populi illius turba: a-
ſpicite demum peccatores: Ecce quod Dominus paulò ante
Matt:26 ℣ 64 prædixerat, *quòd à modo viſuri eſſetis filium hominis in nubibus cæli,*
Ioan: 19 ℣ 34 *& tunc agnituri eſſetis, in quem transfixiſtis:* ecce nunc ſpeciem ſuã
vobis exhibet, vt homo ad parcendum & miſerendum aliis, in
ſeipſo afflictus: qui poſtmodum apparebit ad vlciſcendum Deus
Malach:3 ℣ 9 in ſua maieſtate benedictus. Sed quid facit *gens Dominum ſuum*
configens maledicta, iam ex ſacro contextu proferamus.

PARS TERTIA.

Ioan:19 *CVm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant dicen-*
tes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos,
& crucifigite, ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei
Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia fi-
lium Dei ſe fecit.

Adduxi-

Cap: XXI. Adduximus ſupra ex Propheta, populũ illum Iſraeliticũ cum Iudæorum rabies contra Christum plusquam beluina
ſuis principibus, *comparaſſe ipſum Dominum leoni in ſylua contra ſeſe*
ad deuorandum danti vocem, ſeu rugienti. Sic enim omnes feræ cru- Hiere:12 ℣ 8
deles & rapaces affectæ ſunt, vt deguſtato vel viſo ſaltem ſangui-
ne prædæ ſibi expoſitæ, cum inſania quadã ad dilaniandum de-
ſæuiant. Idipſum faciunt iſtæ beluæ cruentæ, & ſanguinem in-
noxium ſitientes: quando loco æquitatis admittendæ, & comi- Ioan:19 ℣ 6
ſerationis à Pilato propoſitæ exhibendæ, exclamant: *Crucifige,*
crucifige eum: iſta ingeminatione morti etiam duplici ſi natura
ferret, eum adiudicantes. Cùm autem tantum facinus à Pilato
extorquerent: recte in illos retorquet, vt ipſi qui ſic cenſent,
tantum ſcelus in Chriſto ſibi reddito exequantur: quod ſibi pia-
culum eſſet, qui cauſam mortis in eo non inueniret. Iudæi ergo Iudæi ex Politica criminatione redeunt ad legalẽ.
quia fortaſſe tempus etiam Paraſceues illos vrgeret, omiſſa po-
litica criminatione, quam tantopere reiiciebat Pilatus, rede-
unt ad priorem in ſuo iudicio ex lege ſua iam iudicatam & con-
demnatam, hoc eſt, ad crimen blaphemię, *quòd filium Dei ſe face-*
ret, vel propter hoc ſolum mortis reus eſſet. Quod igitur in prima Pilati
allocutione in genere dicebant: *Hic niſi eſſet malefactor, non eũ tra-*
didiſſemus tibi; nunc particulariter damnationẽ ſuã exprimunt.
Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſ- Ioan:18 ℣ 30
ſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem
reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? ne-
ſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimit-
tere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllã,
niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius
peccatum habet:
Pilatus homo ethnicus & idololatra, perſuaſum habebat pluri- Pilati coniectura de Christi diuinitate qualis, eiusq; inueſtigatio
mos eſſe Deos ex hominibus progenitos, quos Roma erroris tũc
mater exquiſitè coluiſſet: veritus igitur ne Chriſtus (qui opera
tam ſtupenda edidiſſet in vita ſua, & in paſſionis illo progreſſu
non merum hominem pręſeferret) ad Deorum genealogiã ali-
quam pertineret, reductum in pretorij ſeceſſum, clam interro-
rogat, *vnde eſſet?* Sciebat iam Chriſti carnalem originem, quòd
Galilęus eſſet, & Nazaręnus, nec proculdubiò parentum nomen
ipſum latebat: Inquirit igitur remotiorem originem; non per-
ſonã exquirendo: quis es tu? ſed genus: *vnde es tu?* Ieſus autem
reſponſum nõ dedit illi. Cuius rei prima ratio dari poteſt, quam

reddit

Ieſus Pilato originem ſuam in quirenti cur non reſpondit

Auguſt: tract: 116 in Ioan:

reddit Auguſtinus his verbis: Ieſus vbicunq; non reſpondit, nõ ſicut reus ſiue doloſus, ſed *ſicut agnus*, hoc eſt, ſicut ſimplex, atq; *innocens non aperuit os ſuum*. Proinde vbi non reſpondebat, *ſicut ouis ſilebat*: vbi reſpondebat *ſicut paſtor docebat*. Sic ille. Secundò, reticuit Chriſtus: quia eius reſpõſum fruſtra datũ fuiſſet: partim propter diuinam diſpenſationem, ne mors ſua impediretur: partim propter inquirentis prçoccupatam intentionem: ſicut

Lucæ. 22 ℣ 67

& Iudęis antehac dicebat Dominus: *Si dixero vobis, non credetis mihi: ſi autẽ interrogauero, non reſpondebitis mihi, neq; dimittetis.* Quicquid enim ſecundùm veritatem reſpondiſſet Chrſtus, Pilatus capere non potuiſſet.

Generatio Chriſti cur incapax fuit Pilato

Si originem ſuam deduxiſſet, iuxta deſcriptionem Matthęi Euangeliſtę, quòd eſſet quidem filius Abrahę, Dauidis, & Mariæ ſecundùm carnem, ſed non filius Ioſephi (ſiquidem ad inſtar *Melchiſedech, in terra non haberet patrem, in cælo autem ſine matre fuiſſet genitus*) ſiue etiam ſecundùm Lucam Euangeliſtam, ex putatiuo patre Ioſepho genus ſuum per multos Patriarchas & Sacerdotes vſq; ad Deum perduxiſſet, minùs credulitatis Pilato ingeſſiſſet.

Matt: 1
Hebr: 7 ℣ 3
Lucæ. 2 ℣ 49
Lucæ 3 ℣ 23

Multò etiam difficiliùs comprehendiſſet Pilatus, ſi quod ipſe Ioanni Euangeliſtæ inſpirauit, dixiſſet:

Ioan: 1 ℣ 1 14

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Tum & illud quod Iudæis quærentibus: *Quis eſſet?* reſponderat: *Principium; qui & loquor vobis.*

Ioan: 8 ℣ 25

Hæc, inquam, omnia apud Pilatũ collata cum illis quę tunc Chriſtus patiebatur, altiora quàm cælũ à terra ad intelligendũ viderentur. Tertia ratio proſilit ex ſuperiore,

Chriſti reuelatio reſeruata incredulis ad eius reſurrectionem

Chriſtũ ſicut à Iudæis obſtinatis, ſic à gẽtibus incredulis, in ſtatu non mortalitatis & paſſionis ſcandalo ſubiectæ, ſed in ſtatũ imortalitatis agnoſci debuiſſe. Sicut ipſe dicebat de Iudęis quidem: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum*: de gentibus autem Chriſtũ videre ſatagentibus, dicebat: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Vbi ſubiicit parabolã *de grano frumenti, quod vt fructũ vberẽ afferat, mortificatione in terra priùs indigeat.*

Ioan: 8 ℣ 28
Ioan: 12 ℣ 21 24

Quod profectò mox Chriſto in cruce mortuo euenit: quando Centurio *cum militibus gentilibus, eum Dei filium confitebantur: & ex Iudæis multi reuertebantur fideles & compuncti percutientes pectora ſua.*

Lucæ 23 ℣ 47

Veritas à Pilato contempta meritò eidẽ denagata

Quartò, non reſpondit Chriſtus Pilato, neq; aperuit veritatem, quia Pilatus ſuperiùs à Domino vltro propoſitam veritatem, conuer-

tit in

Ioan: 18 ℣ 38
Ioan: 14 ℣ 6

tit in vanitatem dicens: *Quid eſt veritas?* Si enim audire voluiſſet, fortaſſe Dominus non minùs quam Thomæ reſpondiſſet: *Ego ſum via, veritas, & vita*: ex qua reſponſione rectè intellecta, non opus habuiſſet denuo interrogare, *Vnde es tu?*

Cap: XXII

Chriſti reſponſio poſterior ſatis erudiebat Pilatum de priori

Quintò & vltimo: ne Dominus videretur Pilato prorſus defuiſſe, in eo quod ad eius ſalutem quærebatur, ad alterã interrogationem reſpondens, etiã primam incluſit, quando dixit: *Non haberes ſuper me poteſtatem vllam, niſi datum tibi fuiſſet deſuper.*

Ioan: 19 ℣ 10

Ex hoc enim conſequebatur vnde ille eſſet: ſicut & alibi Iudæis dicebat: *Vos deorsùm eſtis: ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis; egò non ſum de hoc mundo.*

Ioan: 8 ℣ 23

Quę autem eſſent *ſuperna illa*, facilè potuit colligere Pilatus, vt potè quę poteſtatem ſumam principis terrę quam ibi gereret Pilatus, ſuperarent.

Deſuper eſſe Deo proprium

Chriſoſt: Cyril: & Auguſtinus ſuper hunc locum

Deſuper enim eſſe, idem eſt, (vt exponunt antiqui Doctores) quod à Deo, qui dicitur altiſſimus. *Cælum enim cæli Dño, terrã autẽ dedit filiis hominum.*

Pſal: 113 ℣ 16

Præſumptio & abvſus poteſtatis in Pilato cõtra Chriſtum

Plus igitur quàm præſumptuosè ſubinfert Pilatus: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Quę verba poſſent reduci ad eum ſenſum, vt poteſtas ſignet animum & conatũ Pilati ad dimittendum Chriſtum: quaſi diceret:

Ioan: 19 ℣ 10

Satis ſuperq; laboraui pro tua liberatione: tu autẽ adeò ingratus es, vt me neq; digneris reſpõſo? Sed quia Chriſtas intellexit poteſtatem pro authoritate ſeu iuriſdictione: rectè Ambroſius

Ex iniquitate Pilati docetur officiũ boni iudicis

Ambro: in Pſal: 118 Ser: 20

Pilatũ iniuſtitię ex his verbis conuincit, dicens: Tua (inquiens) Pilate voce conſtringeris, tua damnaris, ſententia. Pro poteſtate igitur, non æquitate Dominum crucifigendum tradidiſti: per poteſtatem abſoluiſti latronem, autorem verò vitę interfeciſti. Et ex iſto Pilati peccato, iudicis iuſti famam ſic poſtea præſcribit: Bonus iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticę propoſito voluntatis, ſed iuxta leges & iura pronuntiat: ſcitis iuris obtemperat: non indulget proprię voluntati: nihil paratum & meditatum domo defert: ſed ſicut audit, ita & iudicat: & ſicut ſe habet natura negotij decernit: obſequitur legibus non aduerſatur: examinat cauſę merita, non mutat. Hæc ille.

Silentii & reſpõſi Pilato per Chriſtum ratio

Neceſſario igitur Dominus in iſta gemina interrogatione Pilati, vſus eſt pręſcripto illo ſacri ſapientis: *Ne reſpondeas ſtulto, ne efficiaris illi ſimilis. Reſponde, ſtulto ſecundùm ſtultiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.*

Prouer: 26 ℣ 4

Primæ enim queſtioni Dominus non reſpondit, ne ſeſe genealogiæ idolorum implicaret, *cuius generationem* ſecundùm Prophetam,

phetam,

phetam, *quis enarabit?* In altero necessariò diuinam suam poten-
tiam, & Pilati arrogantiam corrigit. *Omnis enim potestas* (vt do-
Isa: 53 ℣ 8 Rom: 13 ℣ 1 cet Apostolus) *à Deo est*: quę autem contra vel præter ordinatio-
Potestas Pilati sicut dęmonis quatenus iusta vel in iusta nē Dei est, abusus potiùs potestatis est, per Dei permissionem:
qualē potestatē B. Gregorius diabolo adscribit. Potestas igitur
Pilati erat iusta, quatenus delegata à Romanis: quibus à Deo cō
Greg: lib: 2 Moral: Cap: 6 & lib: 18 Cap: 3 cessū esset imperiū propter cultu iustitiæ, vt B. docet Augusti-
Ireneus Lib: 4, cap: 34. nus. Eorū quoq; pręsidi Pilato, licuit sontem occidere: deinde
quatenus Dn̄s seipsum prędixisset & permisisset à Gētibus oc-
cidi: Sed iniusta & iniquissima erat, quòd innocentē pronūtiatū
flagelaret & crucifigeret: & quòd superiorem Dei ordinatio-
nem, & concessionem, vltroneáq; filii Dei oblationem, nutui
suo subiiceret. Talem enim potestatem antehac Dominus in
Lucæ 22 ℣ 53: prima sui comprehensione, vocauit *potestatem tenebrarum*, hoc
est, diaboli, & illorum obstinationis, ex suipsius diuina concessi-
one, & voluntaria propter redimendum genus humanū submis-
sione. Quem sensum rectè quoq; subsequitur à Domino appo-
Peccatum Pilati quomodo minus quam traditoris & cuius? sita illatio: *Propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet.* Mo-
dum enim & ordinem passionis & mortis suę, eum ipse Dominus
prędixerat; vt primò quidem per Iudam traderetur & vendere-
Ioan: 19 ℣ 11 Lucæ: 18 ℣ 31 tur principibus Synagogę: deinde ab jis ad mortē damnaretur,
postmodum verò assentiente vniuerso populo, gentili potestati
occidendus traderetur: pro quibus tamen in ipsa crucifixione
deprecabatur, quòd nescirent quid facerent. Gradus igitur isti-
us culpę, quem Dominus statuit, dependet ex illa regula Aposto-
Rom: 2 ℣ 12 li: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunq, in lege pecca-*
Iudę peccatum maximum cum socijs culpę *uerunt, per legem iudicabuntur.* Maius igitur, imò maximum pecca-
tum habet Iudas, qui ex Iudęo perfidus, ex lege pręuaricator;
ex discipulo proditor; ex Apostolo diabolus, Christū vendidit,
tradidit, & flagitioso osculo, manibus Iudęorum, & tormentis
carnificū subiecit. Deinde eadem culpa implicati quoq; erant
principes, ipseq; populus Iudęorum; quòd lege pręscriptum &
exhibitum Messiam non solùm non reciperent, sed reprobatum,
& contumeliis affectum, ex affectata malitia, occiderent. Mi-
nus autem peccatum habuit Pilatus, qui legem Moysis ignora-
uit, & Christi innocentiam vsq; ad Cæsaris gratiam defendens,
solenni protestatione, & facinoris tanti in ipsos Iudęos reiecti-
one, Christum morti adiudicauit. In hoc tamen potissimùm de-
liquit,

liquit, quòd Christi damnationem, saltem non distulisset, quod Suetonius in Tyb: Dio: historiæ. Romanę lib: 57
dictabat lex Romana, ab ipso Tyberio Cæsare adhuc Consule la-
ta: vt reorū condemnatio ad decimū ab accusatione diem dif-
ferretur. Quod nec alienum fuisset à consuetudine Iudæorum:
quando & Herodes condemnationem & mortem Petri incarce-
rati, post solennitatem Paschæ distulisset. Porrò minimum pec-
catum respectu superiorum graduum habuerunt Centurio cum
gentilicis militibus, qui causę prorsus ignari, sententiam Pilati
fuissent executi: ideoq; Christus *pro eis exorans vt illis dimitteretur,
quia nescirent quid facerent*, exauditus erat *pro sua reuerentia*, vt Cen-
turio ipse, cum quibusdam militibus, Christum Dei filium, salu-
tari fide confiteretur.

Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant Ioann: 19
*dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se
Regem facit, contradicit Cæsari.*

Particula ista (*Exinde*) referri debet ad singula superiora. Pila-
tus enim insontem Christū censuit, sicut prius ex illa calumnia,
quòd se Regē iactaret, sic modò ex posteriori criminatiōe, quòd
se filium Dei faceret. Cuius rei primum motiuum Pilato erat, Diuinitatē in Christo Pilatus cur nō damnauit
insignis eius modestia & patientia, quòd tantas tāquam absur-
das obiectiones, taciturnitate superaret. Absurdum enim erat
oculis carnalibus, Christum qui ex variis tormentis, vix homi-
nem referret, diuinitatis insimulari. Deinde quòd isto silentio
Pilatum non contemneret, sed (vt dictum est) respondendi op-
portunitatem captaret. Tertiò: quia quamuis Pilatus genus
Christi diuinum non capiebat: tamen quando originem suam
(sicut superius Regnum suum) non ad mundana, sed ad superi-
ora seu cęlestia reuocabat, meritò timebat: & vt notat Theo-
philactus, dum terret, terretur & ipse. Siquidem exemplo genti- Teoph: super hūc locum
lium illorum *Lystris, qui Paulum & Barnabā Deos reputabant*, Chri- Acto: 14 ℣ 20
sto non spinea, sed diuina corona erat deferenda: non ipse mor- Acto 12 ℣ 29
ti crucis adiudicandus, sed sacrificiis ex animalium sanguine &
holocaustis honorandus. Timuit Lysias tribunus, quòd alligasset
Paulum, qui sese Ciuem Romanum assereret. Quid non timuis-
set Pilatus, Christum genus suum ad superna reuocantem, & in
ipsa etiā passione virtutem supra humanā pręseferentem? Quar-
tò, mitescebat Pilatus, quòd Christus æquiorem quoq; se ei præ-
buisset, maiorem culpā in eū à quo sibi traditus esset, referendo.

Ioan: 19

Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adducit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotos, hebraicè autẽ Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta: & dicit Iudæis: Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus Regem niſi Cæſarem.

Iudęorum ad politicã Chriſti criminationem recurſus qua ratione

Cum viderent Iudæi, criminationem læſę diuinę maieſtatis, in Pilato timorem potiùs, quàm iudicij rigorem excitaſſe; nouaq; ipſum conſilia ad Chriſtum abſoluendum moliri; recurrunt & vrgent crimen læſę Cęſareę maieſtatis. In quo videntur iactare fidelitatẽ & ſubiectionẽ ſuã, extincto proprio Rege, Cęſari obligatam, quę ampliùs, non ſolùm ſtatum, ſed nec titulum regis, admitteret. Multò igitur magis pertinere ad Pilatum, authoritatem iſtam Cęſaream tueri, & etiam vindicare: alioqui illius tanquam pręſidis à Cęſare dati fidem fore ſuſpectam. Certè ambitionis natura eſt, non ferre ſuperiorem, ſed neq; in adminiſtratione parem. Sed imperium Romanum, ſicut ſummum, ſic etiam magis hoc ipſum fuit expertum. Statim enim in primo exortu fraternam etiam paritatem non admiſit: quod Poeta quidam ſic notauit: Cap: XXIII

Imperium ſumum non fert ſuperiorem vel parem exemplo Romanorum

Non capit vna duos maieſtas Regia fratres:
Fraterno rubuit ſangnine Roma recens.

Lucanus. lib: 1

Idem in ſucceſſiua gubernatione eueniſſe, referunt eorum hiſtorię, & Poeta ipſorum ſic cecinit:

Nulla fides regni ſociis: omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Et iterum expreſſiùs:

Nec quenquam iam ferre poteſt, Cæſarué priorem,
Pompeiuſq; parem.

Pilati ambitio & Cæſaris reſpectus quantum pręualuit

Hoc malum tantum etiã potuit in Pilato, vt abiectis tot tantiſq; rationibus & cõteſtationibus Chriſti, ſententiam mortis contra Chriſtũ appararet. Hoc ſolo ſcrupulo iniecto, quòd ſaltem titulo Rex Iudæorum eſſet cruci affigendus, ad perhennem totius gentis ignominiam. Tantum tamen pręualuerat gratię Cæſaris ambitio, vt contentus profeſſione Iudęorum, quod non Regem ſed Cæſarem recognoſcerent, opus damnandi Chriſti acceleraret.

Iudæorum reprobatio & ſeruitus proprio iudicio firmata

Iſta voce Iudęorum vnanimi & publica coram ſupremo gentili magiſtratu conteſtata, confirmata eſt illa populi illius à Deo reprobatio-

probatio, de qua ſic prænuntiauerat Daniel: *Et poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, &c. Et deficiet hoſtia & ſacrificium.* Addit Oſeas Propheta: *Sedebunt filij Iſrael ſine rege, ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine theraphim.* Hęc ibi. Omnia enim iſta per ſacrificium Chriſti in cruce finem acceperant, in cuius rei ſignum, *velum templi ſciſſum erat à ſummo vſq; deorſum.* Eum enim regem abnegauerunt, qui eſſet Meſſias, hoc eſt, vnctus, nimirùm ſimul ſummus rex, ſacerdos, & propheta: vt meritò iſta abnegatione ſua, omnibus iſtis dignitatibus & officiis orbati, in perpetuam ſeruitutẽ ſeipſos mancipauerint. Pulchrè etiã confuſionem ipſam expendit S. Auguſtinus. Cùm enim iniuria Chriſti facti eſſent amici Pilatus & Herodes, qui vulpis à Deo appellatus eſſet, & ipſe aſſecla Cęſaris: quando nunc Iudæi clamant: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*, repulerunt agnum, & elegerunt vulpem, *vt ſic meritò huc vſq; partes vulpium fiant.* Beda quoq; hoc myſterium eleganter ſic excipit; Hæret (inquit) Iudæos vſq; hodie ſua petitio. Quia enim data ſibi optione, pro Ieſu latronem, pro ſaluatore interfectorem elegerunt, merito ſalutem vitamq; perdiderunt: & latrociniis ſe ac ſeditionibus in tantum ſubiecerunt, vt & patriam & regnum ſuum perdiderint. Hæc ille. Pro apparatu igitur tam ſeueræ damnationis, deſcribit S. Ioannes circumſtantiam loci, deinde temporis. Locum ſeu ſolium iudicij ſolẽnioris deſcribit primò denominatione Græca λιθόστρωτον, quam interpres etiam in Latina verſione ſeruauit lithoſtroton: quod ſonat locum puſillo & colorato lapide, artificioſè & ſumptuoſè ſtratum: de quo etiam Plinius: Lithoſtrota captauere iam ſub Sylla, paruulis certè cruſtulis. Similiter vocem Hebræã poſuit interpres *Gabbata*, quod eminentiam ſonat. Solent namq; etiamnùm ſolia præſertim capitalium iudiciorum altiùs reliquo conſeſu eleuari, ad denotandam diuini iudicij ſupereminentiam, cuius poteſtatis eſt hominem occidere & viuificare. Non ſine myſterio igitur Euangeliſta loci illius proprietates deſcripſit: Dei qui ex ſupernis eſſet filius, ex loco ſublimi ſententiã mortis, diuinã magis tanquã à ſe electã acciperet; & exinde *quaſi lapis ſine manibus* (quas vinctas tunc gerebat) *inferius ad humiliationem crucis deuolueretur*, omnes aduerſarias poteſtates per mortem & reſurrectionem ſuam demoliturus. Horam etiam idem Euangeliſta refert-

Dan: 9 ℣ 26
Oſee. 3 ℣ 3
Matt: 27 ℣ 2
Iudæi quomodo partes vulpium.
Pſal: 62 ℣ 11
Auguſtin: in eundem locum.
Beda in Lucam lib: 5. in Cap: 23.
Apparatus iudicandi Chriſti.
Lithoſtrotõ quid.
Plinius hiſtor: natural: lib: 36. Cap: 25. ℣. 1. 19.
Gabbata quid.
Solii in damnatione Chriſto myſteria.
Daniel: 2 ℣. 45.

Hora ſatæ ſẽtẽtię in Chriſtum quæ, eiuſq; myſterium.
Hieronym: ſuper hunc locum.
Gen; 3. ℣. 8.

refert fuiſſe quaſi ſextam, quę eſt paulò ante meridiem: Qua deſignatione, B. Hieronymus notat ſignari & recompenſari tempus condemnationis primorum hominũ in paradiſo, quod ante auram meridionalem contigiſſe ſcriptura memorat. Literali verò ſenſu Euangeliſta, quando addit mentionem Paraſceues Paſchæ, iſtum temporis progreſſum verſus horam ſextã, ideo fortaſſe appoſuit, vt inſinuaret, Pilatum temporis etiã anguſtia conſtrictum, ad ſententiam contra Dominum ferendum properaſſe.

Matth: 27. ℣. 24.

Quod ſatis confirmant verba ſubſequentia: *Videns autem Pilatus, quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret,* &c. Maior difficultas eſt, quòd Ioãnes Euangeliſta iudiciũ Pilati dicit factũ *quaſi hora ſexta:* Marcus autem expreſsè habet: *Erat autẽ hora ſexta, & crucifixerunt eum:* Adſtipulatur & Lucas dicens; quòd *Chriſtus crucifixus eſt ferè hora ſexta.*

Cõciliatio textus de hora Chriſti crucifixi.

Confirmant iſtam ſupputationem cõmuniter Euangeliſtæ, qui *obſcurationem ſolis,* (quæ Chriſto iam cruci affixo apparuiſſet,) *incepiſſe ab hora ſexta vſq; ad horam nonam.* Propterea iſta (vt videtur) varietas, plurimos expoſitores etiã antiquos multùm exercuit. Conciliatio cõmodiſſima eſſe videtur,

Horarum & ſtationum apud Hebræos ſupputatio.

ex interuallo diei vel etiam noctis Hebræis vſitato. Cùm enim in ſuo horizonte æquales ferè dies noctesque haberent, noctem quidem ex vſu militarium vigiliarum, in quatuor ſtationes tribus quibuſq; horis diſtinguebant.

Cenſorius de die Natali Cap: 10.

Similiter diem quatuor interuallis per trinas etiam horas computabant: quæ interualla à primis potiſſimùm horis, quaſi per anthonomaſiam vel ſynechdochen denominabant: vt in cõmuni vſu, hora prima reputaretur tempus illud, quod ad tertiam horam protenditur: conſequenter verò tertia denominationem ſextæ, & ſexta nonæ, acciperet: nona verò veſperam etiam includeret.

Actor: 2. ℣. 15.
Actor: 3. ℣. 1.
Matth: 20. ℣. 3. 6. 12.

Quæ computatio adeò erat Iudęis vſitata, vt etiam Eccleſiaſticus in templo cultus, ad eundem modum conformaretur. Quod autem in parabola operariorum vineæ, (quæ maximè iſtum morem confirmat) additur interuallum horæ vndecimæ, ſeu vltimæ, ratio eſt, quia myſterium vocationis gentium nouiſsimo tempore, illud modicum & vltimum ſpacium requirebat, vt parabola rectam haberet applicationem. Reuera tamen ſupputatio diei ad quatuor illa interualla reducitur, quando ibidem tempus illud nouiſsimum vocatur vna hora: antecedens verò ſpacium vocatur tota dies, & poſtea, quoad operationem, totius diei pondus.

Sicut

Sicut igitur & noſtro loquendi modo, horas quando ſunt in medio, ſupputamus, vel pręteritam, vel imminentem horam denominando: eodem modo apud Hebręos, in hiſtoria paſſionis Dominicę, Ioannes intellexit tempus dictę ſententię contra Chriſtum horam quaſi ſextam, hoc eſt horam tertiã, & eius integrum interuallum præteritum, & verſùs horã ſextam decurrens. Marcus verò ſeruauit ipſius horę ſextę proprietatem. Neq; mirum foret aliquam tunc in horis contigiſſe variationem: cùm ſol ipſe temporum menſuram diſtinguens, contra naturam fuerit. Eclypſi & obſcuratione affectus: & quod cęleſti Ioſue pro populo ſuo decertanti, primum illud ſydus, curſu ſuo tanquam redemptori totius vniuerſi famularetur, & confuſionẽ rebus induceret.

Horologij ſicut & ſolis Chriſto patiente deliquium
Ioſue 10 ℣ 12

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Pilatus autem tunc volens populo ſatisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimiſit autem illis eum qui propter homicidium, & ſeditionem miſſus erat in carcerem quem petebant, Barabbam, Ieſum verò flagellatum tradidit eis voluntati eorum. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur.

Matt: 27

Cap: XXIIII.

Aquæ & ſanguinis ſymbolo Pilatus Chriſti & ſuã innocentiam cõteſtatur
Matt: 27 ℣ 24
Ambroſ: hoc loco in Lucam

Vrgente ſic tempore, vt ſupra diximus, populoq; magis tumultuante, & quòd fortaſſe poſt horam meridiei non licebat capitalem ferre ſententiam, Pilatus damnationem contrã Dominum aggreditur: præmiſſa tamen vltima & maxime ſolenni proteſtatione, non ſolùm verbali, ſed etiam cęrimoniali. Ad vtrumq; vtitur ſanguine & aqua, veluti prænuntians, vtrumq; horum ex latere innocentiſſimi agni innocentiam mundo eſſe allaturum. Cui propoſito conuenit quod dixit Ambroſius: Pilatus abſoluit Chriſtum iudicio, crucifixit myſterio. Primò igitur in ſignũ innocentiæ ſuę in iuſti iſtius cõdemnatione, aqua in conſpectu totius multitudinis manus abluit: appoſito vtrinq; ſymbolo, quòd aqua quidem mundiciem, manus verò operationem, deſignet.

Ablutio manuum quale ſymbolum innocentiæ

Non deſunt qui cærimoniam iſtã ex more gentilico deducunt: quòd illi cruentas victimas aut cædes, plerunq; lotione expiarent; Vnde illud Poetæ:

Virgil. 2 Aeneid:

Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo. Abluero.

R

Quod

Origenes & Rabanus in Glossa in hunc locum Eutymius in Matt Cap: 27 Deut: 21 ✠ 6 psal: 25 v 6

Quod etiam sentit Origenes & Rabanus. Sed magis conuenit sententia Euthimij. Præsidem secutum fuisse morem Iudæorum, in quos crimen illud deuoluebat. In lege enim eorum purgatio occulti homicidij, per lotionem manuum indicitur. Hinc & illud apud Psalmistam: *Lauabo inter innocentes manus meas*, &c. Sed profectò sicut cærimoniam, sic pharisæismũ Pilatus in hac parte mutuatus fuerat ab Iudæis. Lauit namq; (inquit ibidem Ambrosius) manus Pilatus, sed facta non diluit. Iudex enim nec inuidiæ cædere debuit, nec timori, vt sanguinem innocentis addiceret. Sic ille. Per sanguinem autem intelligit innocentis hominis damnationem, ad sanguinis vsq; & vitæ profusionem, quæ phrasis non solùm vsui nationum, sed scripturæ diuinæ est communissima. Nam & Iudas proxime eadem locutione vsus erat dicens: *Peccaui tradens sanguinem iustum*. Et videte, quomodo simile proditionis scelus, similem profert excusationem simul & suiipsius damnationem. Sicut enim Iudas confitetur facinus, & precium nefarium dissipat: sic Pilatus innocentiam Christi adstruens, culpam aliis imputat, aquam interno sceleri exterius frustra applicat. Iudæi rursus culpam & damnationem in Iudam reiectam, à Pilato imputatam, vltro etiam recipiunt: quin infæliciores præuaricatoribus Paradisi, in posteros quoq; suos nondũ natos eã transfundunt. Et sic in capite Christo (sicut ipse prędixerat) *aggregatus est & consummatus super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Messiæ*, quo occiso, qui simul esset templum, hostia, & sacerdos, occisum est simul totũ Synagogæ templum & altare: *Sanguis enim Christi*, secundùm Apostolum, *meliùs loquens quàm Abelis*, ex ista illorum voce vindictam sanguinis temporalem & æternam in populum & locum illum suo tempore induxit. Ostendimus enim in prima huius de Christi tractationis parte, homines occisos præsertim sine causa, nescio quod seminariũ vindictæ in suos homicidas obtinere.

Sanguis aliquando dicitur eius ad mortem profusio Matt: 27 v 4

Pilati sicut & Iudæ & Iudæorum infelicitas

Matth: 23. ✠. 35.

Heb: 12 v 24

Occisi innocenter suis homicidis post mortem infesti Christologiæ 2 pars Serm: 6 cap: 16

Exemplum stupẽdum & memorabile Gregorius Nissænus lib: de prouidentia cap: 1.

Ad exempla ibidem posita, pia Saluatori nostro compassio suadet mihi aliquot alia hic apponere. Primum Gregorius Nissænus, sic refert: Peccatorum supplicium, magis autem scelerum reuelatio, nullo quandoq; existente qui redarguere possit, secundùm quasdam necessitates manifestatur. Talis est in sacris Susannæ perpessio: Apud Gentiles Ibyci Poetæ interitus. Cùm occideretur enim hic à quibusdam, & nullum coadiutorem, neq; insidia-

Cap XXXV

insidiarum testem haberet, grues fortè superuolantes intuens dixit: O grues vindicate meam necem. At cùm ciuitas Corinthiorum latrones inquireret, inuenireq; nequiret: congregato theatro, & plebe considente, rursum grues superuolabant. Intuentes verò homicidę ridendo dicebant: Ecce vltores Ibyci. Eorũ autem qui propè assidebant quidam id audiens, principi annuntiauit, & comprehensi, homicidum confessi sunt. Hæc ibi. Similem historiam refert Plutarchus: Bessus, (inquit) cùm proprium interfecisset patrem, multo delituit tempore: At quum aliquando ad hospites cœnatum pergeret, hirundinum nidum hasta impellens deturbauit, pullosq; pedibus contriuit. Quumq; vt par erat, astantes dixissent, qua causa homo impulsus, rem tam nefandam perpetrare ausus es? Nonne respondit, iam diu falsum aduersum me ferunt testimonium, clamantq; proprium me occidisse patrem? Præsentes verò, cum admiratione ducti, verba ad Regem detulissent, resq; diligentius discussa esset, meritas Bessus pœnas dedit. Sic prouidentia Dei factum, vt parricidium aliquandiu occultum, veniret tandem in lucem, sanguine paterno aduersus filiũ parricidam, vltionem expetente: sicq; prout merebatur, legaliter huiusmodi parricidium vindicaretur, nec inultum maneret. Cui facto profectò ad literam etiam exteriorem conuenit quod scripsit Salomon: *Aues cæli portabunt vocem* (licet secretissimam) *tuam: & qui habet pennas, annuntiabit sententiam*. Hæc ibi. Sed nec minus consideratione dignum est exemplum, quod Tullius & Valerius describunt in hunc modum. Duo Arcades iter vnà facientes, Megarã venerunt. Alter ad hospitem se contulit, alter in tabernã meritoriã. Qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem suũ orantem, vt sibi cauponis insidiis circumuento, subueniret. Excitatus prosilit vt tabernam peteret, deinde propositum tanquam superuacuũm damnauit, & lectũ repetit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecrauit, vt qui vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, necis saltem vltionem non negaret: Corpus enim suum à caupone trucidatũ plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum comprehendit, Cauponemq; ad capitale supplicium perduxit. Hæc ibi. Plura alia ad hoc propositum lectori antiquitatis possunt esse obuia: peculiater etiam de Iudæis quomodo etiã nunc Christum

Simile exemplum Plutarchi Tom 2. opus: De tarda Dei correptione

Ecclesi: 10 ✠ 20

Tertium exemplũ sanguis per somnium locii vindicati. Cicero 1 de Diuinatione. Valerius maximus lib: cap: 7

Iudæorum etiamnum in Christum & Christianos malignitas

Vide B. Anathaſium de imagine Chriſti à Iudęis crucifixa, & Fortalicium fidei præſertim, lib: 3 conſideratione 7

Chriſtũ blaſphement, maiori vtiq; flagitio nunc in cælo regnantem, quàm olim in terris patientem: & Chriſtianis iugiter maledicant, eiſque vbi, & quando, & quomodo poſſunt inſidientur atq; noceant: & ſanguinem Chriſti ex ſacrata hoſtia, & cruorem Chriſtianorum, ex puerorum præſertim crudeliter mactatorum corporibus expungant: idq; ſi non ad medelam defectus cuiuſdam corporalis ex piaculo cędis innocentis Chriſti in ſe recepti ſibi naturaliter adhærentis, (vt quidam putant) tunc certè ad hæreditariam atq; inſatiabilem Chriſti eiuſq; membrorum perſecutionem. Innumera ferè huius rei referuntur ab autoribus antiquis & recentioribus omnium ætatum & nationũ exempla, firmis etiã teſtimoniis comprobata: propter quę ex quibuſdam magis cautis nationibus, iſtæ Iſralitici generis quiſquiliæ, gentilico fermento plerumq; cõmixtę & inquinatę, ſuo incolatu fuerunt eiectæ & proſcriptæ. Vnde in noſtrũ orbem extremum confluxerunt, in tantam ſentinam, vt non minùs vario genere fraudum & flagitiorum, quàm hæretici errorum, partes iſtas inquinauerint: atq; fucato officio, & fœnerationis exquiſito artificio, *ſerui* alioqui, *facti ſunt dominantes nobis.* Vnde fit, vt quidquid contra religionem Chriſtianam audere voluerint, impunè committant. Vt vel indè aduentantis breui eorũ Meſſiæ hoc eſt *Antichriſti characterẽ recognoſcas, quo quis careat, vendendi libere & emendi non inueniat facultatem...*

Thren: 5 ℣ 8

Apoc: 13 ℣ 16

Ioan. 19
Math: 27
Marci. 15

Suſceperunt autem Ieſum, & poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & eduxerunt eum vt crucifigerent eum. Et baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, hebraicè Golgotha. Exeuntes autem, & cum ducerent eum, inuenerunt, apprehenderunt, & angariauerunt prætereuntem quempiam hominem Cyreneum, nomine Simonem venientẽ de villa patrem Alexandri & Rufi, hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt Ieſum.

Carnifices à ſpoliatione Chriſti paſsionem cur adorti

Matt: 27. ℣ 31.

Condemnatum à Pilato Ieſum, vt legis ordo poſtulat, iure ſuo aprehenderunt milites ſupplicio afficiendum. Et quia quaſi ob Regiam vſurpationem damnatus fuiſſet, pro prima pœna, Iudęis fortaſſe inſtantibus, & Pilato conniuente, vel abeunte, *exuerunt Dominum purpura, & propriis veſtimentis* in quibus etiam faciliùs agnoſceretur *induerunt*: Vt etiã vel exinde appareret (quod ipſe proteſtatus fuiſſet) *Regnum ſuũ non eſſe de hoc mundo.* Quòd autem Cap: XXVI

non

Chriſtus cur extra Ieruſalem pati voluerit 4 rationes

non in ciuitate ſed extra pati Dominus voluit, quatuor occurrunt rationes. Prima, vt imolatio Chriſti, typo imolationis Iſaaci, etiam quoad locum reſponderet. Iſaac ſiquidem, non in proprio loco, ſed foris *in monte quem Dominus oſtenſurus eſſet Abrahæ oblatus eſt.* Quem montem fuiſſe eum ipſum Caluariæ locum, infra ſuo loco oſtendemus. Congruit etiam, quòd ſicut Iſaac ligna ad vſum proprię imolationis præparata, propriis humeris ad locum ſacrificij deportabat, quæ antehac per ſeruos Abrahæ deportata fuiſſe ſuper aſinum, dubium non eſt: Ad eundem modum Chriſtus Dominus, ligna crucis, ſed iam in formam crucis tanquam à filio fabri putatatiuo conformata, partim propriis partim Cyrenei brachiis, ad eundem locũ deportat. Quod etiam B. Chryſoſtomus ſic atteſtatur: Noluit Dominus pati ſub tecto, non in templo Iudaico, ne putares pro illa tantum plebe oblatum. Et ideo extra ciuitatem foris muros: vt ſcias Dominũ ſacrificium eſſe cõmune, quod totius terrę eſt oblatio, quod communis eſt purificatio. Sic ille. Huic typo ex immolatione Iſaaci deſumpto, addit alios B. Hieronymus ſic ſcribens: Hîc educitur Abel in agrum à fratre, vt perimatur. Hîc adeſt Iſaac cum lignis, & Abraham cum ariete vepribus hærente. Hîc etiã Ioſeph cum faſce ſomniato, & tunica talari ſanguine lita. Hîc adeſt Moyſes cum virga & ſerpente ſuſpenſo in ligno. Hîc eſt botrus in ligno portatus. Hîc adeſt Eliſeus cum ligno ad quærendam ſecurim quæ in imo demerſa eſt, & natauit ad lignũ, id eſt, genus humanum, quod à ligno vetito in infernum decidit, per lignum crucis Chriſti, & per baptiſmum aquæ ad paradiſum natauit. Hîc adeſt Ionas de ligno ſortis in mare ventremq; ceti triduo miſſus. Hæc ille.

Iſaac in eodem monte vbi & Chriſtus immolatus
Gen: 22. ℣ 2
Ligna ad ſui imolationem verius deportauit Chriſtus quam Iſaac.
Gen: 22 ℣ 6
Auguſt: de tempore Serm. 21: 71
Ambro: de fide lib: 3 cap: 4
Chryſoſt: Hom: 84 in Ioannem
Aliæ figuræ Chriſti extra portam paſsi.
Hierony: ſuper hunc locum
Theoph: in Ioan: cap: 19
Gen. 4 ℣ 8, 1
Gen: 22 v 6 13
Gen: 37 v. 7 31
Exod: 4 v. 3
Num: 21 v 9
Num: 13 V. 24
4 Reg: 6 v. 6
Ioan 1 v. 7

Secunda ratio & typus Chriſti extra portam paſsi
Leuit: 4 v. 12
Hebr: 13. v. 11. ℣.

Secunda ratio Chriſti extra portam paſſi eſt, vt, ſecundùm Apoſtolum, expleretur alia figura: quando *in ſacrificiis legalibus animalium immolatorum, ſanguis quidem inſerebatur in ſancta, corpora autem extra caſtra efferebantur ad comburendum.* Simili enim modo Chriſtus vera hoſtia & holocauſtum noſtrũ, noluit ſanguinem ſuũ inferri in ſancta illa typica templi Iudaici, quæ eſſent polluta, non ſolùm ſanguine animalium, ſed ipſorum Iudæorum qui ſanguine innocenti ſuo, ſeipſos & poſteritatem ſuam inquinaſſent atq; condemnaſſent: Sed teſte eodem Apoſtolo, *ſanguinem ſuum intulit in ſancta & tabernacula cæleſtia atq; æterna,* ad iugem propitiationem: corpus verò ſuum in ara crucis in holocauſtum

tradidit

Elegans apostrophe ad Christum deportantem aridum lignum ad uberes fructus Simon de Cassia lib: 13 in passionē Domini

tradidit im̄olandum. De quo Commentator quidam deuotus sic eleganter contēplatur: Domine quo vadis crucis pondere pressus, aridi ligni pondere prægrauatus? Ad quid portas? Quouè plantabis illud? Locus, quò duceris, saxosus est: Quomodo plantabis? Quis irrigauit? Aridum est, radices non habet, ex quibus è terra sumptus humor sumatur in ramos. Terra sitiens est, damnatorum & interfectorum locus, nunquam virgulta fuerunt in ea, ligna consueuerunt esse confixa in iustitiā damnatorum. Adulterinæ plantationes sunt, non dant radices altas, non collocant stabile fundamentum, non extendunt ramos ad fructum, sed ad tormentum; non habent folia pulchritudinis, sed despectionis, atq; dedecoris: non habent fructus ad esum vtiles, sed ad vescendum præ doloribus dissuaues; non maturescunt ad vsum, sed vt vitam extinguant, penitus indurescunt. Quare igitur defers Domine hanc lignorum sarcinam? Nonne nosti quòd affigeris in eis, vt affigaris in omnibus membris corporis? En cruciaberis in eis, vt fias omni populo in derisum; demum expirabis in eis. Sed porto lignum propter vetitum lignum, pœnale lignum, propter vetitum pomum. Porto lignum, vt vincam in ligno inuisibilem hostem, qui victus est in ligno. Porto lignū, vt propter humanas artes ex ipso faciam gradus ascensionis in cælum. Porto lignum, suspendendus in illo, *vt omnia traham penitus ad me ipsum.* Porto lignum mortis & vitæ, porto lignum experientię prædamnatæ. Hæc ille. Tertiam rationem moralem ad sequelā crucis Christi, exinde elicit Apostolus sic subiiciens *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

Fructus ligni, passionis Christi
Ioan: 12 v. 32
Gen: 2 v. 9
Christus baiulat crucem ad sui sequelam.
Hebr: 13 v. 13

Regnum Christi ex solio ligni pręmunitiatum

Cap: XXVII.

Quartò, per eandem portam qua erat ingressus Dominus acclamans Rex Israel, passurus egreditur, vt ostenderet quale sit istud regnum suum, nimirùm regnum redemptionis suæ per passionē in ligno crucis consummandum. Quòd clarissimè prænuntiauit Isaias dicens. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus eius super humerum eius:* Sicut istam Prophetiam Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus, huic mysterio applicant. Quibus etiam verbis congruit & illud apud Psalmistā: *Dicite in gentibus: quia Dominus regnauit.* Vbi veritas Hebraica habebat additū, *à ligno.* Quòd attestatur antiquissimus Tertullianus sic

Isaię 9 v. 6.

Iudęi corumpunt locum regni Christi à ligno

nus sic

Psal: 95 v. 10
Tertulianus contra Iudæos & libro 3 contra Marcionem:

nus sic scribens: Proinde & Isaias: *Quoniā, puer* inquit, *natus est nobis, & datus est nobis filius.* Quid nouū, si non de filio Dei dicit, & natus est nobis, *cuius imperium factum est super humerum ipsius?* Quis omninò Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliqua proprietate vsus noua? Sed solus nouus Rex sæculorū, Christus Iesus nouam gloriam, & potestatem, & sublimitatem suam, in humero extulit, crucem scilicet, vt secundùm priorem prophetiam exinde *Dominus regnaret à ligno.* Idem alibi ex eis verbis Marcionem sic arguit: Cur inquit Christus non dicatur *regnasse à ligno*, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit? Iustinus autem Martyr disputans contra Tryphonem Archisynagogum Ephesinum, apertissimè cōuincit Hebræos, ex illa sententia duo postrema verba per literarū Hebraicarum immutationē explosisse: Vnde & communiter codices latini, quòd in Hebræo desiderarētur, eadem om̄iserunt. Cùm tamen septuaginta duo interpres Græci, (qui secundùm Hieronymum, falsitatum per Iudæos veteri testamento illatarum regulam gerunt) eadem duo verba posuerint, vt etiam attestatur Cassiodorus. Vnde Ecclesiam Catholicā eis semper vsam fuisse, officiū eius diuinum antiquissimum arguit, quando ista verba in celebritate passionis Dominicæ & Paschali, aliquoties vsurpat. Idipsum attestantur, alii antiqui Doctores, Cyprianus, Arnobius, Ambrosius, Augustinus, & Leo magnus: qui inter alia sic Iudæos alloquitur. Non quidem legistis (vt postulabatis) Dominus descendit de cruce sed legistis, *Dominus regnauit à ligno.* Hæc ille. Idem arguit ipse contextus verborum: quando versùs finem sic habet: *Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur:* quam correctionem postea subinfert fieri per iudicium, præsertim illud extremæ diei de quo in sequenti Psalmo clariùs dicit: *Dn̄s regnauit & c iustitia & iudicium correctio sedis eius.* Iudiciū enim illud suam inchoationem & consummationem ex passione Domini habiturum, ipse Dominus docet, quando post insinuationem per parabolam grani in terra mortificandi corporis sui, mox addidit: *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* Et Ioannes in Apocalypsi, venturum quoq; ad iudicium Dominum sic describit: *Ecce venit cū nubibus*

Iustinus martyr contra Tryphonē & Apolog: 1

Interpretes 72 Iudæorum falsitatis flagellum
Hieron: in prolo: noui. Testamenti
Casiodorus in Psal: 95

Cyprian: de Sina & Sion
Ambro: in Psal: 95
Arnobi: in 1 coris
August: in Psal: 95
Leo Serm: 4 de passione Domini
Matt: 27 v. 42
Psal: 95 v. 10
Psal: 96 v. 1 & 2

Iudicii extremê ex passione Christi directio
Ioan: 11 v 31

Apoc: IV. 7

nubibus

nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eũm pupugerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ. Nec à proposito sunt verba circa finem eiusdem Psalmi vbi dicitur. *Tunc exaltabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit iudicare terrã.* Quid enim quęso cum lignis inanimatis iudicio Dei? Homines autem comparatos esse arboribus, non solùm censuit Philosophus & Poeta (vt alibi diximus,) sed etiam scriptura diuina insinuat, quando cecus ille á Domino paulatim illuminatus, primò *vidit homines quasi arbores:* & Psalmista opus suum sic exorditur: *Beatus vir &c Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum &c.* Similiter Isaias eunuchos religiosos vocat *lignum non aridum.* Sic Daniel Propheta arborem speciosam & postea succisam, interpretatur fuisse regem Nabuchodonosor. Et Dominus ipse initio & in decursu prædicationis suæ, per arbores intelligit homines, *fructus vel bonos, vel malos, vel etiam nullos afferentes, propterea\q; vel cultura, vel maledictione, & excisione dignos.* Et paulò post in præsenti passionis historia seipsum vocat *lignum viride,* martyres autem vel ipsos Iudæos, *lignum aridum.* Per *lignum quoq; quando ceciderit ad austrum & aquilonem,* Salomon intellexit hominũ post mortem, vltimam malam vel bonam retributionem. Satiùs ergo huic mysterio tot authoritatibus sacris firmato, accommodanda erit in libro Iudicum parabola: quãdo cęteris arboribus ad regnandum minùs idoneis pronuntiatis, rhamnus tandem delatum suscepit imperium: ea conditione, vt arbores magis speciosę quæ protectionem suam spinosam non agnoscerent, igne ex rhamno exorto consumerẽtur. Quod Christo rectè applicari debet, qui regnum sęculare, quòd sibi à monte oliueti aduentãti, cum aliarum nobilissimarum arborum stramentis deferebatur reiecit: regnum autem ligni rigidi, hoc est Crucis, spinea corona insignitum, suscepit: quòd tandem per ignem, vel in hac vita charitatis, vel in futura gehennę damnationis, consũmaret.

Psal: 95 v. 13
Homines arboribus vel lignis cõparati
Plato
Christologiæ 1 partis Serm 1 cap: 8
Marci 8 v. 24
Psal: 1 v. 2
Isaias 56 v. 3
Dan. 4. ve, 17
Lucę 3 v. 9
Matt: 24 ℣ 32
Eccle: 11. v. 3
Regni Christi ex ligno typus
Iudicum 9 v. 14
Matt: 21 v. 1, 8

Quod autem Dominus deportationis crucis suę socium adhibuit, duplex ratio assignari potest. Prima vt formę regni Christi ingredientis Ierosolymã, eggressio responderet. Sicut enim ibi asina cui primò insedisset, denotabat synagogam defecturam, pullus verò asinæ nouum & exorientem statum Euangelicum pręsignabat; sic & modò, quando Dominus (vt cõmuniter tenẽt

Capit. XXVIII
Crucis deportationi cur Christus socium admisit
Iudęorum reprobationis omen

sacri expositores, primò ipse à prætorio vsq; extra portam crucem baiulat, postea Cyrenæũ quoq; socium vel potiùs sequacẽ portationis admittit: ostendit reprobationem Iudæorum ferẽdæ cruci ampliùs non esse idoneam: sed eam gentilitati magis fideli reseruari. Altera ratio est Athanasii: ista sociali vel vicissitudinaria crucis deportatione insinuari, Dominum nõ propriam mortem, sed hominum subiisse: simulq; ista Domini initiatione, multos futuros esse præsertim ex fideli gentilitate, qui caput suum Christũ insequendo, crucem seu martyrium pro eius nomine, essent suscepturi. Idem etiam sentit Ambrosius sic scribens. Crux supra humeros imponitur, vt trophęum quod siue Simon, siue ipse portauerit, & Christus in homine, & homo portauit in Christo. Bonus ordo nostri profectus est, cùm priùs crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Similia ferè habet S. Leo. Cui rationi conuenit deportationis ipsius modus, siue Christus priùs, deinde Simon, integram portauerit: siue Christo prior pars, posterior verò Simoni incubuerit, vt habet Euangelium Nicodemi, & pictores ex antiqua traditione designant. Hinc etiam Tertullianus cõuincit Basilidem & Marcionem hæreticos, qui asserebãt Christum delusisse oculos Iudæorũ & militum, vt loco Christi Simonem crucifigerent. Quale cõmentum etiam prodidit Mahumetes, de Iuda pro Christo cruci affixo, vt quidam referunt. Porrò inquiri etiã solet, quis fuerit iste Simon? Originem certè agnomen indicat: Quando enim Matthæus & Marcus, Cyrenęũ, Lucas autem Cyrenensem, denominat, dubitari non debet à Cyrene fuisse oriundum, quæ erat in Syria ciuitas primaria ex eis quas scriptura Decapoles vocat: cuius etiam antiqui prophani scriptores meminerunt. Vtrũ autem fuerit Iudæus vel gentilis, vtraq; opinio habet suam probabilitatẽ. Quàmuis enim ciuitas illa gentilis esset, tamen habebat etiam inhabitatores Iudæos viros religiosos, qui Ierosolymam ad festiuitates solennes aduẽtabãt: vt testatur S. Lucas, quando inter contubernia religionis, Cyrenenses etiam nominat. Confirmat istam opinionem, quòd S. Marcus filios istius Simonis tanquam notissimos & quasi ad societatem fidelium pertinentes, nominat *Alexandrum & Ruffum:* quos Christi discipulos fuisse D. Hieronymus atestatur: vt probabile sit, patrem etiam filiorum religioni addictum fuisse

Martyrii in Christo typus
Athanasius Serm: de cruce & Passione
Ambrosius in Lucam lib: 1 cap: 9.
Leo Serm: 10 de passione
Situs de portatæ crucis mysterium
Cyreneum vel Iudam pro Cristo crucifixum quale cõmentum
Tertul: de perscriptione hæret:
Euseb: Cæsa: Ecclesiast: hist: lib: 4 cap: 8
Simon Cyreneus quis fuerit. & cur portandę cruci accomodatus
Matt: 4 ℣ 25
Marci 5 ℣ 20 cap: 7 ℣ 31
4 Reg: 16 ℣ 9
Plinius hist: lib: 5 cap 5
Strabo lib: 17
Amianus Marcel: lib: 22
Acto: 2 ℣ 10 cap: 6 ℣ 9
Hieron: in Mar: cap: 15

proptereaq; obrobrium ferēdæ crucis illi à Iudæis fuiſſe impoſitum. Oppoſita opinio quæ gentilem fuiſſe reputat, nititur patrię quę gētilis eſſet denominatione: & quòd multorum Doctorum conſenſu, ſequelam crucis fidelium ex gentilitate, Cyreneus iſte præſetulerit. Quod breuiter expreſſit S. Hieronymus Myſtice (inquit) crucem ſuſcipiūt nationes, & peregrinus obediēs portat ignominiam Saluatoris. Indignus enim (ſupplet S. Hilarius,) erat Iudæus crucem Chriſti ferre, quia fidei gentium erat reliquum, crucem recipere & compati. Sic ille. Sed quomodocunq; accipiamus, vtraq; ſententia myſterium retinebit. Si enim gentilem intelligamus, ſtabit quæ modò dicta eſt ratio: Si Iudæū vberiùs conſequetur myſterium: primò quòd tota Ieroſolyma ſic contra Chriſtum conſpiraſſet, vt in ea qui cruce Chriſti dignus eſſet non inueniretur. Deinde in hac vnica perſona rudi & ex villa veniente, & quidem ſeruilem conditionem ſuſtinente, ſignatur Iudæorum reprobatio, ſedis propriæ amiſſio, & ſeruilis conditio, quæ tandem ex dura oppreſſione, eos & quidem per paucos, ad agnoſcendam & ſuſtinendam crucem Chriſti eſſet compulſura.

Hieron: & Hilarius in capi: 27 Matt:

Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciūt, in arido quid fiet?

Lucæ 23

Verè multitudini illi quæ Chriſto iudicando & crucifigendo aderat, nomen turbæ conueniebat. Sicut enim homines ratione & lege congregati, dicuntur populus ſic tumultuariè coacti, dicuntur turba, quòd ipſi perturbati omnia etiam ſecum conturbent, & inuoluāt: vt belua plurimorū capitum rectè à Platone appellari mereatur. Meritò hîc exclamat S. Auguſtinus: Grande (inquiens) ſpectaculū, ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibriū: Si pietas, grande myſteriū. Ridet impietas, Regē pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii: videt pietas regem baiulantē lignum ad ſeipſum figendum, quod fixurus fuerat, etiam in frōtibus regum: ſpernendum, oculis impiorum, in quo erant glorificatura corda ſanctorum &c. ipſam crucem geſtans ſuo humero comen-

Populus Chriſtū crucifigens propriè turba

Ca XXVII

Plato de Repub:

Chriſtus baiulans crucem quale ſpectaculum August: tract: 117. in Ioan:

comendabat, *& lucernæ arſurę, quæ ſub modio ponenda non erat*, cādelabrū ferebat. Hæc ille. Diuerſis ergo ſtudiis, turba illa Chriſtū ſecuta eſſe præſumitur: pars quædā vt in gratiam Principū ſuorū, Chriſtum vſq; ad ſupplicium proſequeretur: pars ex curioſitate vt dicit S. Lucas *quòd erat populus expectans*, id eſt finem, ſecundū Theophilactum: vt viderent ſi fortè Dn̄us in extremo mortis periculo (quod aliis faciebat, & quòd pendenti in cruce aduerſarii improperabant) ſeipſum miraculoſè liberaſſet. Pars aliquā gratitudinem pro tot acceptis beneficiis ſpiritualibus & corporalibus, in iſta veluti aſſiſtentia exhibere intendebat. Potiſſima autem illius comitatus portio, ſecūdùm Bernardum, erat beatiſſima Virgo, cum aliis mulieribus ſibi cognatis, vel Chriſto adhærentibus, quas ex Galilæa poſt Chriſtum aduenisse Euangeliſta memorat. Quibus, vt dicit S. Lucas, coniunxerunt ſeſe aliæ quędam Ieroſolymitanæ, ſecundùm ſexum ad compatiendū flexibiliores: & quòd fortaſſe per vxorem Pilati innocentiam Domini conteſtatam fuiſſe intellexiſſent. Ex illis fœminis creditur eſſe Berenice illa, ſeu Veronica, quæ (vt ātiqua habet, traditio) ſudorem ex facie Domini abſtergendo, veram eius imaginem in linteo illo excepit: quòd hucuſq; Romę, magna veneratione aſſeruatur. Meritò igitur fletus miſeriæ humanæ per Chriſtum inſtaurandæ, in vtraq; natione ab iſto ſexu inchoatur, à quo præuaricatio ſumpſiſſet exordiū. Peculiariter tamē Dominus non prohibet, ſed corrigit fletum mulierum Ieroſolymitanarū, originem gentis illius prius Deo electæ, poſtea per paſſionem ſuam reprobæ indicans: hoc eſt, quòd fœminæ illę, fletū & lamentationem ſuam referre deberent, non ad pœnam & affectū Chriſti paſſionis & mortis, quę ſicut volūtaria & innocentiſſima, ſic redemptioni humanę eſſet neceſſaria: vt magis internum gaudium, quàm externam compaſſionem cōmouere deberet: Sed lamentationem illam referendam eſſe ad cauſam vel potiùs culpam populi illius reprobi Iudaici, quorum ſedes Ieroſolyma erat, qui *non cognoſcentes diem viſitationis ſuæ*, lacrymis Chriſti conteſtatam, Meſſiam & redemptorem ſuum non ſolùm non recepiſſent, ſed calumnioſè etiam occcidiſent, & propter ſuam obſtinationem fructu paſſionis ſuę excidiſſent. Propter quod gemminum crimen, gemina quoq; eos conſecutura eſſet pęna: nimirum temporalis vindicatio atq; deuaſtatio, & ętre-

Lucæ. 11 ℣ 33

Chriſtum ad mortem comitantium diuerſa ſtudia

Lucæ 23 ℣ 35

Theoph: ſuper huuc locum

Mulierum comitantium Chriſtum Dux B. virgo

Lucæ. 22 ℣ 27

Ioan: 19 ℣ 25

Bernar: de lamentatione B. Mariæ.

Berenice ſeu Veronicæ linteum vide Baron: lib: 1. Annal: de ſepulchro Chriſti

Fletus mulierum à Domino non damnatur. ſed corrigitur

Iudæorum ex ſede Ieroſolymę diſperſio & deuaſtatio.

Lucæ 19 ℣ 41

ęterna reprobatio, & in extremo iudicio damnatio. Queadmodum enim supra capite vigesimo primo futurā mundi extremā dissolutionem, per Ierosolymæ deuastationem prædixit atq; declarauit: eundem modum hîc seruauit, vt vtriusq; extremæ plagæ populo illi inferendæ præcipuas calamitates præsagieret.

Lucæ 21 ✠ 24 26

Matt: 26 ✠ 64

Cùm enim superiùs coram iudicio Cayphæ, se quem ipsi ad mortem postularent, eum esse declarasset, qui ipsis suo tempore tanquam verus filius Dei in nubibus appariturus esset, vtiq; ad vniuersale iudicium, & mortis suæ inocentis vindictā: nunc morti proximus, eius apparitionis & retributionis summam calamitatem, & grauiores quàm tunc erant mulierum illę lamentationes prędicit, quando tunc verè dicturi essent: *Beatæ steriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.* Tum & illud: *dicendo montibus: Cadite super nos; & collibus operite nos.* Quia certè tam Iudę proditori quam Iudęis interfectoribus, sicut culpę tradendi & occidendi Christum, sic & pænę temporalis atq; æterni interitus, verè conueniebat vox illa Christi: *Væ homini per quē filius hominis tradetur:* (vel occidetur) *Bonum erat, si natus non fuisset homo ille.* Sicut similiter in extremo iudicio, (teste S. Ioanne) *reprobi maximè qui in Christum trasfixerunt, dicturi sunt montibus: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronū, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum:* Sic Iosephus narrat, in excidio Ierosolymitano, (quòd olim in lege Dominus cominatus eis fuerat) multos quidem prę fame infantes suos mactatos comedisse, horrendo ipsis etiam Romanis spectaculo: vel plurimos Iudęorum desperatione actos, se in speluncas & cloacas à facie Romanorum abdidisse. Et sic secundùm Theophilactum, iusto Dei iudicio factum fuit: vt qui Christum Romanę potestati ad gloriosam resurrectionem occidendum tradidissent: ipsi postmodum eidem potestati ad perpetuam suam gentisq; suæ ruinam manciparentur. Alloquitur autē Dominus non ipsos filios, sed mulieres: Primò quòd ipsę qualicunq; compassione sua cautelam tantę calamitatis meruerint: deinde quòd infelices matres, infeliciores filios genuissent, quibus non natos fuisse expediebat: Tertiò quòd ipsę progeniē viperinā & ex genere suo peruersam, educatione meliori non correxissent, & contra Christum, innocentissimum sueq; genti beneficentissimum, rabiem plusquam beluinam filiorum, saltem conamine aliquo

Lucę 23 ✠ 29

Matt: 26 ✠ 24

Iudicij; extermi calamitati excidiū Ierosolymę comparatum

Apoc: 6 ✠ 16

Isa: 2 ✠ 19

Osęę 10 ✠ 8

Ioseph: de bello Iudaico lib: 7 cap: 7 & cap: 14 &c & lib: 14 cap: 15

Nicephorus lib. 3 cap 6

Deut: 28 ✠ 52

Theophilactus in Mar: 15

aliquo (sicut vxor Pilati) non compescuissent. Huc etiam reuocari posset exemplum supra adductum Timonis, qui vniuersum genus humanum damnabat, quòd vel prauum esset, vel prauos toleraret. Quartò: Filius Dei ex misericordia sua, iustitiam nostram exoluendo, iustitiam quoq; suam stabiliuit: secundùm quam iniquos damnaret, & iustos etiam non sine delicto degentes corriperet. B. Gregorius postquam Iob patientissimi afflictionem, & Ioannis Baptistę innocentissimi carcerem & mortem expendisset, hæc verba subiicit: Hinc ergo vnusquisq; colligat, quid illi sunt passuri, quos reprobat, si sic cruciat quos amat. Aut quomodo ferientur qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipsi iudicis teste laudantur? Et alibi: Si (inquit) ipse sine flagello hinc non exiuit, qui venit sine peccato, quomodo flagelis digni non erunt, qui huc cum peccato venerāt? Hęc ille. Subiicit Dominus rationem dicens. *Si enim in ligno viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?* Vbi per lignum viridę, (vel vt Gręce sonat) humidum, sine dubio Dominus seipsum intelligit cum de seipso verba faciat. Lignum autem aridum communiter Doctores exponere solent Iudęos, vel reliquos etiam homines, qui à natura, culpæ, & exinde pęnę atq; vltimę districtioni diuinę sint obnoxii: vt sit sensus: *Si Deus zelotes*, & districtus iudex, *filio proprio non pepercit*, vt expiationem vltro susceptam humani generis, per tot contumelias & passiones vsq; ad mortem crucis à me exigeret: quomodo non magis seueritatem suam ostendet in filios (ô fęminę Ierosolymitanę) vestros, qui me, quem vt Deum adorare debuisent, plusquam latronem inter latrones deputatum crucifigunt: Vel quomodo aliis peccatoribus parcet, qui mihi filio & coæquali sibi Deo peccata aliena deportanti non pepercisset? Simili argumento à minori ad maius vtitur S. Petrus sic scribens. *Tempus est vt iudicium incipiat à domo Dei. Si autem primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euāgelio? Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Hæc ibi.

Christus matres sero flebiles iustè cum filiis damnat

Gregorius lib: 3 Moral: cap: 4 Et in Ezechielē hom: 18

Lignum viride Christus, aridum quid?

Lucę 22 ✠ 31

Iustitiæ diuinæ districtio

Exod: 20 ✠ 5

Rom: 8 ✠ 32

1 Petr: 4 ✠ 17

Lignum aridum Martyres respectu Christi

Cap: XXXIX Sed cum Christus verba ista apertissimè loquatur de filiis mulierum illarū Ierosolymitanarum, de illis quoq; verba consequentia videntur esse intelligenda: quòd maximè arguunt duę illę coniunctæ voces (*hoc faciunt*) prima enim particula referri debet ad pręsens illud factum nimirum occisionem Christi: secunda vox (*faciunt*) ad ipsos interfectores, eorumque posteros

posteros, in quos ipsi consortium culpę ex sanguine Christi profuso deriuarunt. Et sic respectu Christi qui per seipsum & in se-

Greg: lib. 12 moral: super Iob 14

ipso secundùm S. Gregorium habuit vim diuinitatis, *& est vitis vera,* palmites fructificantes vegetans, & steriles igni deputans. Apostoli & reliqui martyres reputari possunt lignum aridum, in quos tanquam sibi congeneres, liberius Iudæi, singulariter au-

Persecutio Apostolorum per Iudęos à Dño vindicanda

Ioann: 15 ℣ 20

tem Ierosolymitæ, desęuirent: Sicut ipse Dominus clarissimè prædicebat: *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Tanto igitur certiorem eiusmodi cladem Ierosolymæ eiusq; incolis Dominus prædicit, quòd non solùm de nece sua non essent pœnitentiam acturi, sed etiam in membris suis eam essent continuaturi; per quod pæna illis destinata foret aggrauanda simul & acceleräda: quemadmodum Dominus

Lucę 18 ℣ 6

ipse promittebat sic dicens: *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: patientiam habebit in illis? Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum* Et alibi ipsis Ierosolymitis sic

Matt: 23 ℣ 31

exprobrat *Testimonio estis vobis ipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum: Serpentes & genima viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagelabitis in synagogis vestris: & persequemini ex ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ prophetę, quem occidistis inter templum & altare &c.* Postea sic concludit. *Ideò*

Matt: 23 ℣ 31 33

Act: 7 ℣ 31

relinquetur vobis domus vestra deserta. B. Stephanus autem Iudæis exprobrat: *Dura* (inquit) *ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus: vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri, & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos qui pronuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Ecce sanctissimus Christi protomartyr, sanguinem omnium tam præcedentium quàm consequentium martyrum ad Christi ipsius capitis, martyrum sanguinem deriuat: vt iniuria & crudelitas ex capite ad membra diffusa, maiorem & celeriorem vin-

Ierosolyma vastata ob necem Iacobi sed magis Christi

Origenes lib: 1 contra Celsum

dictam acquireret. Vnde Origenes ex Iosephi attestatione tradit, vastationem Ierosolymæ, Iacobi fratris Domini innocenti martyrio fuisse imputatam. Quod testimonium sic ipse concludit: Si igitur ob Iacobi gratiam Ierosolymorum desolationem contigisse Iudæus ille afiirmat; cur non æquius fuerit fateri ob

Chri-

Christum id factum fuisse, cuius diuinitatem tam multi hominũ conuentus testificantur? Hactenus Origenes. Quem citans do-

Baronius Cardinalis Annalium tomo 1 sub Anno Christi 63

ctissimus Annalium Ecclesiasticorum computator & compilator Baronius Cardinalis, hæc verba subiicit. Sed cur Iacobi nec ipotiùs quam Christi tributa fuerit Ierosolymitana clades, illam causam fuisse putamus, quòd haud diu post necem Iacobi, cœperunt de venturis malis diuinitùs ostendi prodigia, quibus illi

Cap: XXX.

Spectatorum mortis Christi triplex status Chriistianus catus

perterriti, recẽtiori sceleri ascribãt. Hæc ille. Ista occasione expendendus nobis venit triplex hominum illorum circa passionẽ Christi affectus. Iudæi enim & carnifices cum gaudio & improperatione eam excipiebant: *Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo ædificas illud &c.* Ex turba autem plebis, mulieres aliquæ

Matt: 27 ℣ 40

Compassio naturalis non propria Christianorum

Dan: 13 ℣ 33

Cicero lib, 3 de natura Deorum

per fletum compatiebantur quidem Christo, sed naturali & cõmuni cõmiserratione; quomodo miserimã reorum & supplicio addictorum sortem & infælicitatem, tam in honore quàm in pęna corporali, deplorare solemus. Sic quando ad supplicium quãuis *innocens duceretur Susanna, flebant omnes qui nouerant eã.* Sic Marcus Tullius mortem Platonis expendendo, illi illacrimari solebat. Sed talis luctus conueniebat; non filio Dei, nec eius innocentissimæ humanitati, sed nostræ ipsorum quam gerebat culpę singulariter autem illi Iudaicæ in Christum persecutioni, & ex-

Compassionem veram Christo exhibuit B. Virgo

inde reprobationi, fuisset atribuendus. Tertiam compassionem ordinatissimam exhibuit filo suo beatissima eius mater. Si enim circa natiuitatẽ, non minùs certè circa passionem, omnia illa redẽptionis humanæ *mysteria conseruabat in corde suo*: & dolorem

Lucæ 2 ℣ 19 34

naturalem *quo gladius animam eius tunc pertransiret* cum reconditis fidei & charitatis in corde suo mysteriis, ad salutẽ mundi sic conferebat, vt externus dolor consolationem internam non excluderet. Similem ex aliqua parte affectum, nõ dubitamus gessi-

Ioann: Apostoli Christo patienti qualis compassio

sse discipulum illum tunc quoq; præsentem, quem Iesus in tantum diligeret, vt intima sui pectoris secreta illi referans, tandẽ etiam matrem suam, vltimo quasi testamento illi in propriã destinasset. Sic & modò, triplici affectu homines passionem & mor-

Hęretici more Iudeorum & carnificum passionem Christi excipiunt lætitia

tem Christi excipere solent. Hęretici enim cum Iudęis & carnificibus, memoriam istam passionis Dominicę. nõ luctu sed gaudio transigendam docent: quòd Iesus suam mortem non lugubrem, sed gloriosam esse voluit: nec eam deplorari voluit, sed adorari, vt quæ sponte pro salute totius mundi susciepiebatur.

Compen-

Compeſcuit indecoram mulierum illarum lamentationẽ, quã-
uis ab affectu pio proficiſcentem. Quæ verba liberiùs quàm Ca-
Eraſmus in Lucæ cap: 22 ℣ 27
tholica pietas & conſuetudo ferebat ab Eraſmo Catholicæ pro-
feſſionis religioſo, enuntiata, Lutherus & aliæ ex ipſo ſectæ e-
Vide eundem Eraſmum in Epiſt: ad fratres inferioris Germaniæ
natę, in tantum amplexi fuerunt, vt Paraſcęuem & dies paſſionis
Dominicę illi annexos orbi Chriſtiano lugubres, in Bachanalia
traſmutarent: tanto quidem luxu & comeſſationibus, vt alicu-
bi carnes in macellis abſumptę, vſui Paſchali deficerent. O eg-
gregium talium beluarum, ex Sathana, peccato, & carne triũ-
phum, & ſpiritualẽ lætitiam; quæ eo tempore quo Dominus no
ſter aceto & felle pro nobis potabatur, menſas ſuas (ſi modò nõ
In epiſt: Iudæ ℣ 4 & 12
ſynagogas) luxu, crapulis, & vomitionibus repleant. Verè ſe-
cundùm Apoſtolum, *gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti transferentes*
in luxuriam. Qui ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemet-
ipſos paſcentes &c. quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.
2 Timot: 3 ℣ 2
Tales etiam alius Apoſtolus meritò vocat, *inobedientes, ingratos,*
ſceleſtos, ſine affectione: qui tunc carniuori, non minùs quàm illi
Hebr: 6 ℣ 6
Matt: 26 ℣ 38
tunc carnifices, *denuo ſibi metipſis crucifigunt & oſtentui habent filium*
Dei: qui initio ſuæ paſſionis conteſtatus fuiſſet, *triſtem eſſe animã*
ſuam vſq; ad mortem: hoc eſt, quòd in ſingulis illis tot afflictioni-
bus ſenſum mortis perciperet: ſine quo noluit mortem ipſam
ſuſcipere, vt nos non ſolùm à morte ipſa, ſed etiam ei cohæren-
tibus miſeriis & angoribus liberaret, ut ſuperiùs ſuo loco do-
cuimus. Propterea creatori & reparatori noſtro tot & talia vltro
ſuſtinenti, omnes etiam creaturę compatiebantur: quemad-
Serm: 1 cap 1
modum initio iſtius tractatus enumerauimus; vt vel iſti ſoli gi-
gantes extra naturam vniuerſi poſiti, lugenti orbi tripudiis ob-
Pſal: 68 v. 31
ſtrepant, iuxta illam Saluatoris querelam: *Suſtinui qui ſimul mecũ*
Galat: 6 v 18
contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur me, & non inueni. Non
Philip: 2 v 5
ſic affectus erat, non ſic ille, qui ſtigmata paſſionis Chriſti in cor
Hebr: 5 v 7
1 Petr: 2 v 21
pore ſuo gerens, ſic dicebat: *Hoc ſentite in uobis, quod in Chriſto*
1 Petr: 3 v 1
Ieſu. Quem alibi teſtatur in cruce cum lachrymis operatum
fuiſſe ſalutem noſtram. Idem docet & hortatur Apoſtolorũ prin-
ceps ſic ſcribens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, uobis relinquens exem-*
plum, vt ſequamini veſtigia eius. Et rurſus: *Chriſto in carne paſſo, &*
B. Mariæ & Apoſtolorum in paſſione Dñi luctus
vos in eadem cogitatione armamini. Non ſic Beatiſſima, Dei Ma-
ter, cum filio ſimulque curatore ſuo Ioanne: non ſic & cęte-
ri diſperſi quàmuis tanta vi perſecutionis Apoſtoli: in quibus

tunc maximè completũ eſſet, quòd Dominus prædixiſſet: quòd
ablato ab illis ſpõſo (quòd propriè fiebat per illiud mortis tri-
duũ) *ieiuniis & luctui vacarent:* & præſertim Iacobus frater Do-
mini ſecundùm carnem, qui voto ſeſe obſtrinxiſſet, non ſe man-
ducaturum vel bibiturũ, donec Chriſtum ex morte rediuiuum
Hieron: in eius uita ex Euangelio Hæbraico
cerneret. Propterea etiam Dominus vnam inter primas reſu-
rectionis ſuæ denuntiationem ad ipſum delatam eſſe voluit. Si-
milem affectionem gerebat vir ille ſecundùm cor Domini: quã-
do veluti triumphum inimicorũ de morte Chriſti à longè aſpi-
Dauidis luctus de futura paſsione Chriſti
ciens dicebat: *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte, dum dicitur*
mihi quotidie: vbi eſt Deus tuus? Quod ad illum luctum Chriſti mor-
Pſalm: 41 ℣ 4
tis referri, inſinuat alius Propheta: fletum illum fæminarum
Zachar: 12 ℣ 10
Ieroſolymitanarum, ab ipſo Domino correctum, & ad filios
Eccleſię deriuandam, ſic quodam modo pręſignans: *Effundam*
ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritũ gratiæ & pre-
cum: & aſpicient ad me quem confixerunt: & plagent eum planctu quaſi
Planctus mulierum Ieroſolymitanarum ſuper Chriſtum præfiguratus.
ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vti doleri ſolet in morte primoge
niti. In illa die planctus erit magnus in Ieruſalem &c. Vbi in conſequẽ-
tibus verbis adumbratur ſeperata iſta turma mulierum lugen-
tium Dominum, quam S. Lucas deſcribit: atque exinde rur-
Zachar: 12 ℣ 13
ſus cærimonia illa à Chriſtianis pridem accepta quando
Eccleſiarum in Paraſcæue uiſitatio pia, eiusq; abuſus
ſeparato ordine & ſexu, in die potiſsimum Paraſceues, Ec-
cleſias plures, præſertim in quibus ſepulchri Chriſti memo-
ria conſtituta eſſet, viſitare conſueuerunt. Alioqui vulgus Chri-
ſtianorum, qui tantùm exterioribis curioſitatibus, lachrymis,
ac gemitibus, naturalis compaſſionis memoriam illam exigunt,
& concionatores qui ſic exigendam proponunt, ſua etiam re-
prehenſione non vacant: Quàm non noſtris, ſed expoſitoris ſu-
periùs citati verbis proponere, & ſic ſermonem iſtum termina-
Epilogus luctum paſsionis Chriſti irrationabilẽ perſtringens
Cap: XXXI
re viſũ eſt. Sũt aliqui, (Scribit ille) qui in recogitãda Chriſti
paſſione, vehementer peccatis Iudæorũ iraſcũtur Iudæ, Pilato,
Alphons: Salmeron in Præfatione Tomi 10 Comentar: in Euange:
Herodi, atq; aliis carnificibus, ac militibus valde indignantur,
eorumq; ſcelera miris modis execrantur, ac deteſtantur: quod
vbi præſtiterint, egregiam ſe operã nauaſſe, & ſe benè de Chri-
ſti paſſione meritos eſſe exiſtimant. Verùm hoc potiùs eſſe di-
Concionatores clamoſi & geſticulantes notantur
xerim Iudæ proditoris ac Iudeorũ improbitatem, Pilatiq; pre-
ſidis iniquitatem, quàm Chriſti mortẽ, meditari. Præterea quæ
poteſt eſſe vtilitas ſi tu contra illos extrema inſania debache-

ris atq; vociferis. Nec enim illi, vt potè iam mortui, à peccato ſuo reſipiſcent, neque tu cum auditoribus tuis, quibus paſſionē Domini concionaris, ex conuitiis in illos iactatis melior efficeris: imò peior, ſi te propterea meliorem ac iuſtiorem illis eſſe exiſtimes, nec oculos mentis in tua ipſius peccata deflectas, illaq; defleas, quæ aut ſimpliciter, aut tibi ſaltem deteriora ſunt, quàm illorum fuerunt, veraq; moriendi cauſa Chriſto extiterunt. Vt proinde vanus ſit labor, cùm poſſis teipſum & eos, qui te audiunt, cum fructu corrigere, ſine vlla vtilitate in eos, qui iam ſunt extincti, inanes clamores fundere. Tertiò loco ſunt alii, qui paſſione Domini ad hoc tantùm vtuntur, vt per eā ab aqua, igni, & ferro, aliisq; corporis periculis liberi, ac imunēs euadant, neq; preterea ad voluptatum illecebras quaſi aquas declinandas, aut ad ignem gehennę, aut gladium æternę mortis vitandum euehuntur: cùm ob hanc potiſſimam cauſam Iesvs mortem ſuſtinere voluerit, vt nos à peccatorum ſordibus ablueret, & à vinculis ſathanę ac ſupplicii æterni reatu liberaret. Hiſtoriam perc enſebo: Venit ad me conſultandum fæmina quędam religioſa admodum & ſpiritualis, an putarem ſibi licere ad capitis continuos dolores, & vertigines, quibus crebro afflictabatur ſanandas, veſci paruis quibuſdam crucis veræ Chriſti fruſtulis, ad morbum capitis ; ropulſandum. Quanquam enim Dominus etiam ad hęc incommoda corporis vitanda, & calamitates pręſentes à nobis abarcendas, mortis acerba tormenta Patri ſuo obtulerit: abſurdum tamen, & à ratione alienum videtur, vt Meſſiam ſpiritualem, à pernicioſiſſimis morbis ſpiritus, æterniſq; miſeriis pręcipuè redimentem, in carnalem, & temporarium cōmutemus, nihil ab eo niſi carnis commoda, temporaliaq; bona expectantes. Eſtq; hominis carnalis ingenium ex ſpiritu ipſo carnem eruere, ac Meſſiam, & peculiares quoſdam ſanctos noui Teſtamenti, vt B. Antonium, ac Sebaſtianum, & Rochum, aut ab igni ſacro, aut à caligine oculorum, aut exitiali peſte, ſuis precibus nos interdum liberantes, ex ſpiritualibus carnales efficere, dū hęc aut tantùm ab illis aut pręcipuè expetimus, aut poſtulamus: neq; illud cogitamus, in eo maximè nobis vtilē eſſe Chriſti crucem, quòd ad perferēdas cum victoria has moleſtias, & infirmitates, vim atq; efficaciam conferat. Hoc enim eſt planè Euangelicum, vt martyres teſtantur, patienti atq; invicto animo aduer-

Medelæ ſuperſtitioſe ex memorijs paſsionis Chriſti

Crucis Criſti reliquiarum ſuperſtitioſus vſus.

Sanctorum ſuffragia ſingularia contra morbos quomodo implorāda

aduerſa ſuſtinere, eaq; ſibi virtutis perficiendæ exercitia, ac beatę & æternę vitæ inſtrumenta efficere. Qui verò tantū modò à Chriſto, aut ab eius ſanctis in cęlo cum eo regnantibus, præſentis tantùm vitæ commoda, & corporis incolumitatem expectāt neglectis ſpiritualibus donis, ad vetus potiùs Teſtamentū tanquam pueri infirmi, quàm ad nouum, pertinere videntur: At hoc quid eſt aliud, quàm auream, & pretioſam monetam, pro ærea, viliq; pecunia expendere? Eſtq; Chriſtum quęrere eo modo, quo ipſe quęri non vult, ideò conqueritur, dicens: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Eſtq; pluris facere additamentum, quàm illud ipſum principale, cui adiungitur: cùm tamen Dominus dixerit. *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Ioan: 6 ℣ 26

Matt: 6 ℣ 33

Poſtremò ſunt nonnulli ita de paſſione Domini meditantes ac prædicantes, quaſi humanam quandam hiſtoriam, & rem ſub Tyberio Cæſare, & eius præſide Pilato in Syria geſtam: quòd Iudæi hominem innocentem indignis & acerbis modis pertractarint, falſiſq; teſtibus ſubornatis malitioſè quædam crimina affingentibus egerint, iudiceſq; innoxium, ac beneficum hominem ſupplicio crucis affecerint, vt interim auditorum corda commiſerationis affectu tangantur, *illumq; lachrimis teſtentur.* Nam quiſq; ita poteſt alias hominum innocentum cœdes meditari, qui nulla ſua culpa violenta morte vitam abrumpereſunt coacti: qualis Ariſtides, Phociones, & Reguli fuerunt. Imò quod maius eſt, interdum animalibus ſpecie à nobis diuerſis pereuntibus permouemur: Nam dum videmus agnum, aut hædum innocentem iugulari, teneriorem affectum induimus. Quare hunc compaſſionis motum erga Dominum noſtrum exercere, etſi malum non ſit, ſed bonum: quia tamen quodamodo naturale bonum eſt, ſatis non eſt. Taliſq; fortaſſe inquibuſdam fuit ille fletus muliercularum luctu, ac lachrymis Chriſtum ad mortem adductum proſequentium, quem Dominus cōpreſſit, dicens: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Lugebant enim eum quaſi reus, & criminis conuinctus raperetur ad ſupplicium; cùm tamen ſummè eſſet inſons, & ſponte ſua, & charitate ad mortem, pro noſtris peccatis expiandis pergeret. Similem ſe quondam ſenſum habuiſſe fatetur Auguſtinus, cùm Didonis necem deploraret. Nam in libris Confe-

Compaſsio Chriſti hiſtorica vel naturalis in Predicatoribus et auditoribus reprehenditur

Lucæ 23 ℣ 28

Auguſtini nondum Chriſtiani Didonis morti compaſsio

Libro 1 Confessionum Cap 13

Confessionum ita scribit: Scribam ipse si quid volo, quàm ille (scilicet literæ) quibus tenere cogebar Æneæ nescio cuius errores, oblitus errorum meorum, & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem: cùm interea meipsum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante se ipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te? Hæc ille. Hinc quidã Concionatores vehemẽter peccare videntur, qui mulierculas quasdam imitantes, quæ ad luctum mortuorum in aliis excitandum, lugubria quædam carmina concinunt, & ipsę pretio conductæ ad hoc ipsum Threnistæ vocantur, & lamentatrices: ita hi confictis lachrymis, altis clamoribus, eiulatibus, & vlulatu fæmineo, sensibilibusq; repræsentationibus, humanis planè, & nihil diuinũ spirantibus, & historiis quibusdã extra literã Euãgelicã excogitatis, & prorsus apocryphis, lachrimas vel à seipsis, vel ab auditoribus exculpunt: Cumq; satis vociferati fuerint, ac fleuerint, atque huiusmodi lachrymis sudariolum ad hoc ipsum paratum repleuerint, pro sanctis se habẽt, egregiéq; & cum fructu Christi passionẽ meditatos se fuisse arbitrantur, prædictũq; sudarium ad casus calamitosos, periculosósq; declinãdos & à se auertendos seruãt: cùm tamen nec pristina vitia declinare, nec melioris vitæ animum induere enitantur, sed in eodem peccatorum stercore iaceant: ignorantes eiusmodi lachrymas humanis viribus extortas, non esse illas, quas diuina consolatio cõmitatur, quasq; *Dominus ab oculis Sanctorum abstergere dicitur*: neq; sunt aquæ illæ, quas Propheta dicit esse super cælos, sed sub cælo, & merè humanæ, quando quidem illis nullum peccatũ diluitur, nullaq; anima à criminis macula permundatur. His igitur contemplandæ passionis rationibus tanquam invtilibus abiectis, fructuosa erit ac planè Euãgelica, si fide certa, non vt historiam humanam, sed vt rem prorsus diuinã apprehendamus: Dominũ Iesũ vnigenitum Patris, & charissimũ filium, innocentissimum, & iustissimũ hominem, nulla vi coactum, sed prudentem, ac volentem, pro nostris sceleribus abluendis, & libertate nobis vindicanda, nobisq; in Patris gratiã reconciliandis, & in æternam gloriam adducendis, durissimam atq; fœdissimam mortẽ sustinuisse: cogitando quis, quid, & à quibus, & pro quibus, & cum qui-

Concionatores præficas uel threnistas agentes notantur

Nota scænicam superstitionem non cõcionatoriam

Isa: 25 ✝ 8
Apoc 7 & 21
Psalm: 48 ✝ 4

Christiana passionis Christi contemplatio & compassio.

Puncta meditandę passionis Christi

cum quibus, & ob quam causam, & quanta patientia & charitate, talia perpessus fuerit, tantaque tormenta deuorauerit. Ex his meditationibus illustratur fides in Christũ, erigitur spes nostra, incenditur charitas, amplectimur omnem virtutis viam, omnia vitia declinamus, & ad resistendum peccato vsq; ad sanguinem & ad obedientiam diuinæ legis præstandam inflammamur. Fluunt ex hac contẽplatione cælestes, suaues, ac prętiosę lachrymæ, quæ terram cordis nostri primum lauant: deinde ad bona opera edenda irrigant atque fæcundant, animamq; veluti pane suo confirmant, ac faciant, vt cum Propheta quis dicere valeat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus?* Nam Iudęi, aut Pagani cùm obiciiunt Christum Deum nostrum in cruce esse, & veluti imbecillum atq; impotentem animam agere, nec posse seipsum saluum facere, vt illi etiam insultatum est: quid aliud nobis Christi cultoribus, qui nouimus *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam* pro nobis fuisse infirmatum & stultum reputatum, quid aliud inquam nobis, quàm dulcissimi fletus materiam exhibent, quibus tanquam solido pane exaturemur, atq; confirmemur? Quod vt eueniat eius infirmitas, qui pro nobis passus est, nos erigat & confirmet. Amen.

Lachrymæ ex Christi compasione fructuosæ

Psalm: 41 ✝ 4

1 Cor: ✝ 24

IN PASSIONEM DOMINI
Sermo Tertius.

Cap: I

Refert S. Lucas Euangelista, in gloriosa illa Domini transfiguratione, Moysen & Eliam in maiestate quoq; apparentes, *collocutos fuisse cum ipso de eius excessu* (mortis nimirum) *quem completurus erat in Ierusalem.* Quàmuis igitur passionem suam dici potest conpleuisse Christus in Ierusalem, quòd in ea acciperet mortis non solùm sententiam, sed etiam violentiam, nisi eam diuina natura in ipso retardasset: tamẽ quòd extra vrbem pati voluerit, præter rationes superiùs allatas, quatuor hic etiam assignari possunt. Prima est, vt cum mors eius prædicta ab ipso & electa, futura esset turpissima, in loco etiã suppliciorum infami susciperetur: & Dominus blasphemiæ insimulatus, extra, secundum legem perdendus educeretur. Id enim moris erat nationibus teste Quintiliano, vt quoties noxii cruci affigerentur, celeberimę

Mors Christi quomodo complete et extra portam Ierusalem

Matt: 17 ✝ 2

supra Serm: 2 Cap 25.

Leuit: 24 ✝ 14

Quintilianus in quadam Declamatione

leberimę eligerentur viæ siuę exitus, vbi plurimi prætereuntes
Passio Christi transfigurationi inquo similis & dissimilis — hoc metu commoueri possent, Secunda ratio: vt quemadmodū
transfiguratio mortalitatis in gloriam, sic è conuerso crucifixio
maiestatis in passionem & mortis contumeliam, similiter in mõ-
te veluti proximiori ad cælos aditu conuerteretur. Tetiò: vt
figuras vel similitudines expiatoriæ mortis, mors Christi omnia
Vaccæ rufæ uictima Christo applicata — complens concluderet. Primò enim in lege, religio victimæ à
Deo sic erat instituta: *vt populus vaccā rufā ætatis integræ, in qua nul-*
Num: 19 ℣ 2 &c. — *la esset macula, nec portauerit iugum, traderet sacerdoti: qui eductam ex-*
tra castra immolaret in conspectu omnium: & tingens digitum in sangui-
ne illius, contra tabernaculum aspergeret. &c Istam profecto victi-
mæ religionem, sicut omnia alia sacrificia, expleuit in se ipso
Christus: qui rectè comparatur vaccæ, quòd *homines tanquam iu-*
Psalm: 35 ℣ 7 / Psal: 72 ℣ 23 — *menta* legi suæ subiecta, ad saluandum esset regeneraturus: Ruf-
fus autem color magis propriè illi conuenit, quòd non alieno sed
proprio sanguine in ista victima maduerit: macula verò solus
1 Pet: 2 ℣ 22 / Math: 5 v 18 — propiè carebat: quòd *peccatū non fecit, nec dolus inventus est in ore e-*
ius. Deniq; non portauit iugum seruile legis, sed potiùs autor
ipse legis eam sic adimpleuit, vt ad perfectionem charitatis re-
duceret. Istā victimam populus Iudaicus extra castra seu męnia
Ierosolymę ad locum immolationis perduxit: exquo illa sibi fa-
Exod: 8 v 19 / Lucæ. 11 v 20 / Hebr: 8 v 2 — cta, & sacrificiū & sacerdos, *virtutis suæ diuinæ digito, tabernaculum*
cæleste, quòd Deus fixit non homo, propriò sanguine, per semetipsum acce-
Leo Serm: 8 de passione — *dens ad Deum, perhenni humanæ propitiationi accomodârit.* Pulchrè S.
Leo: Christus non in templo, cuius iam erat finita reuerentia,
nec intra septa ciuitatis, ob meritū sui sceleris diruendæ, sed fo-
ris & extra castra crucifixus est: vt veterum victimarum cessante
Aliæ figuræ Christi extra portā occisi — mysterio, noua hostia nouo imponeretur altari: & crux Christi,
non templi esset ara, sed mundi. Hæc ille. Secundò. Hoc etiam
quodam modo præsignabant, Abel iustus, à fratre iniquo in agrū
Gen: 4 v 8 / Gen: 22 v 2 / 2 Reg: 15 v 30 — eductus ad occidendum: Isaac in montem alienum lignis onu-
stus, vt sibi ipse victima fieret: Dauid à proprio filio Ierosolyma
pulsus, cum lacrymis nudis pedibus, montem improperii con-
scendens. Naboth etiam calumniis victus, extra propriam vineā
3 Reg: 21 v 10 / Math: 21 38 — eiectus occiditur: Christum in veritate præsignans, qui, (vt ipse
in parabola prædixisset) tanquam verus vinæ hęres post alios,
seruos perfidis locatoribus extra *vineā (quæ domus Israel est) eiectus*
Isa: 5 v 7 / Hebr: 13 v 11 — *trucidatur.* Et sic secundùm Apostolum, *quem admodum animalium*
in lege

in lege immolatorum sanguis intra tabernaculum inferebatur: corpora
autē cremebantur extra castra: Sic Iesus vt sanctificaret per sanguinē suum
populum, extra portam passus est: vt nos quoq; exeamus extra castra im-
properium eius portantes: Non enim habemus hîc ciuitatem manentem,
sed futuram inquirimus. Quartò, voluit Christus pati extra Ieroso-
lymam, Quia scopus passionis Christi potissimus erat, (sicut ex
prophetia Cayphæ exponit S. Ioannes) *vt Iesus moreretur pro gente:* — Ioan: 11 v 50.
& non tantùm pro gente: sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in
vnum: per gentem intelligens populum sibi pecculiarem Iuda-
icum: per filios autem Dei futuros ex gentilitate fideles, qui
verè secundùm spiritum filii essent Abrahę. Quod ipsum Do- — Ioan: 10 v 16
minus sic antea prędixerat: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc*
ouili: & illas oportet me adducere: & vocem meam audient: & fiet vnum
ouile & vnus pastor. Ideò in progressu passionis suę, eum etiam
ordinem seruare volebat, vt in sede quidem Iudæorum dam-
naretur, sed extra illam pateretur: & sic, quia pro vtrisque
moriebatur, ab vtrisq; etiam occideretur. Postquam igitur
Ierosolymis in præcipua Sinagogæ sede, à Iudęis compræhen-
sus, condemnatus, & variè afflictus, linguis etiam & decreto le-
gis fuisset crucifixus: traditus gentili potestati, ab ea extra Ie-
rusalem, ad vniuersalem quasi saluationem educitur, & crucifi-
xus in solio crucis, ad inchoandum omnium orbis nationum
imperium extollitur: vt qui sese Regem Iudæorum particularis
illius populi Ierosolymis abnegaret, extra Ierusalem regnum
verè Iudeorum, hoc est confitentium fidem populorum, secun-
dùm Pilati inscriptionem, ex trono crucis institueret atq; sta-
biliret: secundùm quòd prędixisset Daniel in hunc modum: *Post* — Dan: 9 ℣ 26
hebdomadas septuaginta duas, occidetur Christus: & non erit populus e- — Isa: 9 ℣ 26 / Isa: 53 ℣ 10
ius qui eum negaturus est: Isaias verò: *Principatus eius super humerum*
eius. Et iterum: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen lon-*
gæuum &c. & dispertiam illi plurimos. Similiter & Psalmista. *Dici-* — Psal: 95 v 10
te in gentibus quia Dominus regnauit à lingo &c. Et enim: *correxit orbē*
terræ, iudicabit populos in æquitate. Quod nos etiam ex sacro contex-
tu amplius expendamus eo qui patiendo fortis est imbecilitatē
nostram vestris orationibus confortante.

PARS PRIMA

Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, vt interficerentur. — Lucæ. 23

Et perdu-

Et perducunt illum, & venerũt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt interpretatum Caluariæ locus.

Chriſtus ex Ieruſa lem in Iericho typice deſcendens

Capt II.

Ecce deuoti auditores, homo per Prçſidem Monarchç orbis totius, orbi quoq; denuntiatus vniuerſo, *ex Ieruſalem deſcendit in Iericho*, vt ciuitatem quç eſſet viſio pacis *tanquam filiam latronis*, quæ latronem præcipuum filio Dei prçferret, *vaſtandam* ſecundũ Prophetam relinqueret, & lunæ viciſſitudinem (quàm Iericho ſonat) reflexo lumine gratiæ, ad gentium nationes transferat. In iſto autem itinere *incidit in latrones par illis deputatus: mox etiam ad mortem vſq, vulnerandus:* & prætergreſſis ſacri ordinis viatoribus, immò ſibi pendenti in cruce inſultantibus, a Samaritani ſpeciem habente Ioſepho ab Arimathia, ad vitam abundantiùs etiam præſtandã confouetur. Porrò Golgota, Hebraicè autẽ vel potiùs Syraicè Gulgota, ſecundũ D. Hieronymum, ſonat Caluariam vel cranium hominis, vt etiam vertit interpres Latinus Origine exinde ducta, quòd antiquiſſima haberet traditio, (ſecundùm Theophilactũ) non ſolùm Eccleſiaſtica ſed etiam Iudaica, in eodem loco primùm hominem Adam fuiſſe ſepultum, ex eoq; primùm mortui hominis caput mortalibus apparuiſſe.

Michee. 5 v 1

Marci. 15 v 28

Iſa: 53 v 12

Golgota ſeu Caluaria à ſepultura Adæ ſic denominata

Hieron: in interpret: nominum Hæbr:

Theophil: in cap: 27 Matt.

Quam traditionem amplexi ſunt magno conſenſu præcipui antiqui Doctores, tam Græci quàm Latini: quorum aliquot ſententias propter eos qui libris vel carẽt vel non vacant, placuit hîc apponere. Baſilius quidem hoc atteſtatur ſic ſcribens: obtinuit fama quædã in Eccleſia memoriam conſeruans, non quidem ſcripto proditã, quæ & talis eſt: Quòd prima vtique Iudæa hominem habebat incolam, nimirum Adam ſimul atq; excidit deliciis paradiſi, in hac terra collocatum, ad mitigandam iacturam bonorum quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam cui addictus erat ſententiam condemnationis plenç eſt exequutus. Itaq; inſolens eſſe ac nouum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum, os capitis defluente carne nudum. At illi recondentes cranium, loco illi nomen indidere Κρανίον id eſt Caluariam. Probabili ratione potuit Noë non ignoraſſe ſepulchrũ principis huius & mortalium omnium primigenii: ſiquidem hac de re fama à diluuio mox per orbem propagata eſt ab ipſo & dimanauit: eoque Dominus excuſſa origine humanæ mortis, in loco qui Κρανίον dicitur, id eſt Caluaria paſſus eſt: vt quo in loco corruptio ſiue mors

Baſilius in Iſaiæ cap: 5.

hominum initium accepit, illic vita regni ſuum ſumeret exordium. Et quemadmodum mors inualuit in Adam: ita & in Chriſti morte inefficax redderetur, & peſſum iret Origenes autem. Venit (inquit) ad me traditio quædam talis: quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum, eſt vbi crucifixus eſt Chriſtus: vt *ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur*: vt in loco illo qui dicitur Caluariæ locus, id eſt locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat, cum populo vniuerſo per reſurrectionem Domini ſaluatoris noſtri, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit. Inconueniens enim erat, vt cùm multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurectionis conſequerentur, non magis ipſe pater omnium hominum huiſmodi gratiam conſequeretur. B. Cyprianus quoq; idipſum confirmat loquens de reſurectione Chriſti: quòd eius ſanguine creditur conſperſa Adæ Caluaria, qui ſub loco quo crux Domini fixa eſt, humatus traditur ab antiquis. Hoc ipſum adſtruunt, Athanaſius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Eutymius, Theophilactus, Ambroſius, & Auguſtinus: qui iſtam ſententiam ſic concludit: Et verè fratres, non in congruè creditur, quia ibi erectus ſit medicus, vbi iacebat egrotus: Et dignum erat, vt vbi occideret humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia: Et ſanguis ille precioſus, etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur. Hæc ille. Solus fortaſſe ex antiquis B. Hieronymus hanc traditonẽ improbat, & quodã modo irridet, tribus (vt colligimus) rationibus. Primò, quòd Ioſue Capite 14 expreſſe habeatur, Adæ ſepulchrum fuiſſe in Hebron & Arabæ. Sed Lyranus exponit, ibi Adam ſignare nomen commune humani generis, ſicut & Geneſis 1. & 5. capite. Quòd etiam arguunt verba ſequentia, quando dicitur *terram tunc ceſſaſſè á prælìis*: quæ tamen tempore Adæ in ſola eius poſteritate nulla interuenire potuerunt. Perdoctus quidam noſtræ memoriæ Theologus, & præceptor quondam meus, breuiter rationem iſtam Hieronymi ſic refellit: Hieronymus probat Adam fuiſſe ſepultum in Hebron, propter illud Ioſue: *Hebron autem vocatur Carintharbe: Adam maximus inter Enachin ſitus eſt.* Eius enim loci veriſſima intelligentia vt ex Hæbræo textu deducitur, hæc eſt: Erat enim Arbe nomen viri magno corpore, à quo illa vrbs primò nominabatur: Et ſic legen-

Origenes in Matt: Cap: 27.

1 Cor: 15 ✝ 22

Cypr: Serm: de reſureċt:

Chriſoſt: Hom: 84 in Ioan: Theophilact & Eutymius ſuper hunc locum

Ambros: epiſt 19

Auguſt: Serm: 71 de Tempore

Hieron: in Matt: Cap: 27 & in Caput 5 epiſt: ad Ephesios

Ioſue. 14 ✝ 33

Gen: 1 ✝ 25

Gen: 5 ✝ 2

Franciſcus Toledus Cardinalis in Ioan: Cap: 19 Anotatione. 12

legendum eſt: Cariatharbe hominis maximi inter Enachim, id eſt homines ſic vocatos quaſi torquatos. Ibi enim Adam nomen eſt commune: id circo habet He Emphaticum, & eſt declaratio illius qui dictus eſt Arbe: nec habetur(ſitus eſt)ſed inter Enachim. Fuit autem magno myſterio factum, vt vbi iacebat mortuus Adam, qui nos omnes mortuos peccato affecit, ibi pro omnium ſalute & vita, moreretur ſecundus Adam. Hactenus ille Secundo Beato Hieronymo iſta ſententia videbatur noua,& ex. publico ſuggeſtu à quodam cum ſingulari applauſu exquiſita: quòd nondum fortaſſe ad manus eius perueniſſet antiquiorum Doctorum ea de re ſententia. Quod poſtquam cognouiſſet, mutauit ſententiam, quando poſtea in commentatione ipſa ad Epheſios, liberum cuiq; iudicium de hoc relinquit. Quinetiam in Epiſtola Paulæ & Euſtochy ad Marcellam,eius ſine dubio magiſterio conſcriptā, (quòd & ſtylus arguit)habentur hæc verba: In hac vrbe (Ieroſolyma) immò in hoc tunc loco, habitaſſe dicitur & mortuus fuiſſe Adam: vt & locus in quo crucifixus eſt Dominus noſter ,Caluaria appellatur: Scilicet quòd ibi ſit antiqui hominis Caluaria cōdita: Vt ſecūdi Adā, hoc eſt Chriſti ſanguis de cruce ſtillās primi Adā & iacētis protoplaſti peccata dilueret. Et tūc ſermo ille Apoſtoli cōpletur: *Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Hæc ibi. Quā applicationē ex Apoſtolo cùm priùs reiiceret Hieronymus,nunc eā approbat: quòd apud antiquiorem Athanaſium ad hoc legatur applicata. Anaſtaſius Sinaita addit aliud myſterium ſic ſcribens: Vide Chriſtū in Golgotha ſubſignaculo tantum ſuccinctū pendentem in cruce ſupra Adæ cranium, pro Adamo & Eua patiētem. Sic ille. Addamus nos & aliud: Conueniens fuiſſe, vt Verbū illud æternum per quod omnia & ipſe Adam facta fuiſſent, ſicut ad ædificandum ex coſta Adæ ſociam, ſoporem in illum immiſiſſet: ſic poſtea idem Verbum caro factum, quando ex propria coſta confixi lateris, Eccleſiam ſponſam ſibi formaret, vt eundem Adamum ex morte ad primitias nouæ atq; æterne illius ſponſalitatis excitaret atq; viuificaret. Ad confimandam ſuam ſententiam, indignum etiam videbatur B. Hieronymo, vt in eo loco in quo tanta ſalutis myſteria contingerent, latrones quoq; crucifigerentur. Sed potiùs digniſſimum erat, vt innocetiſſimus Dominus propterea ſecundùm Prophetam *inter ſceleratos deputaretur*

Hieron: in Cap: 5 Epiſt: ad Epheſeos. Idem Epiſtola.17

Ephe: 5 ℣ 14 Athanas: vtroq; Serm: in Paſsionē Domini.

Alia myſteria Chriſti in Golgotha paſsi: Anaſtaſius lib: 11 Coment: in Examecon

Gen: 2 ℣ 21 Ephes: 5 ℣ 32.

Chriſtus cur inter latrones crucifixus.

Iſa: 53 ℣ 12

retur, vt noſtra ſcelera ſua paſſione & morte expiaret. Neq; nouū in hoc defuerit myſteriū, diuerſi fructus paſſionis & mortis Chriſti. Infidelibus enim (quos ſiniſter latro blaſphemus deſignabat) futura erat in reprobationem & grauiorem damnationem, pœnitentibus autem & credentibus, ad conuerſionem & ſalutē: idq; non ſolùm viuentibus, ſed etiam in euiuſdem fidei teſtamento defunctis, quos ſanguis precij, & aqua lauari ex Chriſti latere cō tingeret: viuos quidem in perſona couuerſi latronis, mortuos autem in cineribus defuncti protoplaſti: Atq; exinde conſequenter iuxta ſententiam Apoſtoli, mulier etiam Eua quæ ſeducta virum ſeduxiſſet. per fidelem virum eandem ſalutem conſequeretur. In ſymbolū huius de craneo Adæ traditionis, puto vſū antiquiſſimum obtinuiſſe, vt ad baſim Chriſti crucifixi, humani capitis Caluaria deſculpi vel depingi conſueuerit.

1 Timot: 2 ℣ 14

Crucifixo cur caluaria appingatur

Matt: 27 ℣ 34 Marci 15 ℣ 23

Cap: III. *Et dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum ſelle miſtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere, & non accepit.*

Quoniam primus Adam terrenus, per cibum ex ligno præuaricationem induxerat, conueniens erat, vt ſecundus Adam cæleſtis, redemptionem per lignum mox exigendam, per potum inchoaret: vt cibum humano generi lethalem, quem Adam ingeſiſſet, Chriſtus amariſſima potione decoqueret, & ad medelam veluti digereret. Porrò Græcus textus apud Matthæum, pro vino habet acetum: Sed in Hæbræo, & apud Marcum conuenit lectio de vino. Error librariorum putandus eſt: ſiquidem οἶνος vinum & ὄξος acetū, vnico færè apice commutari poſſit. Vel dici poteſt ad maiorem cruciatum vinū acetoſum Domino fuiſſe propinatum. Eadem intentione addi potuit myrha, ſecundùm Marcum, & fel ſecundùm Matthęum, ad augendam amaritudinē: vt carnifices ex ſuggeſtione fortaſſe Iudæorum, Chriſtum non ſolùm exterius flagris & vulneribus, ſed etiam interius potione amara atq; lethali torquerent. Vnicam enim iſtam potionem fuiſſe, B. Auguſtinus rationabiliter comprobat. *Noluit autem Chriſtus bibere, vel oblatum potum non accepit*; tum quòd poſtea in cruce ipſe exquirens, eam in myſterio eſſet accepturus, tum quia promiſſiſſet quòd *ex hoc genimine vitis ampliùs non eſſet bibiturus, donec nouū* internæ nimirū atq; æternæ ſatiationis *impleretur in regno Dei*

Potus amarus ante paſsionem Chriſti qualis eiuſque miſterium

Auguſt: de conſens: Euan: lib 3 Cap: 11 Gloſſa ordinaria hoc loco

Et poſtquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum. Et tunc crucifigunt cum eo alios duos latrones hinc &

Matt: 27
Marci. 15
Lucæ 23
Ioan:19

hinc, vnum à dextris, & alterum à sinistris eius. medium autem Iesum. Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Et erat titulus causæ eius inscriptus super eum literis Græcis, Latinis, & Hæbraicis. Hic est Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

Methodus exponendi textum propositum.

Plura circa hæc verba erunt nobis expendenda: propterea rediguntur ad sex sequentia puncta. Primò, cur Christus per crucẽ, & non aliter, mori voluerit. Secundò, quæ præcesserint eiusmodi mortis figuræ seu præsagia. Tertiò, de materia & forma ligni crucis, & clauorum, eorumq; numero. Quartò, de titulo crucis Christi. Quintò, de apparatu, & modo crucifixionis. Sextò, de mysteriis Christi in cruce exaltati: & quid exinde discere debeamus.

Cur Christus diuersa morte impetitus Crucẽ elegerit
Matt: 2 ℣ 16 22
Lucæ. 2 v 48
Matt: 4 v 6
Lucæ. 4 ℣ 29
Matt: 8 v 24
Ioan: 8 v 59
Lucæ. 13 v 31
Matt: 14 v 12
Marci. 15 v 15

Quantum ad primùm: Cùm varia sint mortis genera, quorum quodcunq; sufficiens esse potuisset ad redimẽdum genus humanum: non sine tamen grandi mysterio, Christus noluit infantulus cum innocentibus pueris ab Herode cõfodi, aut iugulari: vel tenerrimus puerulus exilio confici: vel Ierosolymis puer in templo repertus, ab hostibus intercipi: vel suggestione tentatoris, & impetu Nazarænorum ex sublimi præcipitari: vel cũ discipulis fluctibus maris obrui: vel à Iudæis, quãdo, sese subduxisset lapidari: vel ab Herode tanquam vulpe, per insidias, vt Ioannes Baptista, gladio occidi: vel in atrocissima flagelatione & contusione apud Pilatum expirare: Sed elegit mortem crucis antequam ipsa à Iudæis conclamata, & postea à Pilato decreta fuisset: propter sex potissimum rationes. Prima

Culpa per lignum illata per lignum sublata
Hieron: super Galat. 3 Damasc: de fide lib: 4 Cap 12
Cant: 8 v 6

est, vt redemptionis pæna præuaricationis in Paradiso culpæ vel (vt loquuntur Hieronymus & Damascenus) medicina morbo, responderet. Quod insinuat Spiritus sanctus apud Salomonem dicens: *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua.* Verba enim ista sponsi sunt ad sponsam suam Ecclesiam, & anthonomaticè ad Dei genitricem: quòd sub ligno cælitus fructifero, ex quo fructus ventris benedictus subsequeretur, facta esset suscitatio ad gratiam & vitam, vbi in matre corrupti-

corruptionis Eua præcessisset corruptio & violatio seu æterna ad ruinam perditio. Et sic statim post lapsum facta promissione redemptionis, quodam modo Deus (vt Ecclesia canit) notauit lignum, in quo damna ligni exolueret. Hoc ipsum ad B. Iob Deus ipse retulit inter alia diuinitatis suæ opera dicens: *Nunquid Leuithan* (hoc est diabolũ) *capies hamo: aut illudes ei sicut aui?* Quẽadmodum enim auceps capturus auiculas, non semper secundũ Salomonem, *iacit retia ante oculos pennatorum:* sed maiori ingenio, lignum frondosum visco illinit, vel diuisione appræhensibile reddit, & fistula auiculam mentitus, allectas auiculas cõprehendit. Ad eundem modum, Lucifer primos homines adortus erat, non simpliciter mandatum diuinum impugnando, sed serpentẽ ementitus qui fortasse fructibus ligni iure creationis vesceretur, voce prudentiam supra alia animalia præseferentẽ, de ligno eiusq; fructu quæstionem, vertit in humani generis perditionem. Hoc vindicans atq; reparans æterna Dei Sapientia. Deus homo factus, lignum crucis conscendit, atq; hominis vndiq; afflicti & derelicti formam & voces edens, sathanam allexit ad sollicitandam & perficiendam suam mortem: quæ homini quidem in persona Christi tanquam capitis, reparatio & vita, sibi autẽ tanquam damnationis patri & autori, perditio & mors extitisset: quando nimirum redemptor noster secundùm Apostolum: *condonauit nobis omnia delicta: delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* Quæ verba Apostoli Leo magnus sic expendit: Exaltatus Christus Iesus in ligno, retorsit mortem in mortis autorem, & omnes principatus aduersasq; virtutes, per obiectionem passibilis carnis elisit: admitens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæuiendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, vbi nullum potuit vestigium inuenire peccati: Euacuatum est igitur illud generale venditionis nostræ & lethale chirographum, & pactum captiuitatis in ius transiit redemptoris. Athanasius autem: Misertus (inquit) ipse Deus, remedium ad tollendum errorem intullit. Crucem videlicet proferens, diuinæ notitiæ instrumẽtum (videtur alludere ad lignum scientiæ boni & mali) omni natura potentius. Et post pauca subiicit. Lignum illud quod vile habeba-

Dominica in Passione in hymno ad Matutinum
Simile & modus reparationis humanæ per Christũ
Iob. 40 ℣ 20 24
Prouer: 1 ℣ 17
Gen.: 3 ℣ 1
Psal: 21 ℣ 1 &c.
Colos: 3 ℣ 13
Leo Serm: 10 de passione Dñi.
Athanasius Serm in sanctam Parascæuem

le habebatur, cum esset iam plantatum, ex impietate ad pietatem trasferens, quæ excoluit orbem terrarum. Lignum quod erat damnationis instrumentum, damnatis hominibus libertatis fructum produxit. Sic ille. Augustinus quoq; ostendit maximæ sapientiæ diuinæ opus fuisse, vt diabolus *incideret in foueam quam fecisset*, & eisdem ipsis armis vinceretur, quibus victoriam præparabat. Ex quibus sententiis videtur desumptũ esse quod canit Ecclesia

August: uel Ansel: lib: cur Deus homo
Psal: 7 ℣ 16

In hymno Dominicæ in Passionẽ

De parentis protoplasti fraude facta condolens:
Quando pomi noxialis, morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret.
Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris ars vt artem falleret:
Et medelam ferret inde, hostis vnde læserat.

Cap. IIII

Secundò, elegit Christus mortem crucis; quòd esset omnium turpissima & crudelissima. Deliquerant enim primi parentes superbia appetentes diuinitatem, & delectatione in fructu illo specioso degustando. Propterea Christus secundus Adam, primò superbiæ satisfecit *exinanitione sua ex forma Dei in formam serui, factus obediens patri vsq; ad mortẽ crucis* quæ erat propriè mors seruorum nõ liberorum. Ideo Lactantius inducit Marcum Tullium, sic de simili crimine in Senatu Romano conquerentem: Facinus (dicebat ille) est vincere ciuem Romanum: scelus verberare: propè parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? Quod ipsemet Tullianæ eloquentiæ æmulator, sic passioni Christi applicat. Suspenderunt (inquit) eum inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant: (crucique affixerunt.) Quid ergo hìc in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquærar? Non enim Gauianam crucem describimus, quam Marcus Tullius vniuersæ eloquentiæ suæ neruis ac viribus, velut effusis totius ingenii fontibus prosequutus est: facinus indignum esse proclamans, ciuem Romanum contra omnes leges in crucẽ esse sublatum. Qui quamuis innocens fuerit, & illo supplicio indignus, mortalis tamen, & ab homine scelesto qui iustitiam ignoraret, affectus est. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei suspensus est, atq; suffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum verborumq; copia instructus existet? Quæ oratio tantæ affluetiæ

Mortem crudelissimam & turpissimam cur subijt Christus
Flipen: 2 ℣ 6
Lactan: Instit: diuin: libro 4 Cap: 18
Cicero oratio 10 in Verrem.

fluentiæ vbertate decurrens, vt illam crucem meritò deploret, quam mundus ipse, & tota mundi elementa luxerunt? Sic ille. Propria etiam erat mors crucis prædonibus & latronibus, seu furibus. Quod crimen quoniam primus Adam in paradiso commisisset, rapinam diuinitatis arrogando, & vsum ligni uetiti contra mandatum vendicando: propterea secundus Adam cælestis, hæc *quæ non rapuisset, exoluendo*, pœnam crimini condignam in se suscepit. Secundò delectationem quàm primi parentes in decerpendo & degustando vetito fructu commiserãt, voluit Dominus acerbitate mortis compensare: qualis maximè est mors crucis, quæ à cruciando esset dicta. In illa enim fit extensio & afflictio vniuersi corporis, & confixio earum partium quæ propter concursum neruorum, maximam habeant sensibilitatem, vt in latere circa costas, & in volis manuum, & plantis pedum, experimur: Quæ eò grauiora acciderunt in corpore illlo tenerrimo, quod opera Spiritus sancti in virginali vtero formatum esset vt veriùs quàm olim Iob, dicere potuerit Dominus noster. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea est: nec caro mea ænea est. Ecce non est auxilium mihi in me: & necessarij quoq; mei recesserunt à me.* Quod clariùs Dñs de seipso contestatur dicens: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt oĩa ossa mea:* Et alibi. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* S. Thomas Theologus postquã ostendisset Christum sustinuisse omnes passiones humanas secundum genus, quamuis non secundùm speciem: de passionibus in corpore sic subinfert: Passus est Christus in capite, pungentium spinarum coronam: In manibus & pedibus fixionem clauorum: In facie alapas & sputa: & in toto corpore flagela. Fuit etiam passus secundùm omnem sensũ corporeum. Secundùm tactum quidem flagellatus, & clauis confixus: secundùm gustum, felle & aceto potatus: secundùm obfactũ, in loco fædido cadauero mortuorũ qui (dicitur Caluaria) appensus patibulo: secũdùm auditũ, lacessitus vocibus blasphæmantium & irridentium: secundùm visum, videns matrem charissimam, & discipulum quẽ diligebat flentes, atq; iuxta crucem astantes. Hactenus ille. Tertiò, noluit Dñs mortem sibi ipse aliquam leuissimam eligere, sed ab inimicis atrocissimam uiolenter inferri, ut secundùm Athanasium euidẽtiùs ac firmius mortis destructionem & resurectionis victoriam adstrueret: cũ alioqui

Latrocinium & furtum Adæ Christus exoluit
Gene: 3 ℣ 5 6
Psalm: 68 ℣ 5

Crucis mors quomodo acerbissima.

Iob 6 ℣ 12
psal: 21 v. 17

Trenor: 1 12
Christus in omnibus passus quæ habuit
Thomas Aquinat 3 parte quæstione 46 art: 5.

Christus cur non mutilato corpore mori voluit.
Athana: de incarna: verbi

qui euidentissimam quamuis, aduersarii, postea calumniis inuertere non vererentur. Sicut igitur mortē suā operi difficilimo & impossibili, demolitionis & in triduo resuscitationis tēpli comparauerat: ad eundem modum violentissimo quidem conatu templum corporis sui demoliri permisit, sed illud in tribus diebus, *quasi tribus digitis* operationis Sanctæ Trinitatis fascillimè restaurauit. Athanasius dat simile, á fortissimo Athleta seu pugile: qui nec antagonistam, nec arma sibi deligit, sed omnibus omnia tela exponit, vno quoq; cuilibet se satisfacturum ostendens. Quartam rationem tangit idem Athanasius, & prosequitur Chrysostomus: Noluisse Christum capite plecti vt Ioannem, vel serra seccari vt Isaiam: sed integro corpore mori: tum ut corpus indiuisibile fidei resurectionis reseruaret: tum vt corpus suū mysticum à schysmatis vel diuisionis imitatione præseruaret. Quintò, elegit Christus innocens mortem atrocissimam, vt homines fideles non solùm mortem, sed quodcunq; etiā mortis genus non timerent. Quod egregiè B. Thomas verbis S. Augustini sic expressit. Sapientia Dei hominem ad exemplum quo rectè viueret suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quę non sint metuenda, non metuere. Sunt autem homines, qui quāuis mortem ipsam non timent, mortis tamen genus horrescunt. Vt ergo nullum mortis genus homini rectè viuenti metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter oṁia genera mortis illo genere execrabilius & formidabilius. Hæc ille. Sextò, mortuus est Dominus & magister noster in cruce, vt seruis & discipulis suis exemplum & imitationem sui relinqueret, & commendaret. Non enim per baptismū regenerati sumus ad vitam præsentem carnalem, & caducam, sed ad futuram perennem atq; beatam, quam vitæ presentis assidua mortificatio præcedere debet: dicente Apostolo: *Mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt vita Iesu manifesletur in cordibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifesletur in carne nostra mortali.* Non sufficit enim more Simonis illius Cyrænei crucem à mundo impositam post Christum portare: sed etiam secundùm eundem Apostolum *vsq; ad sanguinem resistendo,* Christo etiam concrucifigi atq; compati: secundùm quod ipse dixisset: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suum & sequatur me.* Et iterum *Qui non*

Ioan: 2 ℣ 20
Isaie 40 v. 12
Fidei & Ecclesiæ integritas in Christo crucifixo signata
Athanis: loco citato
Mors Chisti atrocissima alleuiauit mortes martyrum
Thomas 3 parte quest: 46 arti: 4
August: lib: 83 quest: 25 & lib: de Symbo: cap: 1
Crux Christi anima martyrii
2 Cor. 4 v. 10
Heb: 12 v. 4
Matt: 16 v. 24
Matt: 10 ℣ 38

Qui non acceperit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Vnde successerunt Christo tot myriades martyrum, qui mortibus exquisitis de mundo triumphauerunt, & quos veluti ramos cum suis fructibus arbor crucis Christi per mundum expandit vniuersum.

Cap: V. Secundum punctum: Subiit Christus non aliam mortem quàm crucis, vt figuræ, & prophetiæ ab initio mundi eam prænuntiantes complerentur: vel potiùs ideò præsignationes tales præcesserunt, quia agnus ab origine modi occisus, talem sibi mortem determinasset. Hoc imprimis præsagebat lignū illud vitæ in medio paradisi, quod hominem legitimè vescentem in immortalitate conseruasset. Cuius aditum Christus per mortem victor ab infernali potestate nobis vindicauit: eiusque vsum nobis repromisit dicens: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Christus etiam in cruce in modum balistæ extensus, & inter cælum & terram eleuatus, signatur per arcum in nubibus cæli positum, qui in signum pacificationis inter Deum & homines fuisset constitutus. Hoc est, lignum à Noe in formam arcæ fabricatum, quod genus humanum ab vniuersali interitu conseruaret. In hoc enim ligno crucis verissimè euenit, quod edixisset Salomon: *Exiguo ligno credunt homines animas suas:* Et iterum: *Benedictum lignum per quod fit iustitia.* Figurata etiam erat crux Christi per arborem in conualle Mambræ, sub qua Abrahā Deū in specie Angelica vel humana recepisset, & mysteria futuræ tùm incarnationis, tùm per crucem redemptionis deprompsisset: vt nos alibi satis explicuimus. Hanc crucē præsignabant ligna illa, fide adhuc pullulante, nondum composita, quæ Isaac ad immolandum, supra humerum in mōtem deportaret, quæ post modum filius fabri mundum fabricantis, tāquam instrumentum eiusdem mundi reparationis componeret: vt etiam supra meminimus. Hoc lignū prænotabat scala illa quæ ex terra cęlum pertingēs, comertium Deo cum hominibus, cælo cum terestribus, contulisset. Quod postmodum Isaias per clauem domus Dauid super humerum electi & æterni Pontificis positum, & paxillum fixū in loco fideli, præsignasset. Hîc est ille baculus, in quo Iacob Patriarcha pertransiuit Iordanem (sicut & Christus torentem passionis) vt cum duabus turmis vtriusq; populi liberati, ex victoria reuerteretur. Hæc est illa triplex vitis propago, ex vaticinio Ioseph Patriarchæ, quę Christum verum pincer-

Figuræ & prędictiones mortis Christi per crucē
Vide Hierony: in cap: Marci 14.
Lignum uite typus crucis Christi
Gen: 3 ℣ 22, 24
Apo: 2 ℣ 7
Iris & arca Noe figura crucis Christus Gen: 9 ℣ 13
Hieron: in caput Ezech: 1.
Ambro: lib: de Noe & arca cap: 27
Sap: 14 ℣ 5 13
Gen 18 ℣ 4
Christologiæ 1 parte Ser: 14 cap: 1
Et 2 parte Serm: 8 cap: 1
Gen: 22 ℣ 6
Hieron: in Marci cap: 15
Christus faber creationis & redemptionis
Matt: 13 ℣ 55
Ioann: 6 ℣ 42
Prou: 8 ℣ 30
Gen: 28 ℣ 12
Isaiæ 22 ℣ 22
A poc3 : ℣ 7
G en: 32 ℣ 10
G en: 40 ℣ 10

pincernam noſtrum,qui nos ſanguine ſuo potaret, tertia exinde
die fuiſſet ad gloriam reſurrectionis reſtitutura. Ad hoc lignum
pſal:104 ℣ 28 in figura Ioſeph compedibus alligatus erat Chriſtus, & ferrum
clauorum ac lanceæ pertranſiuit animam eius, vt exinde prin-
ceps & Dominus vniuerſę terrę euaderet. Iſtam crucem adum-
Exod:4 ℣ 3 brabat virga Moyſi: quæ verſa in ſerpentem, deuorauit virgas
ſeu ſerpentes Magorum. Quod euenit in Chriſto, quando in cru-
Pſal: 21 ℣ 7 ce, vermem ſeipſum appellans, ſerpentem infernalem debella-
Exod:17 ℣ 6 uit. Quæ etiam virga ad petram ſui ſanctiſſimi corporis alliſſa,
Exod:15 ℣ 25 aquas ſalutares nobis produxit, illarumq́; amaritudinem, in dul-
Iuſtinus Dialogo cum Tryphone cedinem comutauit: atq; poſtmodũ manibus veri Moyſis Chri-
ſti eleuata (vt oſtendit Iuſtinus martyr) triumphum ex ſathana
Exod:17 ℣ 8 reuexit. Comparari etam poteſt lignũ iſtud virgæ Aaronis, quæ
in altari repoſita ſubito floruit & germinauit: ſicut in ara cru-
Exod:12 ℣ 22 cis mors Chriſti, erat reſurectionis & vitæ exordium. Hoc eti-
am ſignabant poſtes illæ domorum, quæ ex triplici quoq́; ligno
componũtur, quibus illius ſanguis veri agni tollentis peccata
mundi, in ipſo phaſe ſeu tranſitu legis in gratiam, per ſubſequẽ-
tem aquã baptiſmi, ex perpetua ſeruitute in libertatem credẽ-
Num: 21 ℣ 9 tes reuocaret. Porrò æneum illum ſerpentem in ligno ſublatum,
Ioan:3 ℣ 14 qui ſolo aſpectu demorſos à ſerpentibus ignitis liberaret, Chri-
ſtus Nicodemum de fide inſtruens, ad exaltationem ſuiipſius in
ligno crucis, & exinde conſequendam redemptionem, diſertè
Hebr:9 ℣ 4 applicat. Iſtud lignum Crucis adumbrabatur per arcam fœde-
Auguſt: Serm:130 de paſsione Dñi. ris, in qua tabulæ legis, virga Aaron, & manna reconditum, ſe-
cundùm Auguſtinum, in hoc paſſionis myſterio, potentiam, ſapi-
4 Reg:6 ℣ 6 entiam, & dulcedinem diuinę miſericordię denotabant. Hoc eſt
lignum, quod tempore Elizæi prophetę, ſecuris ferrum aquis
demerſum, ad ſuperficiẽ euocauit: quia ligni crucis virtute, ani-
mę in limbo ex tyranidè ſathanę, fuerũt ad ſuperna euocatę.
3 Reg:10 ℣ 18 Hîc eſt verè thronus Salomonis, duabus extenſis manibus ſoli-
um Regalę continens, in quo diuina reſedit & regnauit ſapien-
tia. Hęc eſt virga vigilans Ieremiæ oſtenſa, quę per meritum re-
Ierem:1 ℣ 12 demptionis, electos à reprobis diſcernit. Hoc eſt lignum illud
Ierem:11. ℣ 19 à Ieremia prędictũ, quod in panem corporis Chriſti immiſſum,
Iuſtinus cum Tryphone illum nobis reddit ſalutarem, vt Iuſtinus, Tertulianus, &
Tertul: lib:3 contra Martionem allii antiqui Doctores exponunt. Apertiſſima quoq́; figura Cap. VI
Ezech:9 ℣ 4 crucis Chriſti, eiuſq́; eximiæ virtutis habetur apud Ezechielem

Ibi enim

Ibi enim Angelus cum vaſe ſcriptorio præmittitur vt ſignaret
Tau in frõtibus virorum gementium & dolentium, ſequuntur
autem illum iuſſu diuino viri gladiis accincti, qui tranſeuntes
vniuerſam Ieruſalem, omnes ſine diſcrimine occiderent, qui
carerent inſcriptione iſta. Simile huic myſterium pręceſſerat
in Exodo, quando in ſolennitate Phaſe Angelus tranſiens, occi- Exo:12 ℣ 23
debat vniuerſa primogenita, in iis domibus, quæ poſtes ſangui-
ne agni illitos non pręſeferrent. In Apocalypſi quoq́; B. Ioannis, Apoc 7 ℣ 3
inducitur Angelus habens ſignũ Dei viui, alios Angelos ad pla-
gas mundi immiſſos ſic acclamans: *Nolite nocere terræ & mari, neq;*
arboribus, quoadusq́; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorũ. Conſtat
igitur, eas conſignationes referri ad meritum Paſſionis Chriſti
veri agni tollentis peccata mundi. Forma autem eius ſigni de- Litera Tau quomodo ſignat crucis myſterium
ſcribitur apud Ezechielem per Tau. Quæ litera apud Hebræos
vltima eſt, vt ſecundùm B. Hieronymum rectè referre poſſit ſym- Hieron: in caput 9 Ezech: & de nominibus Hæbraicis Idem epiſtola 128 ad Fabiolam
bolum paſſionis Chriſti, in quo ipſe omnia conſumaſſet, & ad ſe
pertraxiſſet. Deinde idem Hieronymus teſtatur literam iſtã Tau
apud Hæbræos ab ipſo initio fuiſſe depictã in forma crucis (ſi-
cut & modo apud Græcos,) ſed poſt captiuitatem Babylonicam
Eſdram eius figuram immutaſſe, ne quid nimirum gens Deo Origenes Homel 8 in diuerſos Matthæi locos
vindicata comune haberet cum infidelibus Samaritanis, qui-
bus talis literæ forma etiam tunc in vſu eſſet, & vt iſta etiam Auguſt: de altercatione Eccleſ: & Sinagog:
vltima alphabeti nota, populus fidelis ab infideli diſcerneretur.
Quod myſterium potiùs eo tendebat, quòd populus ille à capti- Cyprian: contra Iudæos cap: 21
uitate illa non minùs induratus & Deo rebellis, ſigno ſaluifico Chryſo: Serm: 48
quod cruce ✝ ſignabatur, & ipſo Chriſto qui eſt finis legis, exci-
dere incipiebat, illudq́; ad Samaritanos hoc eſt ex gẽtilitate cre
dituros trãsferebatur, Iudæis autẽ pro ſigno ſalutari ✝ in eadẽ
litera per ת ſignata, furcæ cũ Duce ſuo Iuda traditore ſignũ re-
ſeruabatur. Et quoniã, titulus crucis Chriſti (vt mox dicetur) cõ-
ſcriptus, etiã fuit Græcis & Latinis literis (quòd per eas potiſſi-
mũ linguas Euãgeliũ mũdo inotuiſſet) rectè etiã litera iſta tã
apud Græcos quã Latinos traſuerſo apice repræſẽtat figurã cru- Matt: 24 ℣ 30
cis. Hoc ſignũ Dominus ante aduentũ ſuũ ad iudiciũ apparitu- Matt: 13 ℣ 55
rũ eſſe prædixit, tanquã ſignum filii hominis propriũ, vt ſeſe qui- Chryſo: Serm: 48
dẽ recognoſceret filiũ fabri, ſed reuera eius qui fabricaret cæ-
lum & terram, quæ poſtmodum filius reſtauraret. Propter tan-
tam virtutem iſtius ligni, aliqui illud præſignatum fuiſſe notant

 per il-

Gen: 35 ℣ 4

per illam therebyntum, sub qua Iacob instituturus veri Dei religionem, idola defodisse memoratur. Quia re vera, vbicunq; per prædicationẽ & fidem illatum fuisset tropheum crucis, idola dæmonum corruebant. Quin etiam testatur Lactantius, suo tẽpore sacrificium & responsa idolorũ porfici non potuisse, vbi fortè aliquis Christianus tanquam mancipium, Dominum suum secutus interfuisset: quæ res maioris etiam odii atq; persecutionis infidelium contra Christianos causa extitisset. Citatur etiam non solùm à sacris sed etiam à profanis scriptoribus magno consensu hoc Sibyllinum carmen.

Lactantius libro 4 cap: 27

Sibyllinũ de cruce Christi vaticinium

Ex libro 6 oraculorum

O lignum fælix, in quo Deus ipse pependit.

Sozomenus libro 2 cap: 1
Tripart: hist: lib. 2 cap: 13
Nicepho: lib: 8 cap 29
Eutropius rerum Romano: libro 11 in Constantino
Ruffinus hist: lib: 2 cap: 29

Refert quoq; Ruffinus, signum hoc nostrum Dominicæ Crucis, inter has quas dicũt ἱεράτικάς id est, sacerdotales literas referri ab Ægyptiis. Cuius literæ seu vocabuli hanc esse asserũt interprætationem: Vita ventura. Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum gestarum cõuertebantur ad fidem, ita sibi ab antiquis traditum, quòd hæc quæ nunc coluntur, tam diu starent, quàm diu viderent signum istud venisse, in quo esset vita: Vnde accidit, vt magis hi qui erant ex Sacerdotibus ministris templorum, ad fidem conuerterentur, quàm illi quos errorum præstigiæ & deceptionum machinæ delectabant. Hucusq; Ruffinus.

Cap VII

Ligni crucis Christi origo
Vicentius Bellucensis Speculi hist: lib: 3 cap: 84
Historia Scolastica in lib: 3 Reg: cap: 10
Dionisius Cartus: in cap: 5 Ioannis
Probaticæ Piscinæ Ierosolymis tradita origo
Ioann: 5 ℣ 2

Quoad tertium punctum initio propositum. Materiam ligni crucis cum mysterio & virtute illius quidam adæquantes, eius fatalem originem inquirunt. Et adducunt aliquos non obscuri nominis scriptores, Reginam Sabam præmonuisse Salomonẽ, à se præuisum fuisse quoddam lignũ, siue in saltu Libani, siue in ponte torrentis Cedron (nam in hoc variat asserta illa historia) in quo aliquando esset suspendendus & moriturus, qui Salomonem sapientia & dignitate longè antecelleret. Propterea Salomonem præsagio illo motũ, lignum illud altissimè in terrã defodisse; in quo loco postmodum, facta esset piscina probatica, quæ virtute illius ligni, tantã vt Euangilica testatur historia sanandi potestatem obtineret. Exinde verò post multas annorũ Centurias, lignum illud spõtè enatasse, quod Iudæi asseruantes cruci Christi accomodarent. Quæ traditio si esset certa, conueniret cum illa figura, quando impius Aman odio in Mardochæum fidelem flagrans, lignum sublime, longiori tempore & apparatu exquisitum in domo sua asseruasse scribitur, cui tandem fauore

Mardochæus exprimebat Christi ex morte triumphum
Ester cap: 7 ℣ 9

fauore Regis Assueri, Mardochæum populo spectabiliorem affigeret: in quo tamen, diuino consilio, ipsemet tandem affixus esset. Sed istam traditionẽ recentiorẽ & sine fundamẽto, contẽplationi potiùs quàm assertioni relinquẽtes: certiùs conijcimus. Pilati milites lignum crucis Christi ex cõmunibus ad suplicia præparatis adhibuisse, vt passio Christi non ex ligno, sed lignũ ex passione, & attactu corporis Dominici, dignitatem & virtutẽ acciperet. Quod confirmat certior historia inuentionis S. Crucis, tres nimirum Christi & duorum latronum cruces in terra à Iudæis absconditas, nullo materiæ, vel formæ, sed solius miraculi indicio fuisse discretas seu recognitas. Ex eadem ratione cõmentum potius quàm documentum est, quòd alii putent, crucem Saluatoris, ex precipuis quatuor lignis fuisse studiosè compactam, nimirum ex Cedro, Cypresso, Palma, & Oliua. De vnico siquidem ligno loquitur passim scriptura diuina, quod secundùm Gregorium Nazianzenum & Cyprianum, ex vnico stipite exurgens, furcatis veluti ramis, corpus Dominicum ad producendum fructum mundo salutarem, extenderet. Similiter quoad formam, aliqui lignum Crucis quatuor partibus & peculiaribus lignis constitisse autumant, primo in altum porrecto quod corpus contineret, altero transuerso, quod extensa brachia exciperet; tertio, cui veluti substaculo, pedes insisterẽt; quarto, denique, quòd pro basi in terram defossum, ipsam Crucem sustineret. Sed simplex fuisse lignum, vel saltem ex duobus conpactum, arguit primo figura illa ex litera Tau ✝ superiùs explicata: deinde quòd historia Euangelica id propriè Crucem vocat, quod Christus in humeris gestasset, & quod sustinẽdo eius corpori sufficeret: Basis quæ ex saxo constare poterat, & alia si quæ erant crucifixionis adminicula (sicut & reliqua passionis instrumenta) obtinuerunt quidem suam quoque ex contactu sanguinis Christi venerationem, sed non propriam ipsius Crucis denominationem, & mysticam virtutem. De situ etiam corporis crucifixi & numero clauorum, quia scriptura non exprimit, diuersæ subsecutæ fuerũt coniecturæ. Aliqui, inter quos est Gregorius Nazianzenus, & Ambrosius, trium tantùm clauorum meminerunt. Et hoc recepisse videtur reliqua Christianorum posteritas, dum simulachrum crucifixi Domini, tribus duntaxat clauis exprimit, quorum duo brachia, tertius vtrumque pedem configeret: fortasse

ligni crucis non ex materia sed ex merito virtus

Historia inuentionis S. Crucis festo ab Ecclesia approbata

Ligni crucis forma

Nazian: in Tragedia Christus patiens.
Cypr: in Carmine de Cruce

Crux Christi propriè quæ, ab aliis instrumentis passionis eius distincta

Crucifixionis Christi modus & clauorum numerus

Nazianzenus loco citato.
Ambrosius de obitu Theodosii
Ruffinus lib. 10. hist: cap 1
Hist: Tripart lib: 2

taſſe ea etiam ratione, quòd talis pedum connexio honeſtiorem corporis Chriſti compoſitionem repræſentaret. Tamen antiquiores præſertim apud Græcos picturæ, quatuor confixiones ſingularum manuum & pedum exhibent. Nec ſine magna ratione, & firmo antiquitatis teſtimonio. Rationem ipſe vſus ex experientia prodit: quando in ligneo crucifixi ſimulachro difficulter clauus adeo accomodus adaptatur, qui pedem vtrumq; quàuis prius terebratum, & ſimul lignum crucis ritè penetraret, & corpus firmiter ſuſtineret: quod in viuo corpore multò difficilius fieri potuiſſet. Inſinuat etiam B. Irenæus, quatuor clauos Chriſti confixos, quinque ſummitates Crucis Chriſti in myſterio conſtituiſſe. Totidem clauos B. Brigitta Domino fuiſſe infixos in ſuis reuelationibus accepit. Id ipſum arguunt primæ antiquitatis Crucifixi Dñi imagines, in diuerſis Chriſtiani orbis partibus aſſeruatæ, quæ ſeperatam pedum confixionem exhibent. Id ipſum confirmat hiſtoria inuentionis ſanctæ Crucis; quæ refert Helenam Auguſtam clauos circa Crucem repertos quatuor abſtuliſſe: quorum vnum in mare Adriaticum ad ſopiendam eius tempeſtatem, alioqui nauigantibus implacabilem, proieciſſe, reliquos verò tres Conſtantino Auguſto filio detuliſſe, qui duos quidem fræno equeſtri poſtmodum victoriis memorabili applicaret: tertium verò galeæ ſimiliter Diuino numine victrici adhiberet. Romæ etiam in Eccleſia S. Crucis in Ieruſalem denominata, inter alias Chriſti paſſionis reliquias, aſſeruatur vnus ex eiſdem clauis: cuius nos figuram in ligno excepimus, & hucuſque aſſeruamus: quæ longitudinem quidem medii, craſsitudinem verò minimi, manus digiti, non excedat: quod arguere poteſt, ad continendum in cruce corpus Chriſti pluribus quàm tribus eiuſmodi clauis opus fuiſſe. Siue igitur quatuor, ſiue plures claui fuerint: ſiue fortè in locum alicuius deperditi, aliquis fuiſſet ſubſtitutus: fides (vt loquitur Ambroſius) purgat facinus: cùm nemo fidelium ferrum colat, ſed Chriſti, potiùs paſsionem veneretur & adoret in ferro. Similia verba & alibi habet: quæ noſtri temporis Iconoclaſtis confuſionem afferre debent, dum ſic inquit. Inuenit ergo Helena titulum Crucis: Regem adorauit, non lignum: quia hic gentilis eſt error & vanitas impiorum. Sed adorauit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo. Hæc ille per quam piè & Catholicè. Quarto; de titulo eiuſdem Crucis,

Quatuor clauorum Chriſto applicatorum ratio

Ireneus lib: 2 cap: 42

Brigitta Reuelationum lib: 1 cap: 10, 4

Ruffinus lib: 1 cap: 8

Zonar: 3 parte Annalium

Gregorius Turonen: de gloria matyrum cap: 6

Clauorum crucis per Helenam inuentorum diſpoſitio.

Claui crucifixionis Chriſti Romę aſſeruati forma

Clauorum non numerus vel materia. ſed religio conſideranda

Ambroſius in exhortatione ad virgines Et in oratione in funere Theodoſii

Cap: cis, aliqua amplius ſunt cõſideranda. Primo quidem rectè hic VIII cõuenit titulus, qui latinis dictus eſt à tuendo, quod rem ſubiectam ab aliqua falſitate tueatur. Quando enim Pilatus non præualuit Chriſtum à morte, liberare ſaltem mortis innocentiam, contra inſtantes Iudæorum calumnias & improperationes etiam in Cruce factas, titulo volebat conteſtari: quod ſatis oſtendit illis verbis: *Quod ſcripſi, ſcripſi:* Quod atteſtatur Chryſoſtomus ſic ſcribens: Scripſit autem & titulum Pilatus, tùm vt Iudæos vlciſceretur, tum vt Chriſtum excuſaret. Nam cum tanquam prauum tradidiſſent, & ſententiam hanc latronum ſocietate confirmare vellent, ne quis iam turpem mortis notam iniurere, & tanquam malum & perditum accuſare poſſet, vt calumniantium os obſtrueret, in Regem ſuum inſurrexiſſe denuntiat, & tanquam trophæo cuipiam literas inſculpſit, clara voce & victoriam, & regnum profitentes quamuis non perfectè. Hæc ille. Hac ratione Matthæus & Marcus, iſtum titulum vocant cauſam: quòd nimirum mortis rationem breuiter lectoribus indicet. Mos enim erat nationibus, præſertim Romanis, ſupplicio affectis cauſam mortis in tabellis appendere: quod etiam num in pleriſq; locis ſeruatur. Sicut apud nos grauiori ſupplicio affectis ſolẽt appẽdi res illæ quæ ex crimine mortem intuliſſent. Verba autem tituli erãt ſic expreſſa, ſicut illa refert oculatus teſtis B. Ioannes: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorũ:* Cæteri enim Euãgeliſtę ſenſum potiùs quam verborũ ſeriẽ exprimere ſtuduerũt. Deſcriptio autẽ facta erat in tabella lignea, nõ per ſcripturã ſed per ſculpturã, quo myſterio ſignatur primo ſtabilitas regni Chriſti: deinde ne Iudæi (vt apud Pilatum expetebant) immutaſſent eundem titulum atq; peruertiſſent. Quod Spiritus Dei præcaueret in inſcriptione Pſalmi 56. 57. & 58. quos Pſalmos de Paſſione Domini intelligi aſſeuerat D. Ambroſius. Iſti autem tunc habent titulum. *Ne corrumpas tituli inſcriptionem.* De quo Auguſtinus ſuper eadem verba Pilati; *Quod ſcripſi ſcripſi:* O ineffabilem (inquit) vim Diuinę operationis, etiam in cordibus ignorantium. Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, ſi dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, quod tantò ante in Pſalmorum literis prophetatum eſt: *Ne corrumpas tituli inſcriptionem?* Ecce tituli inſcriptionem non corrumpit, *quod ſcripſit ſcripſit.* Sic ille. Quod autem tribus linguis titulus iſte fuerit inſcriptus; prima ratio dari poteſt ex

Tituli Etymon quomodo Chriſto crucifixo quadrat

Ioan: 19 ỷ 22
Chryſoſt: homel. 48 in Ioan:
Auguſt: tract: 117 in Ioan:

Titulus Chriſti quomodo cauſa
Matt: 27 ỷ 37
Marci 15 ỷ 26

Tituli Chriſti verba, ſeries & forma
Ioan: 19 ỷ 21

Tituli Chriſti immutatio à Dauide præmunita.
Ambroſ: in eoſdẽ pſalmos
Auguſt: tract: 117. in Ioan:

Titulus Chriſti tribus primariis linguis ſcriptus quo myſterio

Chrisost: homei: 54 in Ioan:

test ex Chrysostomo: vt variæ nationes quæ ad solennitatem Paschalem Ierosolimam, confluere solebant, causam mortis Christi intelligerent. Deinde magno mysterio illud diuinitùs fuit præuisum, vt nimirum Regnum Christi eiusq; lex Euangelica, per potissimas totius mundi partes, nationes, & linguas, mundo innotesceret vniuerso: siquidem tunc secundùm Augustinum,

August: tract: 117 in Ioann:

excellebant, Iudæi quidem lege & religione; Græci sapientia: Latini autem potentia & imperio. Et postmodum diuinitus euenisset,

Lex Diuina tribus linguis tradita

vt lex Euangelica tribus tantum istis linguis promulgaretur. Sicut enim Mattheũ Hæbraicè in Iudæa, Lucam & Ioannem Græcè in Græcia & Asia, Euangelium conscriptum fuisse

Marci Euangelium Romæ æditũ aliqui tradunt Richardus in cõfutatione Alcorani cap: 5. Armæcanus lib: 9. de quæstionibus Armenorũ Petrus de natalib: Iacobus de Voragine Serm: de S. Marco Vide Genebrardum Parisien. in Chonograph: ætate 7

constat: ita Marcum Romę à S. Petro Euangelium dictatum edidisse, magno consensu plurimi graues authores tradiderunt: cuius Architypus Venetiis hucusq; asseruari traditur. Inde etiam factum fuit; vt Lyturgiæ Missarum istis potissimum linguis ab Apostolis, eorumq; successoribus fuissẽt traditæ: quas nos etiam suo loco [b] recensuimus. Ordinis etiam ratio dari potest: primo positas fuisse literas Hebræas: quia dicente ipso Domino: *Salus ex Iudæis est: & incipiendo ab Ierusalem, oportebat per orbem vniuersum diffundi Euangelium.* Subsecuta fuit inscriptio Græca: quia Ierosolymis primum Antiochiam & in Græciam ad nobilissimas illas Asiæ Ecclesias Euangelium fuit trãslatum. Latinæ autem literæ infra Græcas positæ, & capiti Christi proximæ, signabant Ecclesiam Occidentalem, quæ in primatu potissimum Romano complementum Regni Christi esset acquisitura. Ista omnia quæ diximus confirmant reliquiæ eiusdem tituli in Ecclesia S. Crucis Romæ asseruati. Vbi & illud notandum est, literas Græcas & Latinas, non minùs quam Hæbraicas inuerso ordine à dextra ad sinistram fuisse reflexas: vt insinuetur legem à Iudæis ingratis in gentiles esse transituram.

b Christologiæ 2 partis Serm: 11. cap: 17

Tituli crucis singulorum uerborum mysteria

Postremo singula tituli verba non carent suis mysteriis. Iesus enim nomen proprium personæ Christi sonat Saluatorem, prout Angelus exponit: *quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quod opus quia proprium erat diuinitati, iuxta illud. *Ipse Deus veniet, & saluabit nos*: propterea istud nomen ex cælo vtiq; depromptum, designabat etiam eius Diuinitatem: vt in priori parte tractationis istius de Christo ostendimus. Iam verò humanitati quoque rite conuenit: quia sicut *in cælo os Domini illud nominauit:* sic in terra os humanum illud

Matt: 1 ℣ 21
Iesus quale nomen Isa: 35 ℣ 4
Christologiæ 1. partis Serm: 15 cap: 5.
Isaiæ 62 ℣ 2
Lucæ 2 ℣ 21

ex lege indidit, circa ipsam circũcisionem, in qua primam profusionis sanguinis sui arrham, pro redemptione humana impendisset. Secunda vox tituli est (*Nazarænus*) quod more Romano à Pilato positum est pro agnomine, ex loco nimirum vnde esset secundũ carnẽ oriundus: Quod Euangelista prophetia confirmare voluit: quando dicit Christũ infantem post Herodis persecutionem fuisse in Nazareth delatum, vt cõpleretur prophetia dicens: *quia Nazaræus vocabitur.* Sonat autem ista vox floridum: quod optimo iure Christo conuenit, qui secundum Isaiam *ex radice Iesse, & virga virgine matre flos ascendit*; qui etiam ipse de seipso loquitur. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cuius pulchritudo & odor in animas quoq; fideles & castas deriuatur: dicente Apostolo: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Postrema verba, (*Rex Iudæorum*) à Pilato quidem posita sunt, ad exprimendam causam necis Christi, & quidem iniustæ, sed ex inuidia Iudæorum, in propriam & perhennem eorum contumeliam illatæ. Sed verò & mystico intellectu exprimunt proprietatem atq; excellentiam Regni Christi: qui solium Crucis inter cælum & terram constituerat, vt cælestibus & terrenis dominaretur, *& exaltatus à terra omnia attraheret ad seipsum:* ad cuius Regnum propriè pertineant Iudæi, non secundùm carnem (qui eodem attestãte *dicunt se esse Iudæos, sed non sunt, verùm sunt Synagoga Sathanæ*) sed verè Iudęi, quibus ipse præsit, sunt secundũ spiritum renati, confitentes & iubilantes: quod proprium est in terra verè fidelium, & in cælo beatorum. Christus enim propterea Regnũ terrenũ repudiauit, quia regni cælestis proprius hæres extitit: longè meliori electione quam M. Curius ille Romanus, cui à deuictis Samnitibus oblatã magnã vim auri aspernatus est, dicens: malle se habentibus aurum, quam auro imperare.

Nazarenus quid sonat
Matt: 2 ℣ 23
Isaiæ 11 ℣ 1
Cant: 2 ℣ 1
2 Cor: 2 ℣ 15
Rex Iudęorum titulus Christo competens
Apoc: 3 ℣ 9
Plinius de viris illustribus cap: 33
Valerius Max: lib: 4 cap: 3

Cap: IX.

Crucifixionis Christi processus

Quinto proposueramus considerandum modum & ordinem ipsius crucifixionis: quem Euangelistæ breuitati fortasse studentes õmiserunt: In retexenda tamen pia & lugubri ista memoria, quæ certiora ex aliis colligi poterant, non videntur esse omittenda. Primo igitur quantum ad vestes constat Dominum ante crucifixionem fuisse denudatum. Quod primo quidem conueniebat reparationi delicti Adæ. Sicut enim eius præuaricationem prima prodidit nuditas: sic eius exolutionem decebat, vt cælestis & innocentis Adæ nuditas primo quoq; exciperet. Nudus etiam saluator, cum nudo hoste generis huma-

Denudationis Christi crucifigẽdi mysteria
Gen: 3 ℣ 11

Greg: homel: 32 in Euan:
Ioann: 14 ℣ 30
Gen: 37 ℣ 31
August: Serm: 32 de Tempore

ni congreditur, vt secundum Gregorium non habeat quomodo veste teneatur: cum ipso prędicente, *venerit quidem Princeps huius mundi; sed in se non haberet quicquam.* Expressit etiam figuram Iosephi Patriarchę, qui antequam Ismaelitis ad perdendum traderetur, veste expoliatus fuisse præmittitur. De quo eleganter Augustinus: Iosephum fratres expoliauerunt veste polymita & talari: Iudæi crucifigentes Christum, expoliau[er]unt eum tunica mortali. Sic ille: Ideo beatissimæ matri cruenta filii sui vestimenta recognoscenti, verè conueniunt verba illa ad Iacob dicta: *Vide si tunica Filii tui sit?*

Mariæ in Christi denudatione afflictio
Gen: 9 ℣ 21
August: de Ciuit: lib: 16 cap: 2
Bernardus de passione Domini cap: 4 & 5.

Conferri etiam potest ista denudatio Christi secūdum Augustinum cum opprobrio Noe, à mala posteritate sibi illato, propter quod similiter adulterina Iudæorum generatio perpetuam reprobationem consequeretur. Pulchrè factum istud sic expendit B. Bernardus: Nudatur Iesus: Quare? vt tu corporis purissimi contemplationē valeas intueri. Nudatur ergo bonus Iesum. Heu mihi; Qui vestiuit cęlos diuersis syderibus, ante crucem expoliatus, nudus etiam, vt erat liuidus, cruci affigitur. Et rursus Beatissimam marrem Dei sic alloquitur. Ecce sponsus tuus ó sponsa, rubricatur in sudore, in flagellatione, in crucifixione. Eleua mentis oculos & vide, *si tunica sponsi tui hæc sit, an non? Ecce fera pessima condemnauit filium tuum*, fratrem tuum: sponsum tuum. Quis hic gemitus lachrymasq; contineat? quis hoc non doleat? Quia si est pium gaudere pio Iesu, ita pium est flere pium Iesu, Hactenus ille.

Gen: 37 ℣ 33

Crucifixionis Christi atrocitas & modus

Porro crucifixionis crudelitatē qua vsi fuerunt in tam sæua supplicii genere milites, eiusq; exaggerationes veluti ex priuatis traditionibus profectas, priuatæ etiam contemplationi relinquamus. Modus tamen Christi in cruce exaltati omittendus non est: quem Doctores sacri tripliciter factum fuisse coniiciunt. [b] Aliqui putant crucem ipsam prius fuisse eleuatam, & in basi sua firmatam: deinde tabularum vtrinque applicatarum adminiculo, crucifixionem fuisse peractam. [c] Alii idē dicunt, sed tabulati ex asseribus adstructi cōscensu rem expeditā quadā reuelatione tradunt. Probabilior ratio videtur eorum, [d] qui cōiiciunt, Cruci in terra prostratę Dn̄um fuisse cōfixū: & deinde in sublime eleuatū. Corpus en̄ hominis viui cruci applicare, clauis transuerberare, & ligno solida firmitate cōfigere, opus profectò in terræ superficie arduū est, quod scalis vel tabulatis, non sic facile confici posse videatur. Magis etiam hic modus

b Gregor: Nazian in Tragœd: Christus patiens
Bonauen: in Fasciculo cap: 3
c Brigita in reuelationibus
d Antonius 1 parte hist: titulo 5 cap: 6 ex Hieron:
Anselmus libro de passione

modus conuenit verbis ipsius Domini, quando se à terra exaltandum (vtiq; iam crucifixum) aliquoties prædicit: præsertim ad similitudinem serpentis in deserto exaltati, quem prius ligno impositum, deinde verò in sublime elatum fuisse, vsus hominum arguit. Postremo quoad sextū punctū. Dn̄us noster sic exaltatus, apparuit in ara reconciliationis perpetuus sacerdos seu Pontifex: non solum in solio inter cælum & terram constituto, cæli & terræ Rex & Dominus, qui passione sua *fecisset vtraq; ista unum:* sed etiam ex adem Cathedra crucis, factus est magister & consum̄ator disciplinæ nostræ. Quod S. Bernardus sic expendit. Exaltato in cruce Domino, perforantur manus & pedes. Veri optimi benignissimi Iesu elicitur sanguis, si quis supererat. Stat mediator noster in conspectu Patris sui in cōfractione, vt auertat iram eius, ne disperdat nos. Verè non cadit mente: stat cōstanter etiam perseuerantia bonæ voluntatis. Augustinus autem. Lignum illud (inquit) vbi erant fixa membra morientis, etiam Cathedra fuit magistri docentis. Idem alibi: Non frustra (inquit) tale genus mortis elegit, nisi in eo quoq; latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magister existeret &c. Vbi verba ista Apostoli cruci Christi latiùs accomodat. Quod ex B. Hieronymo breuius sic apponimus. Hoc loco (inquit ille) figuratur salus per lignum: primum lignum scientiæ boni, & mali fuit, secundum lignum boni tantum nobis & vitæ lignum est. Extensio manus primæ ad lignum, mortem appræhendit: extensio autem secundæ, vitam quæ perierat inuenit. Ligno hoc vehimur per mare vndosum ad terram viuentiū. Cruce enim sua Christus cruciatum nostrum absoluit, & morte sua mortem nostram necauit. Cum forma serpentis serpentem necat: quia à serpente de virga facto, alii absorbentur serpentes. Ipsa autem species Crucis quid est, nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulget: Arctos dextram tenet: Auster læua cōsistit: Occidens sub plantis firmatur. Vnde Apostolus: *Vt sciamus quæ sit & altitudo, latitudo, longitudo, & profundum.* Aues quando volant ad æthera, formam crucis sumunt: homo natans per aquas, forma crucis vehitur. Nauis marina antenna cruci similata sufflatur. Tau litera signum salutis & crucis describitur. Hæc ille.

Ioan: 3 ℣ 14 cap: 8 ℣ 28 cap: 12 ℣ 32
Christi cruci affixi mysteria vt esset mediator: redemptor & magister
Bernardus de passione Domini cap: 5
August: tract: 119 in Ioan: & de gratia noui testamēti cap: 26 in epist: 120.
Ephes: 3 ℣ 28
Hieron: in cap: Marci 15
Crux vniuersi formam reprælētat
Ezech: 9 ℣ 4

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt.

Lucæ 22

Ecce quod proximè diximus, Christus officium suum triplex insigniter

signiter

Christus in aditu crucis, regem, Pontificem, & magistrũ sese comprobat

Psal: 93 ℣ 1

3 Reg: 2 ℣ 5, 9

Cap: X.

signiter exequitur. Regem sese ostendit, qui magnanimitate ductus, militibus etiam in se delinquentibus parcit, & *Deus vltionum* (secundum Psalmistam) *liberè agens*, vindictam in patrocinium conuertit: diuersa sanè clementia solium regni instituens, quàm progenitor suus Dauid, qui inimicis in vita toleratis, in morte tandem non pepercisset. Pontificem & Mediatorem agit, quando pro sceleratissimis etiam suis homicidis intercedit. Magistrum sese exhibet, quando dogmata ex Cathedra crucis exorditur à patientia, in qua tanquam reliquarum virtutum basi *animas docuisset esse possidendas*. Interpellabat quondam Moyses Dominum pro populo suo præuaricante ad interitum destinato dicens: *Aut dimitte illis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ecce Moyses noster, cùm non potuisset deleri de libro Dei Patris tanquam vnigenitus Filius, deleri eligit ex terra mortalium, vt populus suus saluetur. Quod disertè prædixerat Isaias, dicens: *Ipse peccata multorum tulit: & pro transgressoribus rogauit. Exauditus autem fuit pro sua reuerentia.* Dicit enim Glossa ordinaria ex historia Euangelii Nazaræorum, ad hanc Christi vocem, multitudinem Iudæorum circa crucem astãtium compunctam in Christum credidisse. Quod non minus de latrone in cruce, centurione, plebe Iudæorum percutiente pectora sua, & ad vocẽ Petri postmodum pœnitente & conuersa, intelligere possumus: & de ipso deniq; Saulo, (secundũ Chrysostomũ) idipsum dici potest. Deinde oratio ista obtinuit, vt ista perfectio ex capite in mẽbra etiã Christi præcipua martyres deriuaretur, qui similiter pro suis interfectoribus exorarent: quod quidem incipiendo à Beato protomartyre Stephano, tum etiam Iacobo vtroq;, & Paulo Apostolis, in multis aliis Martyribus præstitum fuit, sed etiam ab aliis in Christum credentibus. Quod enim à natura viciata impossibile esset inimicos diligere, eisq; pro malo bonum reddere, hoc illis præstitit meritum & exoratio Christi capitis, vt sicut alia eius præcepta, sic & istud *præstare possint in eo qui eos confortet.* Si enim (inquit B. Chrysostomus) erat impossibile imitari, nec Paulus diceret. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Si non vis Dominum imitari, saltem Paulum Apostolum imitare, qui Dominum imitatus est. Hæc ille. Quando autem addit Dominus: *Nesciunt enim quid faciunt*, ostendit pro quibus propriè exorauerit. Sermo enim est de iis qui crucifixum inter duos latrones col-

Lucæ 21 ℣ 18

Exod: 32 ℣ 32

Christi oratio in cruce quam efficax

Isaiæ 53 ℣ 12

Hebr: 5 ℣ 7

Chrysost: homel: de cruce & latrone

Imitandus est Christus saltem in suis Sanctis

Philip: 4 ℣ 13

Philip: 3 ℣ 17

Chrysost: homel: de cruce & latrone.

Ignorantibus verè proderat deprecatio Christi, ergo nõ Iudæis

nes collocauerunt: quod Iudæi non fecerunt, quibus non licuerit interficere quenquam; & qui in Parasceuæ Paschæ, pollutionem sanguinis deuitarent. Fecerunt ergo id milites Pilati, vtiq; gentiles: quibus verè ignorantia imputari potuit. Secus autem Iudæis; quia secundum Psalmistam: *Notus in Iudæa Deus*: & testante ipso Domino, *Iudæi sciebant quid adorarent*: secus Samaritani vel gentiles. Et ipsorum consilium diu deliberatum satis prodit, eos ex malitia seu inuidia (vt testatur Pilatus) Christum tradidisse, quòd Filium Dei non solùm dictis, sed & factis sese exhibuisset. Contra tales igitur in Spiritum sanctum peccantes, induratos & obstinatos, cum eorum Duce Iuda, diuersam Christi orationẽ describit Dauid per totum fere Psalmum centesimum octauum. Talibus autem duntaxat patrocinabatur intercessio Christi; qui ignorantia tali tenebantur, de quali dicit Apostolus, *Misericordiam Dei consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate.* De talibus etiam intelligit, quando sic scribit: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Nunquid enim (scribit Bernardus) ignorabant se crucifigere eum, quem crucifigebant? Nequaquam. Sed quis esset ille quem occidebant, ignorabant. Hæc ille. Quia tamen B. Petrus aliquam etiam ignorantiam attribuit Iudæis eorumq; principibus mortem Domini sollicitantibus, intelligendum est de iis, qui suscepta prædicatione Apostolorum, crimen suum emendare studuissent. Propterea quidam dicunt, eandem Christi deprecationem, inducias quadraginta annorum ante vastationem Ierosolymæ & Iudaicam dispersionem obtinuisse.

Psal: 75 ℣ 1

Ioan: 4. ℣ 22

Matt: 27 ℣ 18

Psal 108 querelã Christi continet

Iudæorum ignorantia cur inexcusabilis

1 Timoth: 1 ℣ 13

1 Corint: 2 ℣ 8

Bernar: de passione Domini cap: 2

Act: 3 ℣ 17

Ierosolymæ excidium oratione Christi protractũ

Milites ergo cũ crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem) & tunicam. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes super eis, quis quid tolleret. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens, per Prophetam dicentem: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Matt: 27

Marci 15.

Lucæ 23

Ioan: 19

Cap: XI

Vestimenta duobus latronibus non leguntur fuisse subtracta: vt sicut in aliis omnibus, in hoc etiam soli Christo relinqueretur mysterium. Primò enim sicut ratio redemptionis requirebat (vt paulò ante diximus) vt nudi hominis culpam nudus redemptor expiaret: sic æquum erat vt agnus, antequam occideretur, vellus occi-

Spoliationis Christi ante passionẽ mysterium

Gen: 3. ℣ 11, 21

occisoribus redderet, & eius ignominiam præuaricatione contractam, talibus exuuiis rependeret. Ex ista autem narratione colligitur, crucifixores Christi fuisse quatuor: cum vnicuiq; vna vestis pars cessisse memoretur. Quod vel ipsa ratio dictat: vt tres quidem milites, brachia & pedes Christi in cruce distenderent: quartus verò clauis configeret. Nec sine causa, in eo qui vnicam vestem suis imperaret, duplex vestimentum in ipso agone exprimitur: vt (quemadmodum insinuat Eutymius) vestis quidem diuisa, humanitatē morte quoq; diuisam, tunica autē inconsutilis sorti exposita, Diuinitatis immortalitatem, sorte quadam gratię requirendam, consignaret: qualis sortis experientia contraria in pœnitente latrone & Iuda reprobo constaret. Differentia autem vestis & tunicæ: primò secundum literā ea dignoscitur: quòd vestis superior, more solitò, ex partibus aliquot, humanæ staturę fuit accommodata: tunica verò quæ arctiùs ipsum corpus complecteretur, absq; vlla sutura fuerit opere textorio contecta, sic tamen vt propter maiorem firmitatem fuerit quoq; interiùs subducta: vt sentit Theophylactus. Quod opus Mariæ matris fuisse proprium, non ineptè Eutymius conijcit: quæ in typo mulieris fortis à Salomone præuisa fuiset ad tale opus, quo domesticos suos, singulariter autem vnigenitum filium, duplicibus conuestiret. Nec absurdum est, quod communiter traditur, vestem illam adhuc puero factā cum ipso subinde adoleuisse: & acreuisse: cū illud ipsum Verbū æternū effecerit, ne vestimenta filiorum Israël pluribus añis in peregrinatione deserti attererentur, aut veterascerent: & Discipulos suos (sicut ipse testatur) quoties sine pera & vestimētis ad euangelizandum emitteret, nihil tamen necessariorum eis defuisset: & qui circa mortem spoliatus, in gloriosa resurrectione, nullo humano apparatu vestimenta alia resumpsisset. Mystico etiam sensu, vestis Domini in quatuor partes distracta, potest denotare Synagogam per omnes quatuor orbis plagas in dispersione Iudaica distrahendam: sicut è conuerso tunica inconsutilis & desuper, hoc est cælitus secundum Chrysostomum contexta, præsignabat Ecclesiam charitate & vnitate indiuisibili connexam. Cuius rei typus præcessit in Regno post Salomonem relicto, cuius pars in Iuda integra permansit, in Israel autem propter idololatriam, in varias partes scissum est: Achia Propheta per scissurā pallii sui idipsum prænunciante. Vn-

de re-

Gen: 3 ℣ 21.
Crucifixorum Christi numerus & vestium mysteria
August: tract: 118
Matt: 10 ℣ 10
Eutymius in hunc locum
vestis & tunicæ Christi differētia & mysterium
Theophilactus in hunc locum
Euthymius ibidē in Matt:
Prouer: 31 ℣ 13. 21
Deut: 8 ℣ 4
Lucæ 22 ℣ 35
Chrysost: homel: 84 in Ioan: & tract: 118 in Ioan:
3 Reg: 11 ℣ 31

de rectè B. Cyprianus & Augustinus, Hæreticos, præsertim Arianos, impietate superare asserit illos carnifices Christum dilaniantes, qui discissa veste consuta, tunicæ tamen inconsutili pepercissent: Isti autem Ecclesiam Christi sanguine partam, in sectas quasq; dissectissimas distrahunt & dilaniant. Sic Diuo b Petro Alexandriono Episcopo Christus apparuisse scribitur veste discissa: cum ista querela, quòd Arius primo suo schismate ad eum modum Ecclesiam suam conscidisset. Istud autem factum longè ante à Dauide in persona Christi fuisse prænunciatum, attestatur B. Ioannes sic subiiciens: *Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & super vestem meam miserunt sortem: & milites quidem hæc fecerunt.*

Et sedentes seruabant eum. Erat autē hora tertia, & crucifixerūt eū. Hoc de militibus & magistratu assistente propriè intelligendum est. Scribit enī Petronius, morem fuisse Romanis, supplicio affectos obseruare, donec pœnam morte complerent. Accessit etiam sine dubio isti custodiæ studium Iudæorum, qui secundum Originem verebantur, ne aliqua ope, vel propria virture, extremum supplicium mortis Dominus euaderet: quod etiam vicino iam morti Domino improperabant. *Reliqua etiam plebs expectabat finem*, vt (quod & subsecutum fuit) aliqui morte extrema scandalizarentur, aliqui verò expensis tot prodigiis, resipiscendo pœniterent. Porrò ambiguitatem de hora crucifixionis, quam verba S. Marci inferre videntur supra conciliauimus.

Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de cruce: Si Filius Dei es, descende de cruce. Et stabat populus expectans. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes ad alterutrum cum Scribis & Senioribus dicebant. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Christus Rex Israel est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus ei: se saluum faciat, si hic Christus est Dei electus. Confidit in Deo, liberet nunc eū, si vult. Dixit enim, Quia Filius Dei sum.

Cap: X. Quoniam primus Adam peccauerat, non solum transgressione præcepti, sed etiam Diuinitatis vsurpatione: propterea non solùm sententiā mortis excepit, sed etiam illusionem illam: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis sciens bonum & malum.* Hoc exoluens secundus Adam cælestis, non satis habet subire tormenta, sed

etiam

Tunicam Christi Ecclesiam scindētes hæretici plusquam carnifices
Cyprian: de vnitate Ecclesiæ
August: in Psal: 21 & in Ioann: tract: 13 & 118 de quinq; hæresibus cap: 6.
Epist: 171 & 203
In vita Petri Alexandrini
Ioan: 19 ℣ 24
Psal: 21 ℣ 19
Matt: 27
Marci 15 ℣ 25
Petronius Arbitor seu Poeta in histo: fabul:
Origenes tract: 35 in Matt:
Lucæ 23 ℣ 34
Serm: 2 cap: 23
Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23.
Illusionis & blasphemiarum in Christū crucifixum mysteria
Gen: 3 ℣ 22

etiam eorum improperia circa ipſam etiam mortem ſuſtine-
re. Complent autem Iudæi ſuam in Chriſtum rabiem, vt
crucifixionem quam linguis coram Pilato inchoaſſent, linguis
etiam num perficiant. Ingenui enim hominis eſt, plagas potiùs
quam improperia perferre. Quod etiã inſinuauit Pſalmiſta his
Pſal: 119 ℣ 3 Pſal: 68 ℣ 27 — verbis: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sa-
gittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorys. Et alibi: Quoniam quem
tu percuſsiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addide-*
Iudæorum omes ſtatus Chriſtum crucifigunt Malach: 3 ℣ 9 — *runt.* Verè autem linguis *configunt Dominum gens tota:* quando in
omnibus hominum ſtatibus improperant Domino: ex Magiſtratu
Principes Synagogæ, & ſeniores populi: Scribæ & Phariſæi: De-
inde populus ſeu plebis cõmunitas: tertio prætereuntes: & qui-
cunq; aduenæ etiam ſpectatores: quartò milites, ſeu carnifices:
Improperiũ in Chriſtum crucifixum triplex — quintò aſſociati cõtumelioſæ paſſioni latrones. Triplex autem
improperium patienti & pacientiſſimo Domino infligunt: Pri-
mum dicendo: *Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædi-*
Chriſtus in cruce quomodo deſtruebat templum & reedificabat Ioann: 2 ℣ 19 — *ficas illud.* Sed falſum & iniquum inferunt improperium. Quia
Dominus verè tunc deſtrui tunc permittebat, in veritate quidem
templum corporis ſui per mortem ab illis ſibi illatam, in myſte-
rio autem, eorum Synagogam cuius velum propterea ſcindeba-
tur. Eccleſiam autem ſponſam ex coſta lateris ſui ædificabat,
poſt triduum reſurrectionis ſuo modo producendam. Secundò
Chriſtus vere Saluator innocens nocentes saluans — inferunt. *Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluare non poteſt.* Quin potius ô
peruerſitas Iudaica (ſecundum Bedam) qui alios ſaluos fecit,
potuit ſeipſum ſaluare. Sed hoc eſt opus veri Saluatoris, eum qui
ipſe innocens & potens eſſet, nocentes & pereuntes ſaluare, iux-
Iſaiæ 35 ℣ 4 Iſaiæ 53 ℣ 4 &c. — ta illud Prophetæ: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos:* Et rurſus *Vere lan-
guores noſtros ipſe tulit, & iniquitates noſtras ipſe portauit Vulneratus eſt
propter iniquitates noſtras: attritus eſt ptopter ſcelera noſtra, &c. Poſuit
Dominus in eo iniqnitates omnium noſtrum.* Hæc ibi. Non potuit igi-
tur, ſicut nec debuit, ſeipſum ſaluare, qui innocens venit nocen
tes liberare. Iſtam calumniam ante hac ſimili obiectione Domi-
Chriſtus medicus non ſeipſum ſed alios curans Lucæ 4 ℣ 23 — nus depulerat; per illud prouerbium: *Medice, cura te ipſum.* Siqui-
dem Medicus ſibiipſi non ſoleat mederi; non quòd aliquando
neſciat, aut non poſsit: ſed quia tunc non Medici, ſed pacientis
conditionem ſuſtineat. Tertiũ improperiũ Chriſto ſic inferunt.
*Si Filius Dei eſt, vel ſi Rex Iudæorum eſt, deſcendat nunc de cruce, & cre-
demus ei.* Prioris iſtius illationis ratio erat, quia abſurdum illis
incredulis

incredulis omninò videbatur, Deum quamuis filium hominis fa-
ctum, poſſe mori. Quod etiam plebs ipſa Iudæorum Domino o-
biiciebat dicens: *Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æter-* — Ioann: 12 ℣ 34
*num: Tu autem dicis: oportet exaltari Filium hominis. Quis ergo iſte eſt Fi-
lius hominis?* Alterius obiecti ſeu exprobrationis occaſionem, ſe-
cundùm Eutymium accipiebant, ex titulo cruci per Pilatum ſu- — Eutymius in hunc locum
perpoſito. Si enim Rex Iudæorum, quomodo in cruce latroni-
bus ſocius? Si inter latrones diro ſupplicio addictus, quomodo
poteſt eſſe Rex? Sed ſatis iſtud Dominus declarauerat coram
Pilato: Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo terrenum, ac tem
porale: ſed pro ſaluando hoc mundo æternum atq; cæleſte: quod
per mortem morte, deuicta vitam, regni perhennis credentibus — Improperia Iudæorum in Chriſtum ex diabolo deprompta
veritati reſtitueret. Videte autem chariſſimi, ſi non voces iſtæ
ſunt Patris & magiſtri illorum tentatoris illius infernalis? Ille e-
nim dicebat Saluatori noſtro: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti pa-* — Matt: 4 ℣ 3
nes fiant: Iſti autem dicunt: *Confidit in Deo, liberet nunc eum ſi vult.* — Matt: 27 ℣ 43
Dixit enim: quia filius Dei ſum. Quæ vox impiorum prædicta fuit — Sap: 2 ℣ 18
Spiritu Dei per Salomonem: ſimilibus veibis: *Si enim eſt verè fi-
lius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum* Et rur
ſus per patrem Salomonis Dauidem: *Sperauit in Domino, eripiat e-*
um: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Quam prophetiam cæci — Pſal: 21 ℣ 9
homines contra ſeipſos adductam, malicioſè traxerunt in con-
ditionem: pro eò quod dictum eſt, *quoniam vult enm;* inuertentes
ſi vult. Deinde dicebat Domino diabolus: *Si filius Dei es, mitte te* — Iudæi Chriſto illuſores
deorſum. Iſti qui ſunt ex patre eius imitantes illum dicunt: Si Filius Dei eſt, — Matt: 4 ℣ 6: 9
deſcendat de cruce. Deniq; Sathanas auſus erat Filio Dei dicere: *Da-
bo tibi omnia regna mundi, ſi proſtratus adoraueris me.* Iſti etiam præ-
ſumunt eidem improperare. *Si Rex Iudæorum eſt, deſcendat nunc de* — Ioan: 11 ℣ 42
cruce, & credemus (hoc eſt ſubiiciemur) *ei,* Sed ô *filii Belial, hoc eſt
ſine iugo:* Nonne antea dixeratis: *Semen Abrahæ ſumus, nemini ſer-* — Iudicum 19 ℣ 22
uiuimus vnquam? Et hac ipſa die coram Pilato dicente: Ecce Rex — Ioan: 8 ℣ 33
veſter: nonne turmatim inclamaſtis: *Non habemus Regem niſi Cæſa-* — Ioan: 19 ℣ 15
rem? Qui ergo regnum Chriſti tantoperè abdicaſtis, non eſt fas
Regem verum Iſrael ad veſtram Cæſaream ſeruitutem deſcen-
dere: ſed in throno ligni Crucis, regnum æuiternum in paradi-
ſo per lignũ amiſſum inſtaurare. Sicut nec filii Dei eſt deſcẽde-
re de cruce, ſed de cælo: & per vltroneam exinanitionem vſq; ad
mortem crucis per eiuſdẽ crucis ſcalã, credẽtes ad cæliũ erigere.

 Quod

Quod autem promittitis Christo descendenti de Cruce vos credituros, mentimini in caput vestrum. Verissimè enim euenit, quod vobis coram Caypha Dominus suo diuino Spiritu prædixisset: *Si vobis dixero* (quod ego sum Christus) *non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Quod euidentissimè exibuistis, quando suscitationem fætentis iam Lazari non, solum populo, & mundo, sed naturæ ipsi stupendam, vos loco resipiscentiæ, in fraudes & machinationes in necem Domini, in vestro concilio conuertistis, quas & re ipsa perfecistis. Deinde cùm redemptio humana sine morte Christi perfici non potuerit: cur non potiùs sicut in Lazaro, sic in Christo, vitam immortalem per prodigiosam resurrectionem, quam vitam miseram mortalem, per mortis perniciosam euitationem, ad vestram resipiscentiam exquiritis? Fraudulenta igitur est, (inquit Rabanus) vestra ô Pontifices promissio. Maius enim fecit Christus quando resurrexit de sepulchro, nec tamen tunc credidistis ei. Sic ille. Tam absurda ergo, impia, & execranda, quæ Dño tunc obiiciebantur, Euangelistæ merito vocant non solũ improperia, irrisiones & illusiones, sed etiam blasphemias: primo quòd innocẽtissimo Dño iniustum supplicium mortis pacientissimè exoluẽti, iniquissimè irrogabantur. Deinde quòd contumeliæ filii (vt proximè diximus) in Deum etiam ipsum Patrem redundabant, dicente ipso Domino: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Tertio: quòd in Principibus Synagogæ, Scribis & Pharisæis, tanquam legis Diuinæ directoribus, maledicentia in Deum seu Dei Filium, blasphemia reputari debebat: sicut & modò secundum D. Bernardum, nugæ in ore populi, nugæ sunt, in ore autem Sacerdotis, sunt blasphemiæ. Gestu etiam externo vim maledicẽtiæ exprimebant. Motione enim capitis extremum alicuius casum Hebræi sicut & alii populi solebant exprimere: vt videre est apud Iob, & Psalmistam: Quasi motione & vacillatione supremi mẽbri, extrema alicuius calamitas, & quasi capitis diminutio designetur. Istarum contumeliarum Saluatori nostro inferendarum, præcesserunt inter alias istæ solennes prophetiæ. *Omnes* (prædicit Dominus apud Psalmistam) *videntes deriserunt me: locuti sunt labiis* (hoc est linguas nimis laxabant) *& mouerunt caput.* Et alibi: *Tentauerunt me; subsanauerunt me subsanatione: frenduerunt super me dentibus suis.* Et rursus: *Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodierũt animã meã, consiliũ fecerunt in vnum dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.* Addiderunt & istã subsanationem: *Euge euge, viderũt oculi nostri.* Quasi triumphantes, quòd desideratam longe Christi calamitatem & mortem oculis tandem conspicerent.

Lucæ 22 ℣ 67
Ioan: 11 ℣ 47
Rabanus in glossa super hunc locum
Hieron: in in cap 15 Marci
Improperia in Christum rectè dicuntur blasphemiæ
Ioan: 5 ℣ 24
Nugæ in ore sacerdotum sunt blasphemiæ
Bernardus de Cõsideratione libro 2 cap: 13
Iob 16 ℣ 5 cap: 42 ℣ 11:
Psal: 21 ℣ 8
Psal: 43 ℣ 15
Psal: 34 ℣ 16
Psal: 70 ℣. 11

Psal: 34 ℣ 21

Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei: dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23

Cap: XIII Ne in statu vniuersi generis humani aliquid ad Christi contumeliam perferendam, & pro nobis expiandam deesset, inducuntur abiectissima hominum genera, carnifices nimirum, & condemnati latrones, qui tot & tanta Christi improperia concludant. Milites quidem cum satis superq; circa flagellationem Domino illusissent: tamen à Iudæis fortasse mercede conducti, iam cruci affixo & morituro non parcunt. Quòd autem inter improperia S. Lucas aceti potionem Christo oblatam refert, per anticipationem dictum esse videtur: cùm Euangelistæ consentiant, Domino ante ipsam expirationem, ad vocem eius, *Sitio*, acetum fuisse propinatum: Porro quod Matthæus & Marcus scribunt in plurali latrones maledixisse Domino: & Lucas expresè dicat, vnum blasphemasse alterum blasphemiam socii potius increpasse: intelligimus primò cum Hieronymo & aliis, vtrumq; prius Christum blasphemasse; deinde alterum ex illis, tot prodigiis & Christi supra humanam patientia, resipuisse. & per pænitentiam ex latrone & persecutore (quod de seipso quoq; Paulus b profitetur) confessorẽ, & Regni Christi primitiũ euasisse: vt pote qui (vt S. loquitur Cyprianus) confitens non solùm indulgentiam meruit: sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum: & factus particeps regni, per cõfessionem factus est collega martyrij. Sic Cyprianus. Addit ibidem B. Hieronymus: vel per Synecdochem, duos latrones pro vno positos fuisse: seu potiùs (vt placet Augustino & Ambrosio) per Ennallagem, seu transpositionem vel commutationem, fuisse numerum pluralem pro singulari, vel speciem pro indiuiduo, vsurpatam: sicut moris est scripturę, in illo præsertim exemplo, quando scribit Apostolus: *Circuierunt in melotis, &c. obturauerunt ora leonum, &c. secti sunt, &c.* Cum tamen primum de solo Elia, secundũ de solo Daniele, tertium de solo Isaia, propriè intelligatur. Sed maximè quadrat illud: quando Dauidi primus nũcius attulisset, omnes filios suos periisse: cùm postremus

Carnificum & latronum in Christum improperia
An vterq; latro blasphemauerit Christum
Matt: 27 ℣ 44
Marci 15 ℣ 33
Hieron: in Matt: cap: 27
Chrysost: hom: 88 in Matt:
Theophil: Euthymius ibidem
1 Cor: 15 ℣ 9
Cyprianus de passione Christi
Hieron: in Matt:
August: de consensu Euang: lib: 3. caput 6
Ambros: in Luc: hoc loco
Hebr: 11 ℣ 37
2 Reg: 13 ℣ 30

Patientiæ in Chriſto documentum

Iacobi 1 ℣ 4
Lucæ 21 ℣ 19
Chriſoſt: homel: 88 in Matt:

ſtremus declaraſſet, ſolum Amon fuiſſe occiſum. Interim ex tot tantisq́; improperiis & perſecutionibus, quas Dominus in Cruce ſuſtinuiſſet, atq; deuiciſſet, comendatur nobis norma veræ *patientiæ, quæ perfectum opus habeat, & in qua poſsidere poſsimus animas noſtras*. De quo B. Chryſoſtomum ſic diſſerentem audiamus: Hæc igitur omnia (inquit ille) cogitando philoſophare. Quid enim tale ac tantum ferre tu potes, quale Dominus tuus? Publicè te quiſpiam vituperauit? ſed non talia tu audiſti: Verberibus cæſus es? ſed non toto corpore, neq; ſic flagallatus & denudatus. Alapis te quidam petiit? ſed non illo modo. Tu vero etiam adde à quibus, & cur, & quando, & quis ipſe quoq;: & quod grauiùs eſt, nemo illa facta criminabatur, nemo quęrebatur, ſed è contra probabant omnes, & cædentibus ac deridẽtibus ſe coniungebant, & quaſi arrogantem quendam ſeductorem ac deceptorem, qui re verba ſua comprobare non poſſet, ſic deridebãt. Ille verò ad hæc vniuerſa tacebat: maximum nobis longanimitatis præbens exemplum. Nos autem hæc audientes, nec famulos quidem patimur noſtros, ſed magis quam ſylueſtres aſini calcitramus atq; ſalimus, crudeles ac inhumani, ſi quid aduerſus nos dictum vel factum ſit: nullam verò aut paruuam exiſtimationem facientes, ſi hæc in Deum commiſſa ſint. Similiter quoq; aduerſus amicos afficimur. Dolorem quis intulit? ferre non poſſumus: verbis carpſit? omni belua mouemur atrociùs. Et paulò poſt ſic ſubiicit. Sed quomodo (dices) potero non moueri? Vituperando quis te perſequitur? Crucis ſigno ſtatim pectus ſignato: recordare omnium quæ tunc geſta ſunt, & confeſtim omnia extinguuntur: nec quia vituperaret modò aliquis cogita, verumetiam ſi quid boni vnquam ab illo in te profectum eſt, diligenter conſidera, & confeſtim ad clementiam redigeris. Immo verò ante omnia Deum timeas, idq; ſemper tecum verte, quę cogitatio cito te modeſtum ac manſuetum faciet. Præterea à tuis quoq; famulis documentum ſuſcipias, conſideraq́; nonnunquam te vituperante illos ſilere: & hinc intellige, non eſſe hanc philoſophiam difficilem: hoc modo furorem tuum condemnabis, & in ipſo cõtumeliandi tempore, diſces non eſſe contumeliandum, & ſic nec ipſe contumeliis affectus dolebis. Cogita quia non eſt in ſe qui vituperat, ſed inſanit, & non moleſtè feres contumelias eius. Nam & dæmoniaci plerumq; nos verberant, nec ſolùm non mo-

Iracundię frenandæ rationes eiuſ-que noxæ

uemur, verumetiam eos deflemus: Ita igitur etiam tu facito, miſereat te contumeliantis. Magna enim belua ira ſcilicet, & furore pernicioſo, ſcilicet dæmone detinetur: ſolue ipſum qui ab huius modi dæmone vexatur: & ſic inſaniendo, breuiſſimo temporis ſpacio corrumpitur. Huiuſmodi enim hæc ægrotatio eſt, vt non ægeat longo ad perdendum hominem tempore: propterea quidam dicit, momentum furoris eius, caſus eſt ipſi: hoc ipſum videlicet tetrum atq; tyrannicum oſtendens, quia breuiſſimo temporis ſpacio, & ſine aliqua ferè mora, maximo ſolet afficere malo. Nam ſi ad vires eius prolixitas etiam temporis accederet, inſuperabilis hæc pænæ paſſio eſſet. Hactenus Chryſoſtomus. Deinde diſcendum nobis eſt exemplo Chriſti, quòd talis patiẽtia altera virtute perſeuerantiæ conſumatur & coronatur. Non ſufficit omni homini Chriſtiano, abnegato prius temporalium voluptatum ſaltem affectu, Chriſti veſtigiis inſiſtere, & crucem eius tollere, & poſt Chriſtum baiulare, eius probra, incomoda, & dolores tolerare: ſed oportet eidem cruci ſic configi per patientiam & perſeuerantiam, vt nulla ſiue humana, ſiue mundana, ſiue etiam diabolica aduerſitas, crucem ſemel apprehenſam excutere valeat. Quemadmodum enim *venit Princeps mundi huius, & in Chriſto capite noſtro, etiam cruci affixo, non hebebat quicquam.* Ita & in nobis Chriſto confixis & verè cõpatientibus, in eoq́; confidentibus, virtute eiuſdem Crucis, non poterit habere quicquã: ſiue in extremis etiam vitæ noſtræ periculis, ipſe tanquam leo rugiens fidei & ſaluti noſtræ inſidietur, ſiue per varia membra & inſtrumenta ſua, varias iniurias, probra, cõtumelias, perſecutiones & afflictiones, nobis ingerat. Chriſti em̃ paſſionis & crucis tãta eſt altitudo, lõgitudo, latitudo, & profunditas, vt nullis ſiue mũdi, ſiue inferni impetitionib⁹ vllo modo cõuelli queat: ſi modò ei firmiter adhęſerimus. Ipſa em̃ Chriſto capiti noſtro in tãtũ nos cõglutinat, vt poſſimus dicere cũ Apoſtolo: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Perſeuerantia coronat virtutes

Crucis poſt Chriſtum ferendæ modus efficax

Ioan, 14 ℣ 30

Crux Chriſti tolerata omnium aduerſitatum antidotus

Rom: 8 ℣ 35

PARS SECVNDA.

De Septem verbis Dñi nostri crucifixi.

Lucæ 23

VNus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Respondens autẽ alter, increpabat eũ dicens: Neq; tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.*

Septem verba vltima Christi quãti momenti apud Christianos
1 Timoth: 1 ℣ 15
Ioan: 6 ℣ 63
Cap XIIII

Fidelis sermo (vt hìc verba Apostoli acomodem) *& omni acceptione dignus*, quòd populus Christianus, veluti gẽmas inter aurũ, obseruat in serie passionis Dñicæ septem verba illa seu sententias, quas in cruce prolocutus esset Dominus. Quamuis enim *omnia verba Saluatoris quæ effatus esset, sint spiritus & vita:* (vt ipsemet asserit) tamen vltima quæ ante mortem prolocutus fuisset, singulariter sunt attendenda: Sicut cantus cygni, quò morti propior, eò dulcior prorumpit: Sicut etiam non solùm Prophetæ & viri sancti, sed etiam alii communiter homines, quò morti & termino ad quem tendũt viciniores, eò etiã sermones obseruantiores emittere consueuerunt: Ad eundem modum Propheta & Magister noster, in solio Regali, ara Pontificali, & Cathedra Magistrali crucis, versus cælum à terra sublimatus, cum vltimo suo spiritu, excellentissima dogmata nobis depromit. Quemadmodum etiam creationem vniuersi septem distinctis verbis, sic modo eiusdem reparationem totidem dictis terminat. Quemadmodum legem suam Euangelicam septem principalibus præceptis inchoauit: sic illam in cruce, septem itidem, non tàm dictis quàm factis, & exemplis quasi testamento relictis, conclusit. Celebratur insignis quidam Thebanorum princeps, quòd ipse in victoria pro patriæ libertate ex hostibus obtenta, quamuis ad mortem telis confossus, non aliud tamen prolocutus interrogabat, quam si clypeus suus saluus esset, & an hostes penitus deleti essent: exinde suo quamuis discrimine perhennem libertatem patriæ prædicens. Quantò perfectiùs Dux & Saluator noster, in corpore suo tantopere excarnificatus, *vt à planta pedis vsque ad verticem non inueniretur in eo sanitas, cum in agone lingua faucibus adhæsisset*, tamen de iis

Septẽ verbis filius Dei vt creationẽ, sic redemptionẽ concludit
Gen: 1.
Matt: 5
Christus occũbẽs clypeum redemptionis retinet
Valerius maximus lib 3 cap: 2 de Epimanunda.
Isai: 1 ℣ 6
Psal: 21 ℣ 16

tantum

tantùm sollicitus, ea etiam proloquitur, quæ ad consumationem humanæ redemptionis reliqua desiderabantur. Ad verba igitur ista deuotiùs excipienda, accinge teipsã, ô anima Christiana, exhortatione deuotissimi Bernardi sic scribentis. Laxa igitur oculos tuos, & respice in faciem Christi tui. Ausculta auribus arrectis, sed in dolore tanto quod proferat verbum, & semel auditum pro preciosissimo reconde thesauro in cubiculo cordis tui: Ecce positus est hic in im̃iti lectulo mortis suæ, crucem dico. Extrema sponsi tui mãdata conserua, si vis hæreditatem incoinquinatã & im̃arcescibilem obtinere. Non multa sunt quæ moriens locutus est, facile seruabuntur à voluntaria Christi sponsa. Hæc ille.

Apparatus ad septem Christi verba meditanda
Bern: de passione Domini cap: 7

Dignum etiam consideratione est, quo progressu, & quibus veluti gradibus, ista crucis arbor, veluti scala illa à Iacob Patriarcha præuisa, incumbente sibi filio Dei, nos ad cælestia euehat. Primum namq; verbum: *(Pater dimitte illis &c.)* superius explicatum, incipit gratiam redemptionis per fidem veluti pullulare: quando etiam filium Dei configentibus (modò per ignorantiam) aditus salutis non reseratur. Secundò progreditur ista cælestis arbor crucis, per firmam spem extendere palmites suos vsq; ad Paradisum, qui latroni credenti & speranti incunctanter promittitur. Tertiò germinat arbor ista viuifica, fructum atq; consumationem genuinæ charitatis: quando testamento saluatoris, mater Dei fit mater hominis: & filius hominis & purus natura homo, euadit Dei genitricis adoptatus. Vbi etiam impleatur illud Domini dictũ: *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror, & mater est.* Quartò istud lignũ homini sic versus cælum sublimato, ingerit vitæ præsentis tædium, & intimæ cum Deo suo coniunctionis & vnionis beatificę, etiam quoad corpus, desiderium. Quale istis verbis expressit Psalmista: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus? &c.* Et iterum: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c.* Et rursus: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Quinto verbo: Redemptor noster amara potione sua omnibus credentibus, & verè sibi compatientibus, promeruit & veluti propinauit breui exhibendum potum illum satiationis beatificæ, de quo paulò antè dicebat: *A modò*

Methodus & scopus septem verborum Christi arbori crucis & scalæ Iacob applicatus
Gen: 28 ℣ 12
Matt: 12 ℣ 50
Psal: 41 ℣ 1 & 3
Psal 119 ℣ 5
Psal: 72 ℣ 25

non

Matt. 26 ♱ 29 *non bibam de hoc genimine vitis, donec compleatur nouum in Regno Dei.*
Psal: 35 ♱ 9 De quo etiam Psalmista: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuę potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine*
Apocal: 12 ♱ 6 *tuo videbimus lumen.* Et alibi Dñus ipse loquitur: *Ego sicienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Sexto verbo: *Consumatum est* insinuatur ligni illius fructus beatificus, omnium nimirum malorum transitus & consumatio, bonorum autem omnium inchoatio, apprehensio, & nunquam defutura perfruitio. De quo Ioannis reuelatio
Apocal: 21 ♱ 4. sic testatur: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra: quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia:* Vltimo verbo Rex atq; dux noster, ex throno Crucis, recomendans animam suam in manus Dei Patris, quæ tamen semper fuerit in sinu indiuisæ diuinitatis, meretur nobisq; ostendit statum animarum nostrarum, post crucem vitæ istius ritè toleratam, in beatitudine consequendum: quem descripsit Spiritus Sanctus per Salomonē
Sapien: 21 ♱. 4. his verbis: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum: Et ab itinere iusto abierunt in exterminium; & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace, &c.* Sed antequam explicationem verborum istorum aggrediamur, restant aliqua de latronibus Christo concrucifixis dicenda. Primò autem duo, non plures vel pauciores referuntur, vt (sicut superiùs Petrus & Iudas Apostoli) primò secundùm Chrysostomum Ecclesiam & Synagogam, deinde duplicem sortem hominum ex fructu redemptionis per Christum, insinuent: vnam ex auxilio Dei efficaci & proprio conatu, in resurrectionem & gloriam: alterum ex auxilio Dei sufficienti quidem, sed propria prauitate non efficaci, ad ruinam & damnationem: quasi in typum futuri sui iudicii, in quo (vt ipse loquitur) *vnus assumetur, alter relinquetur.* Quod disertè asserit S. Leo, sic inquiens: Christus filius Dei, cruci quam etiam ipse gestaret, affixus est, duobus latronibus, vno ad dextram ipsius, altero ad sinistram similiter crucifixis: vt etiam in ipsa patibuli specie, monstraretur illa quæ in iudicio ipsius omnium hominum facienda est discretio: cùm & sanandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formā blasphemantis impietas prænotaret: Et alibi: *Memento mei Domine, cum veneris in Regnum tuum.* Quæ (inquit) fidem istam exhortatio persuasit

[Margin: Latrones duo statum saluādorum, vel damnandorū referunt. Lucæ 23 ♱. 39. Chrys: homel: de cruce & latrone. August: serm: 144 de Tempore. Lucæ 17 ♱. 35. Leo Serm: 4 & 6 de passione Domini. Solium crucis typus extremi iudicii.]

persuasit: quę doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Et post pauca sic subiicit: *Amen Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso:* Excedit (inquit) humanam conditionem ista promissio: nec tàm de ligno Crucis, quàm de throno editur potestatis. Similiter Eusebius: Christus positus in patibulo velut arbiter, in medio damnatorum negantem repulit, suscepit confitentem: hūc deputat regno, illū relinquit inferno: post hæc ergo credamus in maiestate iudicaturū, quē iam in cruce videmus exercere iudicium. Hæc ille. Latrocinium (inquit preclarè B. Cyprianus) damnationem meruerat & supplicium: sed cor contritum pænā mutauit in martyriū, & sanguinem, in baptismum. In momento impietas religionē, crudelitas induit pietatem, & statim consumatus ciuis Sanctorum, & domesticus Dei, præmissus est in regnum reconcilationis humanæ, priuilegium secum ferens ad superos; quod Deo Patri tantæ legationis fungens honore, in seipso scripturæ huius experimentum continens, libero & securo aditu penetrans, præsentauit. Quid tu Domine amplius Stephano contulisti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui supra pectus tuum in cæna recubuit? quid amplius Pauli meruēre sudores? quid labores Sanctorum? quid tot annorum tormenta? quid mārtyrum plagæ? Vna hora huic collatum est præmium, ad quod illi per tot discrimina peruenerunt. Sic tu Dñe, armentarios statim facis Prophetas, opiliones reges, teloniariós Apostolos, piscatores Doctores. Neq; ab his quos sanas, lente languor abscedit, sed illico quem restituis ex integro conualescit, quia consumatum est quod facis, & perfectum quod largiris. Hactenus Cyprianus: Contemplatio igitur potius est quàm fidei assertio, quod quidam adducunt ex B. Anselmo, precibus diuæ genitricis conuersum fuisse istum latronem, quòd in fuga in Ægyptū reliquos latrones à spoliatione Christi tanquam diuinam speciem in infantia præseferentis, abduxisset. Sicut & illud: quòd latronem ad aquilonem Cruci Christi oppositum, vmbra Christi Saluatoris, efficatiùs sanè quam ægros vmbra Petri, ad resipiscentiam contingeret. Testantur enim Euangelistæ, ab hora sexta ad horam nonam (in quo spatio latro conuersus esset) solem delinquentē, vniuersam terram, non solùm latronē obumbrasse. Quod etiamsi non esset, incertum est, an vmbra Christi latronem poterit

[Margin: Euseb: Emesen: homel: de latrone beato. Latronis stupenda saluatio. Cyprian: Serm: de cæna Domini. Conuersionis latronis opinio irrationabilis ex B. Anselmo. Vmbra Christi crucifixi an latronem conuerterit. Petrus Damianus in quodam Serm: Act: 5 v. 15]

erit contingere: cùm in meridie sol vmbrã non producere, sed ad centrum contrahere soleat. Cuius tamen vmbræ plures ali itàm astantes quàm prætereuntes, sine tanta virtute euaserint participes. Causa igitur eius salutis, (vt diximus) erat Dei voluntas, electio, & prædestinatio occulta: deinde eius ipsius voluntatis motus per pœnitentiam & virtutes Theologicas. Pœnitentiæ quidem partes satis describuntur: Primo contritio cordis, quando repræhensionem socii à timore Dei exorditur, & delicta sua sociiq; sui, iustis pœnis deputat, Christi autem innocentiæ condolet & patrocinatur. Secũdò confessio oris, ex eisdem verbis est manifestissima. Quod B. Chrysostomus sic attestatur. Vidisti plenam confessionem: Vidisti latronem in cruce suis renunciasse peccatis? Nullus impulit, nullus necessitate constrinxit: Sed ille sponte sua peccata publicabat dicens: *Nos quidem iustè: digna enim his quæ fecimus passi sumus, &c.* Hæc ille. Tertiò. Satisfactio seu propria pœnalitas exhibita est, quando pœnam lege addictam suis erga Deum agnitum offensis imputat. Opera autem virtutum Theologicarum sic in illo describit Gregorius Magnus. In cruce claui manus eius pedesq; ligauerant, nihilq; in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserant. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit, vt iuxta hoc quod scriptũ est: *Corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem.* In corde autem fidelium tres sumopere manere virtutes testatur Apostolus, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas.* Quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & seruauit in cruce. Fidem nãq; habuit, qui regnaturũ Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit, dicens: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Charitatem quoq; in morte sua viuaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit, dicens: *Neq; tu times Deũ, qui in eadem es damnatione, & nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis à cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderant diuina virtute facientem. Hæc ille. Meruit igitur Martyrii præmium

Conuersio latronis ex dono Dei & cooperatione pœnitentiæ eiusque partium

Chrysost: homel: de cruce & latro: August: Serm: 33 de diuersis

Lucæ 23 V. 41

Virtutes Theologicæ in pœnitente latrone

Grego: lib 18 moral: cap: 25

August: de anima & eius origine lib: 1 cap 9

Rom: 10 v. 10

1 Cor: 13 v. 13

Lucæ 23 v. 40

mium, non tàm propter pœnam, quàm propter causam: (iuxta illud Augustini: Martyrem non facit pœna, sed causa) quia in eo Dei quidem benignitas, sed propria non minùs cooperatio fecit, (vt B. loquitur Hieronymus) homicidii pœnã, martyrium. Quod martyrium verum fuisse. D. Cyprianus & ex eo S. Augustinus, asseruerant. In quibus locis addit B. Augustinus, ad rationem istius martyrii magis firmandam; non fuisse impossibile, vt latro ille, vel ante facinus suum credens baptizatus fuisset, vel sanguine & aqua ex latere Christi perforato, sibiq; vicino conspersus, & sic preciũ simul & lauacrũ redemptionis, eodem quo in paradisum esset relatus, priuilegio & compendio, perciperet. Quod si non esset, sufficiebat tamen multorum aliorum exemplo, baptismo voti seu flaminis, & proprii sanguinis, fuisse Christo adscriptum.

Martyrium verũ non ex pœna sed ex causa erat in latrone:

August: contra Cresconium lib 3 cap: 47

Et in Psal: 34

Hieron: epist: 58 ad Damasum

Cypr: epist: 73 & Serm: de Cæna Domini

August: locis citatis

Cap: XVI. Sed iã Dialogi istius admirabilis singula verba breuiter expendamus. *Dñe* (inquit ad Christũ latro) *memento mei, cũ veneris in regnum tuum.* Primò enim agnoscit Regem, & regnum Christi: nõ de hoc mũdo, sed titulo etiam Crucis comprobatum regnum Iudæorũ, hoc est per veram confessionem saluandorum. Ideo profitendo singularem fidei humilitatis & pietatis affectum. non dicit: Si Deus es, de præsenti periculo libera me: & vitæ præsenti restitue me: Sed potius dicit: Quia Deus es: de futura pœna libera me, & vitæ æternę qualẽcunq; consortem me efficito. Non audet postulare regnum, *nec dimidium regni: sed nec consortium regni:* Sed humilitatem Iosephi Patriarchę æmulatus, memoriam tantum sui in liberati & regnantis fælicitate expostulat. Quasi cum filio prodigo diceret: *Peccaui in cælum & coram te: nec dignus sum vocari filius tuus. Sed fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Ideo etiam clementissimus Dominus talem respiciens affectum: procedit perditissimo quamuis obuiam, vlnis in salutem mũdi tunc expansis, illum primò obuium complectitur, profert stolam primã regni nimirum sui consortium; firmissima asseueratione pronuncians: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ecce Dominus regnum suum explicat esse paradisum, hoc est locum beatitudinis in quo seipsum beatis gloriosus exhibeat. Quando verò addit, *mecum* intelligit primò absq; se non dari, sicut redemptionem, sic & gloriam; quemadmodum & ipse dicebat: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Deinde: non locum sed conditionem fælicitatis,

Verborum latronis ad Christum expositio

Lucæ 23 ✝ 42

Latronis humilitas, fides & pietas

Marci 16 ✝ 35

Daniel 5 ✝ 16

Gen: 40 ✝ 14

Lucæ 15 ✝ 18 &c

Apoc: 7 ✝ 15

Lucæ 23 ✝ 43

Ioann: 12 ✝ 26

 istis

Regnum Dei est vbi ipse Deus

istis verbis Dominus insinuat. Constat enim animam Christi illo die suę mortis fuisse in limbo, corpus autem in Cruce, deinde in sepulchro. Sed si in persona sua adhuc mortali, propter vnionē verbi, filius hominis, ipso attestante, *erat simul in cælo & in terra:*

Ioan: 3 ℣ 13

magis post dissolutionem vtriusq; substantię per mortem, animæ Christo ab initio beatæ, locus proprius erat in cęlo, siue illa separatim in limbo, siue post resumptionem corporis in seculo, demoraretur, vsq; ad gloriosam in cælum ascensionem, quando aliarum animarum secū euexit captiuitatem. Nam secundū D. Ambrosium: Vita est esse cum Christo: & vbi est Christus, ibi & regnum. Sicut vulgò dici solet: Vbi est Rex, ibi & aula: Vbi Papa, ibi Roma.

Ambro: hoc loco in Lucam

Animæ iustorum quomodo ante diem iudicij beatę

Heb: 11 ℣ 40

Quòd autem aliqui obiiciunt ex Apostolo dicente, Sanctos veteris testamenti, sine nobis in lege gratiæ, non fuisse consumātos, hoc est, ad fruitionem beaticā admissos: nihil præsens priuilegium afficit. Mortem enim illius iusti latronis, præcesserat mors Christi: quæ legem veterem terminauerat per verbum: *Consumatum est:* per veli etiam templi Iudaici scissurā. Ideo secundùm Athanasium: latro quasi primitius regni Christi, quod tunc inchoabatur, vicem quasi gerens Adæ primigenii latronis, (vt B. etiam insinuat Cyrillus) amissum repetit paradisum. Vel quemadmodum latro aliquis à Ciuitate sua exul, tangens ingredientem Imperatorem, primus, cum illo intrat, priuilegio, nō merito: non conditione, sed dignatione.

Adam per latronem Paradisum repetit

Athanas: de Sym: ad Epictetum

Cyril: Iero: Cath: 13 Illuminat:

Huc referendum mihi videtur illud ænigma: quando Dauidi victori arcem Sion & regnū adeūti dicebatur. *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc.* Est enim ironica responsio superborum gentilium arcem Sion occupantium, Dauidem filium Isai, & nec dum satis in regno confirmatum, frustra aggredi fortissimæ arcis oppugnationem: idq; iudicio, non solùm bellicosissimorum militum, sed etiam vulgi & cæcorum, claudorum, & aliorum languentium, circa vicinam Siloen, motum aquæ expectātium: Cum quorum opinione Dauidi, prius quàm cùm præsidio munitissimo, fore decertandum.

Christus quomodo regnum suum adeptus sublatis cæcis & claudis

2. Reg: 5 ℣ 6

Veriùs ergo ad propositum Dominus per Crucis mortem, ad regnum suum, & arcem paradisi ingrediēs, latrones illos duos cæcos, interius quidem propter præcedentem infidelitatem, exterius verò propter tenebras tunc exortas: claudos verò internè quidem propter animi præcedentem

tem vacillationem, externè autem propter crurium clauis confixionem & deinde fractionem, abstulit inde, vnum in paradisum, alterum in infernum transferendo. *Tunc etiam Regnum cælorum,* iuxta Saluatoris prædictionem *cæpit vim pati,* vt illud vocatus Iudas amitteret, damnatus verò latro raperet.

Latro vi inuadit regnum Christi ipso trahente

Matt: 11 ℣ 12

Chrysost: homel de Cruce & latrone

Latro enim iste (vt dicit Chrysostomus) de ligno meretur salutem, cæleste furatur imperium. Vim facit maiestati non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini vox est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sic ille.* Sub vno etiam eodemque tempore (inquit Emesenus) credit reus, quod cecidit vel negauit electus.

Greg: Emesen: homel de beato latrone

1 Reg: 22 ℣ 2

Simili etiam typo dicuntur ad Dauidem regnum cum periculo, *adeuntem congregati fuisse, omnes qui erant in angustia constitui, alieno ære oppressi, & amaro animo, & factū esse eorū Principem.* Quia & Dominus noster verè tunc languores nostros perferebat, & quæ non rapuisset exoluebat. Videte autem, charissimi, quā *copiosa statim apparuit apud Dominum redemptio.*

Christus plus dat latroni quam petiisset

August: Serm: 144 de Temp: cap: 6

Psal: 129 ℣ 7

Latro beneficium venturę memoriæ cōmendat, Christus præsens & ferè momentaneum donum præstat: petit in regno Christi sui memoriam: Dn̄us offert regni sui, quod est paradisus, abundantiā: Latronis supplicatio longius & indefinitum exauditionis tempus præfinit: Christi largitas moram non ferrens, protinus seipsam petēti effundit, & plusquam postularet, vel fortasse cogitaret, largitur.

Iacob: 1 ℣ 17 & 5.

Ambro: hoc loco in Lucam

Gen: 17 ℣ 19

Iob 42 ℣ 10

Tob. 12 ℣ 3

3 Reg: 3 ℣ 13

Lucæ 1 ℣ 35

Omne enim (scribit B. Iacobus) *datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum: qui dat affluenter credentibus & non improperat.* Semper enim (dicit B. Ambrosius) plus tribuit Dominus quam rogatur. Sic Abrahæ petenti vnum filium, superaddit alterum, & quidem futurę benedictionis. Iob pro amissa omni substantia, recipit vltro à Domino omnia duplicia. Tobias orabat, vt saltem filius vnicus ex via periculosa incolumis rediret: & ecce ab Angelo, vxore & omibus bonis cumulatus reducitur. Salomon solā ad gubernandū Dei populū expetiit sapientiam: Deus autem sponte addidit illi diuitias & gloriā qua omnes ante & post se mortales superaret. Beatissima Virgo postulauit sibi conseruari votiuam virginitatem: & ecce Dominus adidit ei castam fœcunditatem, & Dei insuper maternitatem. Seruauit etiam Dominus inexauditione latronis istius, quod olim cōmendauerat per Salomonem sic instruentē: *Non*

dicas

Prou: 3 ℣ 28

dicas amico tuo: vade & reuertere: & cras tibi dabo: cum ſtatim poßis dare. Tale eſt illud quod vulgo dicitur: *Bis dat, qui cito dat.* Neſcio igitur qua temeritate & auſu aliqui olim codices Græci, iſtã clariſſimã Chriſti locutionem, ex ſenſu compoſito ad ſenſum diuiſum extrahunt in hunc modum: *Ego tibi dico hodie*: (hic punctum conſtituentes, deinde ſubinferentes) *mecum eris in paradiſo.* Inſulſi prorſus, ne dicam impii homines, etiam in extremis Chriſti verbis conſtituentes ludibrium, in quibus ille maximum cõmendabat myſterium: & fortaſſe latroni inuidentes, qui ſe tanquam iuſtos (ſicut Phariſæos, meretrices) præcederet in regnum cælorum. Iſtum etiam locum Græci ſic peruertebant, in fauorem ſui erroris in Concilio Florentino damnati: animas Sanctorum ante diem iudicii extremi, beatitudinem realem non conſequi, nec faciem Dei videre. Cui errori Chryſoſtomum fauentem adducit Cathena D. Thomæ in hunc locum: Quod tamen ego apud Chryſoſtomum reperire non potuerim: ſed potiùs contrarium: quando ſic ſcribit: Vno tempore duo beneficia à Domino videmus conceſſa: Vnum in quo Paradiſum patefecit: alterum, quo latronem in eum introduxit. Et poſtea eandem homeliam ſic concludit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Ecce quantũ præſtitit conceſſio, vt ſine dilatione latro introduci mereretur in Paradiſum. Et homelia ſequenti. Paradiſum (inquit) quinq; & eo amplius annorum millibus procluſum, hodie nobis patefecit. Hac enim die hac hora, latronem Chriſtus in paradiſum introduxit, & eius amænitates oſtẽdit: Et vno tempore duo beneficia videmus conceſſa: Vnum quòd paradiſus patefactus eſt: aliud quod latro in eum meruit introduci. Hactenus Chryſoſtomus. Arripuerunt libenter & ſuis codicibus infarciunt talem verborum Chriſti deprauationem, vel peruerſionem noſtri temporis hæretici: ne Sanctorum in cælo præſentiam, & eorum pro nobis ſuffragia concedant. Sed ſi latro tanta pro ſe obtinuit adhuc mortalis & reus, quid cum aliis beatitudinis ſociis pro nobis non obtineret glorioſus & Chriſto coniunctus? Homines profecto cæcitate diabolica percuſſi, non attendentes, quod à Domino dictum eſſet latroni. (*hodie*) hoc dici ab eodem de chariſſima matre & Ioanne: *Ex illa hora, accepit eam Diſcipulus in ſua:* quaſi verò infirmior prærogatiua hæreditatis cæleſtis, quàm parentelæ

Chriſti verba ad latronem quomodo quidam peruertunt.

Matt: 21 ℣ 31

Animas beatas non videre Deum ante diem iudicii falſo tribuit Chriſoſtomo Catena D. Thomæ Lucæ cap: 22

Chriſoſt: homel: de proditione Iudæ & de cruce & latrone

Sanctorum pro fidelibus ſuffragia exemplo latronis conſtant

(Hodie) quale tempus latroni conſignatur Ioan: 19 ℣ 27

parentelæ terrenæ reputetur. Sermo enim iſte Chriſti accipiendus eſt per Synechdochen: vt anima (præſertim in Chriſto diuinitati iuncta) tanquam potior hominis portio, pro integra Chriſti perſona reputetur. Similis locutio eſt: quando Samuel à phytoniſſa (vtiq; in anima tantum, vel alieno ſpiritu corpus ementiente) ſuſcitatus dicebat Sauli: *Cras tu & filij tui mecum eritis*: exceſſum vitæ per mortem deſignans.

1 Reg: 28 ℣ 19

Cap: XVII

Reſtat vt aliquid ex hoc exemplo ad correctionem noſtram ſubiiciamus. Non tranſitorie (inquit B. Chryſoſtomus) iſtum prætereamus latronem, neq; erubeſcamus accipere magiſtrum, quem non erubuit noſter Dominus primum introducere in paradiſum: nec pudeat eius ſequi magiſterium, qui cæleſtem conſumationẽ meruit ante omnes: Et poſtquam eius beatificationem ſtupendam vocationi etiam & priuilegio Apoſtolico, ex quo excidiſſet Iudas, protuliſſet: ſic ſubiicit. Hic & hic latro: vnus inſultat, alter adorat atq; veneratur: vnus blaſphemat, alter benedicit: & blaſphemantem prohibet dicens: *Nec tu Deum times:* Vidiſti libertatem in Cruce: vidiſti Philoſophiam in tormentis, in pœna prudentiam? Quòd enim ſui memor fuit, quòd mente ſana vigilabat, clauorum confixione conſtrictus, quis eſt qui poterit non mirari? Sed iſte nõ ſolùm intra ſe fuit, ſed & ſuas neceſſitates prætermittens, aliorum vtilitatem cogitabat: & magiſter pendebat in cruce, & ſanis perſuaſionibus alium inuitabat ad vitam &c. Et paulò poſt: Nunquid & tu (ô Chriſtiane) in cruce non es? & cum alium laceſſeas iniuriis, tibi ſupplicium præparas &c. Hactenus Chryſoſtomus. Deinde exemplo iſto, ſectãda eſt peccatoribus matura & oportuna conuerſio: & è conuerſo vitanda præſumptioſa illius dilatio: Diuina ſcriptura ſic præmonente: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius: & tempore vindictæ diſperdet te.* Pulcherrimũ (inquit B. Ambroſius) datur affectandæ conuerſionis exemplum, quòd tam cito latroni venia relaxetur. Cito ignoſcit Dominus, quia cito ille conuertitur: & vberior eſt gratia quam precatio. Latiùs hoc ipſum Auguſtinus, vel potiùs Emeſſenus ſic proſequitur. Sed ne fortè, chariſſimi, aliquem nimis ſecurum faciat aut remiſſum, tam noua fælicitas credulitatis, ne fortè dicat aliquis in corde ſuo. Non me vſq; adeò conturbet & cruciet rea conſcientia non

Ex latrone conuerſo quid Chriſtianis diſcẽdum Chyſoſt: homel: a de cruce & latrone Et Serm: de latro:

Patientia & charitas conuerſi latronis

Conuerſio ad Deum nõ differẽda. Eccli: 5 ℣ 8

Ambroſius in Lucam huc loco

Euſeb: Emeſſe homel: de latrone beato Seu Auguſt: homel: 46 de diuerſis

Pœnitentia non securitas in bono latrone sequēda.

tia non me vsq; adeò contristet culpabilis vita, video sub momento. video sub exiguo spatio latroni crimina sua donata, & mihi resoluta mente concipiuntur. Primum considerandum in latrone illo, nõ solũ crudelitatis cõpendium, sed deuotio, sed tẽporis illius, sub quo hæc agebantur, occasio, quo iustorum legitur titubasse perfectio. Deinde ante mihi fidem latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus sucuritatem, vt inferat perditionem, neq; dinumerari possint, quantos hæc inanis spei vmbra deceperit. Detereant, quæso, nos ab hac persuasione innumerabiles populi sub tali securitate nudi & vacui bonis, & malis pleni ex hac luce prærepti. Quotidie expauescẽdo transitus nostri & cõmigrationis incerta, quæ & modo vel insperata vel subdita sunt, & in æternum remediis caritura sunt: præueniendus est dies, qui præuenire consueuit. Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat, potest mihi extremi temporis indulgentia subuenire. Non est hoc. Primum, quia periculosissima est in vltimum diem promissa securitas: deinde, stultissimũ est, vt causa quæ de de necessitatibus agitur æternis, in vtilitatibus vitæ deficientis cõmittatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reseruatę liberiùs peccat. Credite charissimi, difficile est, vt callida dissimulatio ordinandæ consũmationis obtinere digna sit facultatem: apud illum cordis interprætem, ars non admittetur ad salutem.

Latro pænitens, in quo imitandus

Ille autem, de quo locuti sumus, beatus latro, beatus, inquam, non iam iuxta viam insidias tendens, sed viam ipsam in Christo tenens, ac vitæ prædam subito rapiẽs, immutato genere, & noua spolia de morte propria reportans, ille nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta vltima infælici fraude posuit: nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit, nec religionem ante, nec Christum sciuit.

Latronis Apostolicum meritum

Quod si sciuisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima.

Exhortatio ad extrema prouidenda

Opus est ergo vt sibi homo quotidiano actu prouideat, & procuret consummationẽ: opus est, vt tota vita nostra talis sit in conuersatione, vt liberi mereamur esse in fine. Incessabiliter diem transitus nostri, &

stri, & tempus iudicii cogitantes, nos quoq; cum latrone iugiter proclamemus: *Memento mei Domine cum veneris in Regnum tuum.*

Ioan: 19

Stabat autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora, accepit eam Discipulus in sua.

Mariæ matris inter fœminas Christum sequentes cur solus Ioannes meminit

Cap: XVII Hic primò obseruandum est, priores tres Euangelistas, plures mulieres Christo passo à longe astantes enumerare: matris autem Domini Mariæ mentionem nullam fecisse. Causam eius rei primò eam communem possumus constituere, quòd Ioannes ea quæ ab aliis Euangelistis omissa essent, in sua historia supplere consueuerit. Omisisse autem eos probabile est: vel quod fortasse eam narrationem ad contextum passionis Dominicę parum pertinere existimarent, vel quòd mysterium Domini ad matrem suam locutionis non ita plane assequerentur, sicut ipse Ioannes, qui & intima secreta ex pectore Domini hausisset, & cõmendationis ad se directæ mysterium persensisset.

Mariæ de filio luctus inexplicabilis accomodatũ symbolum.

Plinius hist: natural: lib: 35 cap: 10
Quint: instit: Orator lib: 2 cap: 14
Valer: Max: lib: 8 cap: 11
Euripides in Tragœdia Iphigenia

Celebratur prophanis laudibus quidam excellens pictor, quòd cum Iphygeniæ puellæ im̃olationem luctuosissimã variis cognatorum & amicorum dolorosis gestibus satis expressiset, patris ipsius luctum quasi inexplicabilem, integra capitis obuelatione designauerit. Simile certè quid in ista Euangelica historia cernimus, quando Mariæ maternus de filio im̃olato dolor, in hoc quod occultatus esset, magis etiã enituit.

Celloquii inter Christum & matrem occasio

Verba etiam Ioannis quando dicit: (*cum vidisset Iesus matrem: &c.*) satis insinuant, ipsam beatissimam matrem obtutibus filii sui tantopere afflicti non statim sese obtulisse: cùm & cæteri Euangelistæ mulieres à longè stantes referant. Sed credibile est, postquam Dominus cruci affixus, de carnificibus, & postmodũ de latronibus tantopere sollicitus, verba pro illis protulisset, mæstissimam virginem, zelum maternum diutius continere non potuisse, quin in conspectũ dilectissimi filii prodiret, ab eoq; ex diuina virtute solatium exquireret.

Christus præ Salomone honorauit matrem suam
3 Reg: 2 ℣ 20
Ambro: in Catena Thom: in hunc locum

Nam si religiosum est (inquit B. Ambrosius) quòd latroni donatur vita, multò vberioris pietatis est, quòd à filio mater tanto affectu honoratur. Sic ille. Honorauit certè pius Dominus plusquam Salomon matrem suam: eiq; ex throno suo regali optatam consolationem impendit, dicens: *Mulier; ecce filius tuus: deinde Ioanni: Fili: Ecce mater tua.* Quæ verba

Morituri charos charis comendãt & relinquunt.

antequam exponamus: quasdã ex scriptura diuina rei gestę præsignationes, exempla, & mysteria proferemus. Primò autem: Si in ista recomendatione, temporale solatium & prouidentiã spectabimus: mos comunis est, non solum personis prophanis, sed etiam sacris, suos quos per obitum relinquerent, proximis suis cõmendare. Inprimis hic conuenit illa Dauidis formula. *Maneat*

1 Reg: 22 ℣ 3

oro pater meus & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem Regis Moab: mãseruntq; apud eum cunctis diebus quibus Dauid fuit in præsidio. Hæc ibi. Cur autem Dominus nõ

Cur non Iosepho sed Ioanni Maria comendata

Epiph: heresi 78 contra Antidicomarianitas

Chrysost. hom: 5. in Matt:

Cypr: Serm: de passione Dñi

Ambros: epist: 79 ad Theophilum.

sponso Iosepho potius virginem relinquit, quàm filio matrem: Primum quidem valdè rationabile est quod affert Epiphanius. Iosephum iam vita excessisse: Quòd si etiam superuixisset: potioritatem quandam iuris in Mariam Ioanni vendicant, Chrysostomus, Cyprianus, & Ambrosius: quòd Ioseph desponsationem carnalem, & tamen præter carnem (quam etiam tunc Christus deponeret) Ioannes verò desponsationem secundùm spiritum, Ecclesiæ nouę legis, & vitæ futuræ magis congruentem, cum Maria accepisset. Christus enim per mortem ad nouæ & perhennis vitæ resurrectionem, aliam filiationis censebatur sortem seu statũ

Filiatio Christi excellentior ad vitam immortalem quã mortalẽ

Psal: 2 ℣ 7

Act: 13 ℣ 33

1 Reg: 13 ℣ 1

accepisse: quandoquidem Apostolus resurrectioni eius applicat verba illa. Psalmi: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Sic Saul ætate qnamuis adultus, dicitur fuisse *filius vnius anni, cum regnare cepisset.* b Porro conuenientissimum erat: vt sicut

Mulieris societas viro sicut ad culpam sic ad pœnã um adiuncta

Gen: 3 ℣ 12, 15

mulier viro communicauerat voluptatem ligni ad præuaricationis consummationem, eodem modo secũdus Adam Christus mulieri quę mater generis humani mysticè esset prænominata, ligni Crucis dolorem communicaret, ad redemptionis consumationem: vt pote quæ secundum primęuam illam promissionem, cum semine suo, caput serpentis infernalis esset contrituta. Quamuis enim nõ Maria sed Christus semen eius affixus erat Cruci, vt per vnum hominem peccatum introductum per vnum etiam expiaretur: rationabiliter tamẽ primę inuentrici gratię, dolor & meritũ Crucis comunicatur. Tũc enim in illa cõpleta est Simeonis

Mariæ animam qualis gladius pertransiuit

Lucæ 2 ℣ 34

prophetia: quòd *animam eius pertrasiret gladius*: hoc est tribulationis & afflictionis, non solùm naturalis de innocentissima & dira passione & morte vnigeniti filii, sed quòd genus humanum cuius illa matrem gereret, tantæ in Dei filium crudelitatis causa extitisset; & sufficientissima filii sui passio, pluribus tamen in *ru-*

inam

inam, quam in resurrectionem fuerit euasura. Simili sensu dicitur Iosephi innocentissimi Patriarchę *animam ferrum pertrãsisse,* quãuis externis tantũ vinculis corpus eius cõprimeret. Quia (secundũ Damascenum & Rupertum) dolorem quem in partu pudico non fuisset experta, tempore passionis filii sui excepit & cõpensauit. Certè magnitudinem & acerbitatem doloris Mariæ ex aliquot sacris exemplis possumus coniicere. Primum quidem natura ipsa matri erga prolem sumum indidit affectũ, teste Philosopho: Sed & vox diuina est: *Nunquid mater potest obliuisci infantem suum?* Quod insigni exemplo docuit Salomon, quando decreto infantis per medium dissecandi, ex genuino affectu, veram eius matrem explorauit. Dauid filii quamuis sibi rebellis & *quærentis animam suam,* mortẽ tamen sic eiulãdo prosequitur: *Fili mi Absolon: Absolon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Absolon fili mi: fili mi Absolon?* Rachel etiam introducitur *plorans filios suos: & noluisse consolari, quia non sunt.* Agar ancilla Saræ, expulsa in desertum cum infante, subducit se, ne eum morientem videret, vel audiret. Legitur etiam Anna mater Tobię imedicabiles fudisse lachrymas, quod vnicus filius ad constitutum tempus ex peregrinatione nõ rediisset. Sed imprimis in hoc proposito conuenit Beatissimę Virgini filio vnico orbatę Ierosolymam reuertenti, quod de muliere Bethlemica Noemi in ciuitatem suam regrediente sacra refert historia. *Nolite me* (dicebat illa) *vocare Noemi, id est pulchram: Sed vocate me Mara, (id est amaram) quia amaritudine repleuit me valde Omnipotens. Egressa sum plena, & securam reduxit me Dominus.* Hæc ibi. Marię enim verissimę tribuitur pulchritudo, de qua potissimũ dictũ esset: *Tota pulchra es amica mea. & macula non est in te:* Iam verò quando ex nomine eius adempta esset litera media & quasi radicalis, Iesum filium eius mortuum & crucifixum repræsentans, mansit nomen eius Mara, hoc est repleta amaritudine: Et quę initio ab Angelo fuisset salutata *plena gratia,* iam veluti cum filio suo per scandalum mortis exinanita, manet per illud mortis triduum quasi gratia vacua & ægena. Si enim puerum Iesum biduo tantùm amissum, cum tanta sollicitudine & dolore cum Iosepho sponso suo requirebat. quantum dolorem habuisse putanda est, eũdem filiũ, postquam Messias & orbis Dñus contestatus esset, tàm ignominiosissima passione & morte acerbissima affici? Germanum istum erga vnicum suum & Dei filium Mariæ matris affe-

Psal: 104 ℣ 17

Maria dolorem non in partu sed in passione filii experta

Rupertus lib: 13 in Ioan:

Damascenus de fide lib: 4 cap: 15

Aristotel: lib 8 Etycorum

Isaiæ 49 ℣ 15

3 Reg. 3 ℣ 26

2 Reg: 18 ℣ 33

Ierem: 31 ℣ 15

Matt. 3 ℣ 18

Gen: 21 ℣ 16

Tobię 10 ℣ 4

Maria in passione filii non Noemi sed Mara

Reg: 1 ℣ 20

Cant: 4 ℣ 7

Lucæ 1 ℣ 28

Lucæ 2 ℣ 48

ctum,

Lucæ 23 ℣ 27
Matt: 27 ℣ 19
Iſa: 33 ℣ 7
Ioan: Gerſon tractatu in paſſionẽ hoc loco.

ctum, prodit etiam mulierum Ieroſolymitana flebilis compaſſio, tum & vxoris Pilati ex Angelico qualicũq; tandẽ dictamine pro ipſo interuentio; cum & Angelos pacis eius paſſionem amarè defleturos prædictum iam olim fuiſſet. Deniq; iniquiſſimus traditor Iudas (vt Gerſon annotauit) à compaſſione mortis innocentiſſimę & crudeliſſimæ Domini ſui, temperare ſibi non potuit, quin propterea in laqueum ſeipſum præcipitaret. Merito ergo

Maria quomodo plusquã martyr: Hieron: Serm: de Aſſumptione Mariæ
Bern: in verba Apoc: cap: 18
Anſelm: de excellen: Virginis
Heb: 4 ℣ 12
Auguſt: epiſt 44 ad Paulinum
Et in Pſal: 104

ſanctiſſima virgo à B. Hieronymo, vel potius Sophronio, vocatur martyr. & à S. Bernardo pluſquam martyr. Siquidem (vt teſtatur D. Bernardus) doluit & fleuit, quiquid filius doluit & fleuit: at neq; doluit nec fleuit, quod Chriſtus vetuit dicens: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere, &c.* Alia ratio eſt: quòd afflictio eius deriuabat non à corpore ad animam, vt in aliis martyribus: ſed ex anima ad corpus etiam tenerrimmum, veluti *gladius ille anceps* (ſecundum Apoſtolum) *pertingens ad diuiſionem vſq; animæ ac ſpiritus, compagũ quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & diſcretionũ cordis.* Verba enim iſta ſatis conueniunt cum illa Simeonis prophetia. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Pleniùs igitur Maria veluti *caro ex carne, & os ex oſſibus*, quàm Paulus ex perſecutore Apoſtolus *portabat ſtigmata vulnerum Chriſti:* & eius paſſionem, quod ad ſortem maternæ placationis deeſſet pro corpore eius quod eſt Eccleſia, & in corpore ſuo adimplebat. Pulchrè Bernardus: Vulnera (inquit) Chriſti morientis, erant vulnera matris dolentis. Et alibi: Mulier ecce filius tuus. O cõmutationem; Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, Diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebædei, pro filio Dei: homo purus, pro Deo vero? Quomodo non tuam mentẽ affectuoſiſſimam pertrãſiret hæc auditio, quando & noſtra licet ſaxea, licet ferrea pectora, ſola recordatio ſcidit? Non miremini ergo fratres, quòd Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Sic ille.

Lucæ 2 ℣ 34
Epheſ: 5 ℣ 30
Galat: 6 v. 17
Bern: Serm: de lamentatione Mariæ & de verbis Apocalyp:

Mulierem non matrem cur Chriſtus Mariam compellat
Chriſoſt: hom: 84 in Ioan:
Mantuanus Parthenices Marialis lib: 3

Iam quod reliquum eſt, in iſta tertia Domini ex cruce allocutione expẽdamus. Videt Ieſus matrem, & compellat mulierem: quid ni etiam & matrem? Vox iſta o hæretice, pietatis eſt non ſimultatis: prouidentiæ, non contumeliæ: officii, non conuicii: non improperii, ſed ſolatii. Quia ſecundum Chryſoſtomum ſi eam vocabulo matris compellaſſet, dolorem potius adauxiſſet. Et ſicut Chriſtianus cecinit Poeta.

Cap XVII

Ne materna pium laniarent viſcera nomen.

Secunda

Filiationem triplicẽ diſtinguit Chriſtus in cruce
Lucæ 2 v. 49

Secunda ratio dari poteſt: Quia ſicut olim puer in templo à parentibus repertus, à carnali compellatione ſe ſe ad cæleſtem denominationem, & negotia Dei patris referebat: ſic magis modò, quando opus diuinum redemptionis mundi perficit, ſicut opus ipſum, ſic vocem ac denominationem ad patrem potiùs cæleſtem, quam ad matrem ſecundùm carnem reuocat. Tertio: tali compellatione vtitur Dominus, qualem ratio facti exigebat: vt terminorum proprietas conſeruaretur. Si enim dixiſſet Dñus: Mater ecce filius tuus, naturalem filiationem abnegaſſet, & adoptiuam ſubſtituiſſet. Iam autẽ propria elocutione, vtrumq; ius conſeruat: vt Maria quatenus mulier, euaſerit mater Ioannis, naturalem Dei filio maternitatem conſeruando. Propterea etiam non dicit Ioanni: Homo: ecce mater tua: *Sed fili: ecce mater tua:* quòd nimirum non ex natura, ſed ex ſingulari gratia, iura filationis contraheret. Quartò: eiuſmodi denominatio accomodata erat ſtatui Chriſti, Mariæ, & Ioannis. Chriſtus enim vitam mortalem deponens, & inchoans imortalem, matrem veram quamuis, rectè mulierem appellauit: vt & mortali mortalem filium relinqueret; & iure & more humano, ſexus fragilior firmioris tutelã acquireret. Quinto, tali voce et facto voluit Chriſtus dilectiſſimæ matris integritatem perpetuam, vltimo etiam teſtamento confirmare. Vtrumq; ſic pulchrè complexus eſt Ambroſius: Legatur matri pudoris defenſio, teſtimonium integritatis: legatur etiam diſcipulo matris cuſtodia, pietatis gratia comendatur. Sic ille. Poſtremo: quę in perſona Ioannis mater fidelium conſtitueretur, rectè vocatur mulier: vt vicem oppoſitam mulieris præuaricantis reciperet, & compleret. Et ſic iſta legatione ſeu teſtamẽto, Maria mater generis humani conſignata eſt. Primò: quòd per tantã compaſſionẽ filio, pro vita noſtra morienti, veriùs quam Eua mater viuentium effecta ſit: Deinde, quòd & genere in proprio filio, qui ſe filium hominis vocet, & adoptione in Ioanne, mater quaſi totius generis humani conſignetur. Tertio: quia ſicut Abraham pater, ſic illa mater fidei, quæ nos filios Dei efficit, conſtituta ſit. Sicut enim de illo dictum eſt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam:* Sic de iſta, Beata Elizabeth ſic proclamauit: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Dño.* Cuius fidei opus non minus quoq; in ipſa enituit, quando ſicut ille, ſic longè perfectiùs diua mater

Christi vox ad matrem & Ioan: ſeruat ſtatuum ſingulorum proprietatem
Mariæ integritas verbo Chriſti in cruce conteſtata
Ambro. de inſtitutione Virgin: cap: 7
Maria mater humani generis cõteſtata verius quã Eua
Gen: 3 v. 20
Abraham fidei pater: Maria autem mater
Rom: 4. v. 3, 11
Lucæ 1 v. 45
Maria filium ſuum perfectiùs q̃ Abraham obtulit

filium

Hebr: 11 v 19
Ambros: loco citato.

filium vnicum quem ex voluntate Dei imolabat, resurrecturum, immo resurrectionis autorem futurum, certò confideret: vt B. quoq; attestatur Ambrosius. Si enim hoc ipsum præstitit mater Machabeorum, & aliæ similis virtutis fæminæ, quid non præstaret, *quæ benedicta in mulieribus, sola supergressa esset vniuersas?*

Mariæ animi deliquium perperam affingitur.

Pio igitur, sed non rationabili affectu, aliqui dolorem Mariæ vsq; ad animi deliquium, & extasim extendunt, & quidam pictores perperam idipsum sequuntur, Mariæ sub cruce nescio quos desperatos gestus affingentes. Quamuis enim tanquam vera mater filii hominis, & tanquam vnici *doluerit planctu magno: vt* (secundum Prophetam (*doleri solet in morte vnigeniti*: Sed tamen mater etiam vera Dei, dolorem amore humanæ redemptionis temperabat.

Zach: 12 v 10
Duo affectus Mariæ
Matt: 26 v 39

Quemadmodum enim in filio agonizante, duæ voluntates decertabant, sed diuina humanam propter necessitatem mundi superabat: sic in diua matre pugnabant duo affectus seu amores contrarii, vnus ad incolumitatem filii, alter ad humanæ redemptionis diuinum beneplacitum, se extẽdens: Quorum posterior, quo nobilior, eò forrior, luctum matri Dei conuenientissimum temperaret.

Hæreditas materna ex Maria qualis

Quarto: Maria non solum Ioannis, sed & aliorum fidelium mater censetur: quia non tantùm per Christum paterna, sed etiam per ipsam materna, ad nos deuoluitur cælestis hæreditas: quòd nimirum illa inuenerit gratiam, cuius filius propriè sit creator, promeritor, & largitor.

Ioannes quomodo Mariam recepit in sua, vel in suam

Istud priuilegiũ singulare amplexus Ioannes, ex illa hora dicitur *recepisse eam in sua.* Aliqui codices habent, *in suam*, hoc est, curam: vel (quod contextui magis congruit) matrem, sed Græci codices & interpretes comuniorem lectionem seruant (in sua Græcè εἰς τὰ ἴδια Quod quamuis etiam variè exponatur: simpliciter tamen videtur intelligendũ secundum phrasim Ioãni familiarem: sicut etiam initio dixerat, Verbum æternum in sua vel propria venisse: & paulò ante passionem suam Dominus eisdem verbis, dispersionem discipulorũ ad propria prædixerat.

Ioann: 1 v. 11
Ioann: 16 v 32

Vt intelligatur Ioannes recepisse Mariam in suam, hoc est curam, conuictum, & substantiam, qualiscunque sibi tunc fuerit: cùm & ipsa Beatissima virgo professionem paupertatis sectaretur.

Charitas reciproca edocetur à Christo
Bernar: de passio ne Dñi cap: 10

Colligit ex hac reciproca comendatione S. Bernardus, reciprocum charitatis nobis per Christum testamento relictæ exercitium, sic scribens: Sed monet me, quòd cùm dixisset: *Mulier, ecce filius tuus:* subiunxit: *Ecce mater tua.* Cum vtiq;

etiamsi

etiamsi hoc non subiunxisset, necessarium fuisse eam matrem illius, qui in filium sibi datus erat. Sed hoc mutuæ charitatis affectum mihi comendare videtur. Sunt enim nõnulli qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur, Nolunt vt eorum labores & dolores alleuientur: & cum ferantur à pluribus, ipsi nullius onera volunt portare. Non hoc enim docuit Christus aut fecit: Hæc ille. Et sic expedito tertio verbo Christi crucifixi, ad sequentia eius dicta progrediamur.

Matt: 27
Marci 15
Luca: 23

Erat autem ferè hora sexta, Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super vniuersam terrã, vsq; in horam nonam. Et obscuratus est Sol.

Cap: IX.

Methodus tractandi de Ecclipsi circa passionem Christi

Ex his quę ad explicandam istam Ecclypsim ex aliorum testimoniis adducturi summus, docilis auditor vel lector, ea potissimũ capita sibi attendenda proponet. Primò, quàm certa fuerit illa Ecclypsis: Secundò, quam rara & miraculosa: Tertiò, quæ illius fuerint mysteria: Quartò quid fidei & professioni nostræ inde insinuetur. Quoad primum. Eius obscurationis sufficiens secundùm legem esse debet testimonium, trium priorum Euangelistarum: cùm Ioannes ista ab aliis enarata omittens (vt solet) ad alia quæ ipsi reticerent, narrationem reflexerit.

Nicodemi de Eclipsi ista testimonium, contra Iudæorum obstinationem

Nec hîc prorsus abiiciendum erit testimonium Nicodemi, non tanquam Euangelistæ, sed tanquam discipuli Domini, non ampliùs circa sepulturam Domini occulti: in cuius Euangelio quamuis ab Ecclesia non recepto habetur: Centurionem venisse ad Pilatum, referentem omnia signa quæ facta erant. Vocatisq; Iudæis dixisse: Vidistis signa quæ facta sunt in Sole, & cætera omnia quæ facta sunt dum Iesus moreretur? Iudæosq; respondisse: Ecclypsis facta est Solis secundùm veterem consuetudinem. Ex quibus verbis etiam constat, quàm peruersè dicebant Iudęi de Christo: *descendat nunc de cruce & credemus ei, vt supra dictum est.*

Ara ignoto Deo Athenis cur erecta.
Act: 17 v 23
Petrus Comestor in Euan: cap: 175. & in Acta cap: 98
Lyran: in Act: cap: 17

Quando etiã Actor: 17 Paulus anuntiabat Atheniensibus Christum ex mortuis rediuiuum, ex eorum quadam *Ara* quam ipsi *ignoto Deo*, inscripsissent, exponit Lyranus ex historiæ Scholasticæ authore, Aram illam fuisse exinde suscitatam, quando paciente Christo, deliquium solis cõtra omnem naturæ cursum accidisset: & exindeq; Atheniẽses Philosophi, præcipuè verò Dionysius Areopagita pronunciassent, aut Deum naturæ autorem pati, aut naturam dissolui. Certè idem Dionysius à S. Paulo postea conuersus, primò Epistola ad Polycarpum de Apollophane Philosopho

deinde

Testimonia oculata Dionysii & Apolophanis Dionys: epist:7 & 11

deinde alia Epistola ad ipsum Apollophanem, conatur eundem ad religionem Christianam adducere, vel potiùs in ea confirmare, potissimũ eiusmodi solius diuinæ potentiæ prodigiis, quę Ethnicorum etiam testimoniiis fuissent confirmata: Sed præcipuè isto circa passionem Dominicã facto solis deliquio: quod vterq; Heliopoli, (quæ etiã appositè Ciuitatem solis sonat) vrbe Ægypti, tunc degentes, cum vidisset, & ad regulas Astrologicas examinassent, conuenerunt, Deum naturæ autorem, vel naturam, extremùm aliquid pati: ipso Apollophane sic tunc diuino potius quam humano instinctu pronunciante. Hæ (ô bone Dionysi) diuinarum vicissitudines (sic vertit Camáldunensis) sunt rerum.

Obumbratio vicissitudinis in Deo secundum carnem passo Iacob:1 ℣ 17

Quibus verbis adaptari potest illud quod scribit B. Iacobus, *apud Deum, qui sit pater luminum non esse transmutationem, neque vicissitudinis obumbrationem.* Tunc enim in Deo carne velato, per exinanitionẽ vsq; ad mortẽ Crucis, facta quasi transmutatione, & in eo qui esset lux mundum illuminans, vicissitudinarie ex vita ad mortem, & demum ad resurrectionem, obumbratione, merito sol etiam ab ipso creatus, adeo prodigiosam vicissitudinem tenebrarum suscepit, & mundo exhibuit. Ex ea demum Dionysii eiusque

Chronicon. Eusebii, in Anno Tyberii 18

August. de mirabilibus Sacræ scripturæ. lib:2 cap:3

socii relatione, tenebras nimirum illas etiam Ægiptum peruasisse, credibile est Athenienses Aram illam Ignoto Deo erexisse. Quod mysterium postea Dionysius à Paulo Apostolo sibi explicatum fuisse, ipse ibidẽ attestatur. sicut & Acta Apostolica luculenter tradunt. Idem factum Chronicon Eusebij magis etiam confirmat his verbis. Scribit Phlegon Olympiadũ egregius supputator, in libro 14 dicens: Magna inter omnes quæ ante eam acciderunt, defectio solis est facta, quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis. Dies hora sexta, ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cælo visæ sint: terræq; motus in Bithynia Nicenæ vrbis, multas ædes subuertit. Hæc ibi. Quoad terræ motum

Plinius hist: naturalis lib: 2 cap:86

Orosius hist: lib: 7 cap 4

adeò memorabilem in Asia, adstipulantur huic narrationi Plinius, & Cornelius Tacitus: Quamuis eorum supputatio diuersum tempus præseferat: tamen Orosius insignis Historicus ad idem de quo nobis sermo est, reuocat, de Domino nostro tempore Tyberii, sic scribens: Patibulo affixus est: maximo terræ motu per orbem facto. Eadẽ quoq; die, ad horã diei sextam, sol in totũ obscuratus: *tetraq;* nox subito obducta terris est: & sicut dictũ est.

Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.

Vsq;

Eclypsis quam horrenda circa Pasionẽ Christi

Vsq; adeò autem, neq; Lunam lumini Solis, neq; nubes obstitisse manifestùm est, vt decima quarta ea die Lunam tota cæli regione interiecta, longissimè à conspectu Solis abfuisse: & stellas tunc diurnis horis, vel potiùs in illa horrenda nocte toto cælo fulsisse referatur. Quod non solùm sanctorum Euangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Deinde subiicit: Sanè Asiæ ciuitates illo terræ motu dirutas, tributo dimisso, propria etiã libertate. (Tiberius Cæsar) donauit. Hæc

Eclypsis illa quã fuerit vniuersalis

Orosius. Ex quibus quæ iam adduximus locis, colligitur, Ecclypsim illam affecisse non solùm terram Iudææ, vt aliqui textui sacro vim inferentes exponunt, sed totam terram, hoc est totũ semisphærium quod tres illæ horæ durationis Ecclypsicæ circũscribebat: quòd ex superioribus testimoniis, Ægyptum etiam & Asiam includeret. Sub hemisphærio autem illo noctem viguisse nemo ambigit: vt hoc modo rectè secundùm Euangelistas verè totam terram tenebræ offudissent. Porrò Theologi, præ-

Eclypsis illa ex ę rationibus prodigiosa

D. Thomas 3 par: quæst: 44 art: 2.

Leges Eclypticæ

sertim D. Thomas. ex testimonio S. Dionysii superiùs adducto in illa Ecclypsi quatuor notat singularia præter morem naturalem miracula: & quintum addit ex S. Chrysostomo. Primum erat ex parte temporis. Luna siquidem solem non potest obscurare, nisi in vicina illi coniunctione: tunc autem decima quarta lunæ, fuit contrario modo eius ad solem oppositio. Secundum ex ratione motus naturalis syderum: Cũ enim luna naturaliter moueatur ab occidente in orientem: tunc visa est Dionysio, rapidissimo motu ferri ab oriente in occidentem, donec soli sese supposuisset. Tertium & quartũ miraculum, in inchoatione & terminatione illius Ecclypsis erat notatũ. Ordinariè siquidẽ, luna incipit adumbrare solẽ ex parte occidẽtali, vnde solet progredi, & perficiendo cursum, versus orientem solem obscurare; vt adũbratione in parte orientali finita, circulũ integrum versus orientem absoluat. Tũc verò luna ex oriẽtali parte solẽ adorta, tribus horis imobilis, motui solis substitit, & postmodum eadẽ via versus orientẽ recurrit: vt duplici miraculo, in orientali solis parte obscurationem, inchoaret simul & terminaret. Quintum miraculum additur

Chrysost: homel: 84 in Matt:

ex B. Chrysostomo: quòd aliæ Ecclypses solent habere sua incrementa atq; decrementa: propterea quòd solis maius corpus à minori lunæ globo, non diu potest totum obscurari: præsertim propter vtriusq; syderis motum se inuicem transcurrentem.

Tunc

Tunc autem obscuratio per totum tempus integra mansit: tum quòd luna preter naturalem occursum arctius fortasse soli imcumberet: tum quòd immobilis ipsa, sed motum solis secuta, obumbrationem eius continuaret. Ad testimonia sacra eius obscurationis, B. Hieronymus applicat obtenebrationem solis & lunæ, quam ex Ioele Propheta B. Petrus in Concione sua die Pentecostes adducit. Sed sicut S. Petrus illam Prophetiam applicat prodigiis cælestibus, quæ efficerent, vt filii & filię Israelis prophetarent, & visiones viderent: Sic reliqua prophetiæ illius manifestè referuntur, ad diem Domini magnum & terribilem, qui propriè dies extremi iudicii censetur. Vt tamen tanti Doctoris & sacratissimi patroni mei maneat autoritas; possumus dicere, passionem Domini fuisse quandam extremi iudicii eiusq; discretionis auspicium, (vt etiam supra ostendimus.) Quod apertę Christus insinuat, quando de sua per mortem clarificatione, signo cælitus accepto sic pronunciauit. *Nunc iudiciū mundi est: nunc Princeps mundi huius eijcietur foras. Et ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* Ad eūdem modū à Caipha ad mortem condemnādus, quòd se filium Dei dixisset, declarat. *Verūtamen ex hoc videbitis filiū hominis sedentē à dextris virtutis Dei, & veniētem in nubibus cæli.* Hęc ibi. Tertullianus Romanis quoq; prodigium illud nō fuisse ignotū obiicit his verbis. Eodem momento dies orbem signante sole subducta est. Deliquiū quoq; putauerunt, qui id quoq; super Christo prædicatum non sciuerunt: & tamen eundem mundi casum relatum in archiuis vestris habetis. Sic ille. Inducit etiam Eusebius Lucium Antiochenum pietate & eruditione eminentem, quondam in disputatione gentibus sic respondisse: Solem vobis ipsum, horum produco testē; qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirite in annalibus vestris, & inuenietis tempore Pilati Christo paciente, fugato sole, interruptum tenebris diem. Hæc ibi. Non latuit hoc mysterium & fatidicas Sibyllas: quarum vna sic cecinit.

Sed manibus pansis cum mensus cuncta, coronam
De spinis tulerit, nec non latus eius arundo.
Fixerit acta manu: cuius causa tribus horis
Nox tenebrosa die medio, monstrosaq; fiet.

Et alia Sibylla.

Ioel an Eclypsim istam præuiderit
Ioel 2 8 ℣
Act: 2 ℣ 17
Hieron: in Ioelis cap: 2
Cap: XX.
Serm: 1 cap' 29
Et Serm: 3 cap: 15
Ioan 12 ℣ 31
Romānis etiam Eclypsis illa non ignota
Tertull: in Apologitico.
Euseb: Cæ: hist: Eccles: lib. 9 cap: 9
Sibyllina de ista Eclypsi vaticinia
Sibylla lib: 1 Oraculorum

Templi autē scindetur velū: & die media, Nox erit in tribus horis. Deniq; libet meditationis tātæ redēptionis gratia, aliqua alia mysteria, ex sacra potissimū pagina depromere. Primò: Verbū illud æternū Dei filius, in creatione mundi quarto verbo *fecerat duo luminaria magna, vt lucerent hominibus, quia omnia quæ tunc faciebat Deus erant valde bona:* Idem verbum incarnatum, in recreatione mundi per suam passionem, quarto verbo suo ex Cathedra Crucis, præmittit obscurationem eorundem maximorum luminarium: quia quæ tunc faciebant circa creatorē & reparatorem suū homines, erant valdè mala. Secundò: Virtute eiusdē Verbi æterni, quod in Iosue nominis sui prænuntio operabatur idem sydus solare protraxerat lucem; quia victoria populi Dei contra hostes visibiles continuabatur: Circa passionem verò Christi; idem lumen seipsum subtrahebat, quia verus Iesus victoriam contra hostes inuisibiles consuāmabat. Tertio: Christo sole spirituali iustitiæ per passionis suæ exinanitiónem obscurato; merito etiam sol materialis propter iniustitiā crucifigentium Dominum gloriæ obumbratur: Quia secundum B. Hieronymum: *Sol versus est in tenebras,* quando pendentem suum Dominum videre non ausus est. Addit verò Beda sic scribens. Videturq; mihi clarissimum lumen mundi, hoc est luminare maius, retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur. Hæc ibi. Quartò: *Christus quamuis lux vera mundum illuminans,* tamen per mortis suæ corporalis occasum, contra Andabatas seu tenebriones infernales pugnaturus, in signum victoriæ ex potestatibus illis tenebrarum, sicut olim in Ægipto ante populi sui liberationem, sic modò etiam ante proximam ex iugo Diabolico populi sui ereptionem, tenebras visibiles atq; palpabiles præmittit. Quintò: sicut tūc veli templi scissura signabat Synagogæ dispersionem, terræ verò tremor cum petrarum conquassatione, populi Iudæorum indurationem & reprobationem: sic potiorum luminarium obumbratio, eorundem cęcitatem & oculorum velamen inuincibile portendere videbatur. Sextò: Primorum istorum syderum deliquium, solet plerumq; mortes magnatum portendere, & prædicare. Optimo ergo iure summi totius mundi Monarchæ & creatoris humanam per mortem occasum, vtrumq; simul istud sydus contra naturæ ordinem denunciat. Concludat tandem ista omnia Eusebius Emessenus sic scribens:

Luminis ac tenebrarum circa creationem & redemptionem collatio
Gen: 1 ℣ 14. 31
In victoria Iesu & Iosue diuerso sol officitur
Iosue 10 ℣ 12
Sole increato obscurato merito creatus obscuratur.
Malach: 4 ℣ 2
Hieron: in Ioel cap: 2. & in Amos cap: 5
Beda in Marci cap: 15
Tenebrę liberationem vt ex Aegypto. sic ex inferno præcedunt
Exod: 10 ℣ 22
Iudæorum cecitas per tenebras patiente Christo signata
Ecclypsis illa mortem summi Monarchæ præsignabat
Psal: 67. ℣ 5

Prodigiorum circa paſsionem Chriſti exaggeratio.
Euſeb: Emeſsen: homel: de latrone beato

bens: Apertè rerum natura perſpicitur cõmoueri, velut in vindictam auctoris ſui velit armari. Terra ipſa concuſſa à fundamentis, quaſi quæ ſuper Crucem Deum vix ſuſtineat, tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Dies refugo lumine quomodo poteſt ſumit lamentum, & fuſco triſtium tenebrarum habitu more lugentis induitur: Et ſicut tota cæli facies Dominicę Natiuitatis gloriam noua luce teſtabatur, ita Crucis iniuriam nouis tenebris deteſtatur. Et quæ durities cordis humani? Væ eis qui inter iſta non credunt. Quandoquidem creatura inſenſibilis, quæ recipere non poteſt credulitatis affectum, dat tunc Deo confeſſionis obſequium. Et cum pro ſolo homine Chriſtus mortuus ſit, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi teſtimonium diuinitatis, ad quam non peruenerunt beneficia paſſionis.

Matt: 27
Marci. 15

Et circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna dicens: Eli Eli lama ſabachtani: quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant: Ecce Eliam vocat iſte.

Ca XX

Pſal: 21 agit de paſsione Chriſti
Iuſtinus Dialo: cum Tryphone.
Inter 7 verba Chriſti iſtud medium maximè notandum.

Hic prmùm notandum eſt ex antiquiſſimo Iuſtino Martyre, verbis iſtis. Dominum tanquam titulo aliquo oſtendere voluiſſe alia etiam, quæ exinde citantur ab Euangeliſtis, ad paſſionem ſuam propriè pertinere. Verba autem iſta inter alia ſeptem quæ Dominus ex Cathedra Crucis pronunciaſſet, ſunt excellentiſſima, & veluti fructus ligni vitæ in medio Paradiſi ſituati. Priora enim & poſteriora, referuntur ad perſonã, & veluti particulares actus, vel ipſius redemptoris, vel aliorum quorum ſingularem curam tunc gerebat. Iſta autem continent myſterium redemptionis noſtrę iam iam conſumãdę per mortem Chriſti, in qua aliquatenus à Deo dereliqueretur, vt mox explicabimus. Iſta fortaſſe ratione Dñus non vtitur vulgato Hæbraico ſermone, vt in aliis verbis: ſed admiſcet (ſecundũ Epiphanium) linguam peregrinam Syriacam, quam Iudęi ipſi, multo minùs verò (vt exponebat Hieronymus) Romani, intellexiſſent, pro Deo inuocato, Eliam intelligentes. Iam enim tunc, ſecundùm Apoſtolum: *Pontifex noſter cæleſtis ingrediebatur interiora velaminis ad ſeipſum pro nobis Deo Patri perpetuo offerendum.* propterea etiam interiora & abſcondita myſteria, voce non vulgo intelligibili enunciat. Quod etiam ex Apoſtolis Catholica imitata eſt Eccleſia, quando Sacroſancti ſacrificij myſterium quo fit conſecratio & oblatio, idiomate Hæbraico

Verba iſta Chriſti cur Syraicè enunciata.
Epiph: contra Ariomanitas
Hebr: 6 ℣ 19
Miſſa cur nõ vulgari ligua peragatur

braico, Græco, vel Latino, quibus tũc Dominus Crucem & Paſſionem ſuam publicari voluit, abſoluere ſolet; vt ſingula hæc alibi locis ſuis explicuimus. Porro ferunt quidam Doctores, & Hiſtoria Scholaſtica atteſtatur, Domino in Cruce iam iam morituro, in cornu ſeu brachio ipſius crucis, adfuiſſe Principem poteſtatum infernalium: ſi fortè poſt tot ſcandala plusquam humana perpeſſa, aliquid etiam iuris ſui in corpus & animam ab inuicem mox ſeparanda inueniſſet. Sed euenit quod initio paſſionis ſuæ prædixiſſet Dominus *Venit princeps huius mundi: & in me non habet quidquam.* Quod atteſtatur Gregorius Magnus, ſic ſcribens: Cogitandum eſt nobis, quam rabidus, quam terribilis, ſua in nobis opera requirens, in die noſtra exitus princeps huius mũdi veniat, ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo nihil ſuum inuenire potuit. Sic ille. Satiùs igitur diabolus ipſe (vt Dominus ad Iob prædicit) illuſus eſt quaſi auis, & quaſi piſcis hamo ex ſua tyrannide extractus. Cui ſimilitudini pulchrè Beda applicat aliam, quando belua maxima volens deuorare Tobiam iuniorem, monitu Angeli ab eo potiùs extracta eſſet ex mari, atq; exenterata in antidotum contra ipſũ diabolum conuerſa. Addit Euſebius. Quum adhuc Chriſti corpus in ligno eſſet ſuſpenſum, circa hunc aerem verſantes incorporeæ poteſtates, circum ipſum quaſi crudiuoræ aues & feræ aduolebantur, & ad mortuum cito futurum ipſius corpus vndiq; confluebant dæmones circum terram in aëre volitantes. Credibile autem eſt, vidiſſe infernas quoq; ac tartareas beluas agreſtes. Et tali malignæ concurrẽtiæ & circumdationi, applicat vlterius illas ſententias, præſertim ex Pſalmis, quas nos ſuperiùs circa cõprehenſionem Chriſti in horto commodius annotauimus.

Chriſtologiæ 2 partis Serm: 11 cap: 1, 17
Diabolus in cruce mortem & virtutem Chriſti explorabat:
Ioann 14 ℣ 30
Gregor: homel 39 in Euan:
Similitudines deuicti & capti diaboli
Iob 40 ℣ 19, 24
Tobiæ 6 ℣ 2
Beda ſuper hunc locum
Euſeb: Cæſarien: Demonſtr: euag: lib: 10 cap: 8
Sermone 1 cap. 19

Cap: XXII

Cæterum quod olim Sathanas præſens cõtra præſentem Chriſtum moliebatur, hoc ipſum modo contra ipſum per membra ſua præcipua, hoc eſt hæreticos moliri, & audere non deſinit. Ipſorũ enim, ſicut olim dęmonũ, agmina confluunt, & in Chriſtũ quomodo poſſunt, ex verbis illius, ſub ſpecie fidei & religionis, blaſphemias & improperia nefanda comminiſcuntur: quando ex verbis præſentibus, redemptorem noſtrum diuinitate naturali ſpoliatum, non ſolùm in ordinẽ creaturę humanum redigũt, ſed etiam (proh nefas) eum ſocium vel potius caput hominum ſceleratiſſimorum conſtituunt, & deſperationi etiam reprobatiſſimi Iudæ

Hæreticorum in Chriſtum ex iſtis eius verbis blaſphemiæ diabolicæ
Vide Robertum Belar: diſputatione de Chriſto lib 4 cap: 8.
Staniſlaum Reſoum in Atheiſmi cap: 4
Apologiam Polonicam Vargocij cap: 3.

mi Iudæ consociant. Indigna sunt prorsus præsenti memoriæ, loco & auribus Christianis, & super dolorem vulnerum addentia verba execrabilia, quæ antiquiores, magis autem recentiores hæretici, in ista sacratissima & mysteriis sacris refertissima Domini verba deblaterare ausi fuerunt; quorum promptuarium sufficeret diligenti auditori vel lectori hic ad marginem adnotasse.

> Christus quomodo in cruce à Deo derelictus prima expositio
> Athanasi: Orat: 1 & 2 cont: Aria: & Serm: 3 & 4 contra eosdem
> Gregor: Nazian: Oratione 4 de Theologia
> Cyrill: de fide ad Reginas
> Ambros: de fide lib: 1 cap: 3.
> August: in hunc locum & epist: 120 cap: 6
> Damasc: de fide lib: 3. cap: 24
> Bern: de passione cap: 12
> 2 Cor: 5 ℣ 21

Quales calumniosas obiectiones, trifariam antiqui Doctores diluebant. Primò quidem Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Augustinus, Damascenus, & Bernardus exponunt, Christum verba ista pronunciasse, non ex propria persona, sed quasi voce hominum peccatorum, quorum culpas tunc exoluebat, & à Deo derelictos, morte sua in gratiam Dei patris restituere extremo agone contendebat. Quam expositionem cōfirmat Augustinus: ex verbis mox in eodem Psalmo sequentibus *Longe à salute mea verba delictorū meorum:* quæ quidem personæ Domini imputare ne ipsi quidē aduersarii præsumerēt. Sed huic expositioni obstat, quod paulò ante ex Iustino Martyre annotauimus, verbis istis initialibus Dominum voluisse ostendere; cætera quæ ex eodem Psalmo circa passionem suam adducuntur, ad se propriè pertinere. Potest tamen subsistere expositio ista sensu Apstoli: Primo quando scribit: *Christum pro nobis factum esse* non peccatorem, sed *peccatum*, cuius nimirum culpa nobis, illi autem pæna volūtariè assumpta inhæreret, quam tunc exoluebat, membra sua (vt inquit B. Leo) ad istam exolutionem & redemptionem in sese transformando.

> Leo Serm: 15 & 16 de passione Dñi
> Colos: 2 ℣ 9

Idem confirmatur ex aliis verbis eiusdem Apostoli, quando dicit: *In Christo inhabitat omnis diuinitatis plenitudo corporaliter.* Nam (vt alibi dicit Leo magnus.) Cùm incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat? Nisi quia caro nostri generis, facta est caro Deitatis: & in illo sumus Deo repleti, in quo crucifixi, &c. Vox ergo ista (sic rursus subinfert) dilectissimi, doctrina est nō querela.

> Filius Dei à Deo derelinqui non potuit

Nā cum in Christo Dei & hominis vna persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, à quo nō poterat separari: pro nobis trepidis & infirmis interrogat cur caro pati metuēs exaudita nō fuerit &c. Addit Ambrosius: Si ipso Dño asseuerāte, anima hominis occidi nō potest, quomodo diuinitas occidi possit.? Cōuenit & August: sic scribēs: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Hæc ex persona sui corporis Christus dicit, quod ē Ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis

> Ambros: de fide lib: 1 cap: 3
> Matt 10 ℣ 28
> August: epist: 120 cap: 6

carnis peccati, quam transfigurauit in eam quam sumpsit ex virgine similitudinem carnis peccati &c. Sic ille. Secunda expositio est Origenis, querelam istam fieri à Domino, per comparationem gloriæ illius quam habuit apud patrem, ad confusionem secundum quam sustinuit crucem. Quod superiùs sic declarat: Quidam colore religionis pro Iesu: & quia non possunt exponere quid sit Christum derelinqui à Deo, arbitrantur & dicunt: Verum quidem est quòd dictum est, tamen per humilitatem dictum est. Nos autem videntes eum qui in forma Dei fuerat constitutus, ab eiusmodi magnitudine descendentem, & semetipsum exinanientem per hoc quod formam serui suscepit, & videns in his voluntatē eius qui ad hæc talia illum misit: Intelligimus quòd quantum ad illa in quibus fuerat forma Dei inuisibilis. & imago secundū patrem, derelictus à Patre est, quando suscepit formā serui, & derelictus pro hominibus, vt talia tantaq; susciperet vsq; ad mortē crucis veniret quæ inter homines turpissima esse videretur, &c. Sic ille.

> Christum derelictum fuisse in cruce à maiestate Diuina
> Origenes tract: 35 in Matt:
> Chrisost: operis in Matt: imperf: homel: 28

Idem colligit Chrysostomus ex verbis Dñi ad latronem. Siquidem homo purus si fuisset, quomodo ducatum ad paradisum præstare potuisset? Sed quia Origenes videtur dicere quasi Christum aliquādo susceptæ semel exinanitionis pæniteret: teste autem Apostolo: *sine pænitentia sunt dona Dei:* securius expositio ista subsisteret, si diceremus Christum in horto pro sua reuerentia exauditum à Deo Patre fuisse, vt calicem quidem mortis biberet, iucundo quasi & facili mortis compendio: quo etiam spectasse intelligimus, consolationem tunc ab Angelo sibi allatam: vt secundùm Apostolum *pro omnibus gustaret mortē.*

> Rom: 11 ℣ 29
> Christus quando in cruce dicēdus derelictus
> Heb: 2 ℣ 9
> Psal: 128 ℣ 8

Iam verò, quando peccatores, non solùm supra dorsum suum fabricassent tormenta varia crucis, sed etiam iniquitatem suam prolongassēt, superadditis infinitis propè contumeliis & improperiis, quorum non esset finis: cùm etiam ipse Dominus de aliis tortoribus etiam & latronibus sollicitus, eos salutariter alloqueretur: *Nemo autem esset, qui in sua afflictione sibi respōderet verbum:* tali quasi necessitate Dñs exēplo iñocentissimi Iob in extrema illa afflictione clamauit: *si quis esset qui respōderet sibi, & ad Sanctum Sāctorum, patrem nimirum suum cælestem conuersus est:* quasi maximè tunc in summo discrimine, oportunius fortasse quam ante hac in horto, consolationem saltem Angelicam exquireret. Quoniam autem cito post vocē hāc agonem suū consumauit, tunc propriè secundùm

> Iob 2 ℣ 13
> Iob 5 ℣ 1

Heb: 5 ℣ 7

cundùm Apostolum *tunc dici potest pro sua reuerentia exauditus.* Constat equidē ex B. Ioannis Euangelio, multa ex dictis & gestis Domini priores Euangelistas omisisse: ipsum verò etiam Ioannem

Ioann: 21 ℣ 23

Solatium cęleste Christo in cruce non defuisse pia contemplatio

non omnia suppleuisse, eò quòd multitudinem eorum quæ scribenda essent mundus non caperet. Quis igitur nouit, si tunc temporis, meliori vtiq; iure, quàm olim in Ægipto (quando mundus malignus & creatori suo iniuriosus densis offundebatur tenebris, Moyses verò cū populo Dei solita luce frueretur,) solus Dominus cum Beatissima matre astāte illiq; coaptato filio Ioanne, & latrone sibi reconciliato, claritate cælesti non fuerit circumfusus? Quis inquam pius non sibi persuadeat, eo tempore quando peccatoribus Dominum suum persequentibus vel abnegantibus, terra contremiscente, plebi quidem malignæ (sicut paulò ante Christo mortem suam prædicēte) concussio, & fragor veluti tonitru quodam audiretur: filio autem in ipsa passionis consumatione, nō minus quā antea in eius denūtiatione, vel Angelus (sicut paulò āte in horto) loqueretur, vel ipsa vox paterna de cælo nō insinuerit, hæc vel similia dicēs? Si mater tua interis, ô vnice fili, potuisset *obliuisci, vt nō misereatur filio vteri sui,* (quod vtiq; non fecit tibi iugiter assistendo) *ego autem non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te. Tu es enim filius meus, in quo & excessu quem ad humanam redemptionem consumas, benè mihi complacui. Ad punctū igitur in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis cōgregabo te: & sicut glorificaui in transfiguratione, sic post triduum magis glorificabo in resurrectione. Si enim posueris pro peccato animam tuam, videbis semen longæuum, & voluntas Domini in manu tua dirigetur, &c.* Eius derelictionis typus quidam adumbratus fuit in oblatione Abrahæ. Postquam enim ille totum comeatum reliquisset, & solum filium immolandum assumpsisset: vox Isaaci imolandi videbatur similis voci Christi quam pertractamus: Dicebat enim: Pater mi. Ecce ignis & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham. Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi. Pręsciuerat enim per fidem Abraham, teste Apostolo, quòd filium quamuis immolatum, ex resurrectione, maiori cum fœnore benedictionis recepturus fuisset. Vtriq; isti expositioni (sic vt dictum est declaratæ) videtur fauere Apostolus sic ad Hebræos scribens: qui (Christus Pontifex æternus) *in diebus carnis suæ, preces & supplicationes ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis*

Exod: 11 ℣ 13

Ioan, 12 ℣ 29

Lucæ 22 ℣ 43

Isaie 49 ℣ 17

Matt: 17 ℣ 5

Isa: 54 ℣ 7

Joan: 12 ℣ 28

Isa: 53 ℣ 10

Isaac imolandi vox quomodo quadrat Christo

Gen: 22 ℣ 8

Cap. XXII

Christus in cruce quomodo in se ipso & in suis membris derelictus

Heb: 5 ℣ 7

& lachrymis afferens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei didicit ex his quæ passus est obedientiam: & consumatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Hic enim verba priora & posteriora ostendunt, quæ Dominus in cruce egisset, tàm sibi quam membris suis, pro quibus pateretur, suo modo posse applicari. Verba tamen intermedia relinquunt difficultatem, quibus dicitur Christum etiam vt filium Dei passum esse, & ex passione experimentum humanæ redemptionis accepisse. Quod vt melius intelligatur, recurrendum est ad ea quæ in primo Sermone huius tractatus diximus de passionibus mortis, quomodo Christum etiam vt filium Dei afficere potuerint. Quibus quædam etiam hic adiungimus. Primò quidem, vellem antiquiores & recentiores isti Christomachi legissent, & legēdo intellexissent receptissimam semper fidei Orthodoxæ regulam, quam inter alios antiquos Theologos luculentissimè tradit Theodoretus in hunc sensum. Scripturę sacrę quædam de Christo tradunt nobis Oeconomicè, quædam Thæologicè. Oeconomia, siue dispositio, siue dispēsatio, & administratio, ad incarnationem & inanitionem præcipuè, Theologicè, ad exaltationem & diuinitatem vnigeniti, pertinet. Multa igitur in diuinis literis veteris & noui Testamenti Theologicè, multa Oeconomicè dicuntur: Et œconomicè dicta, non sunt Theologicis acomodāda. Oeconomicè dictum est. *Audiuit Adam vocem Domini Dei ambulantis, &c.* Et *descendam & videbo si iuxta clamorem qui venit ad me, ea patrētur & perficiciantur. Sin autem vt cognoscam, &c.* Et rursus: *Nunc cognoui quam timeas Dominum, &c.* Et multa huiusmodi alia in veteri Testamēto: In nouo verò *Pater si fieri potest, transeat à me Calix iste, &c. Turbata est anima mea vsq; ad mortem:* Et alia quæ Ariani & Eunominiani, &c. Catholicis & Orthodoxis ad vnigeniti filii Dei Diuinitatem eleuandam, & ἑτεροȣσιον inducendum, perperam obiiciunt. Hucvsq; Theodoretus. Idipsum hæreticis accidit: in verbis præsentibus: *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* quando nimirum non discernunt, quid Theologicè diuinæ naturæ & personæ, quid verò Oeconomicè, carni & animæ, & ipsi naturæ humanę in eadem persona Christi conueniat. Quid quæso hic tergiuersatur humana incredulitas, quā possidet vanitas? cùm non vereatur ipse Dominus dicere: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret?* Et Apostolus: *Filio pro-*

Christus quomodo passus non solum vt filius hominis, sed etiam Vt filius Dei supra Serm: 1 cap 6.

In persona Christi indiuisa naturarum diuersę operationes

Theodoretus Dialogo 2 ἀσυγχύτῳ

Gen: 3 ℣ 8

Gen: 18 ℣ 21

Gen 22 ℣ 12

Matt: 26 ℣ 38

Christus etiam vt Deus pro nobis passus

lio pro-

Ioan: 3 ✝ 16
Rom: 8 ✝ 32

lio proprio non pepercit Deus sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quid enim aliud vult ista emphasis: (*Deus filio proprio non pepercit*) quam vt ista inconuenientia, quæ istos homunculos magis quam ipsum Deũ afficit, exprimatur? A Deo Patre eius proprius vnigenitus pro te traditus est, vtiq; ad diram passionem & mortem, & tu traditi & tormentis affecti vocem veræ passionis pernegas? Audi

August: in expositione 2. Psalm 130

Augustinum sic dicentem: Quia ipsum Verbum caro factum est, & ipsum Verbum crucifixum est: sed non est mutatum in hominem, homo in illo mutatus est. Mutatus est homo in illo, vt melior fieret quam erat, non vt ipsa substantia Verbi conuerteretur. Per id ergo quod homo fecerat, mortuus est Deus: & per id quod Deus erat, excitatus est homo, & resurrexit, & ascendit in cælum. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus: quia Deus erat hominem assumendo, sed non est mutatus in hominem &c.

Similitudines Dei in humanitate patibilis
Epiph: hæresi 77 contra Dimeritas

Vbi Augustinus subiicit exemplum de homine, qui se conscissum queritur quando vestis tantùm eius, corpore illæso, fuerit conscissa. Conformi similitudine vtitur Epiphanius sic scribens: Sicut ex sanguinis respersione tinctura est in vestimento, corpus quidem gestantis non tingit: verùm tinctura vestimenti non ad vestem refertur, sed ad hominem gestantem: Sic etiã passio in Deitatem quidem non incidit, sed in natura humana facta est, &c. Vbi etiam explicat, qualem tales similitudines ex phrasi Diuinæ Scripturæ in rebus etiam diuinis consequentiam vel probationem exhibeãt. Eadem ratione, cùm in scriptura Christus dicatur Sol iustitiæ, & lux mundi: homines autẽ comparen-

Ioan: Damasc de fide lib: 3 Cap: 26

tur arboribus, vt alibi diximus, Damascenus dat aliam similitudinem: quòd sicut in arbore solis radiis circumfusa, securis arborem quidem incidit, radios autem solis illæsos relinquit: sic vnam eandemq; personã filii Dei simul & hominis, passio & mors affecit in humana natura, in diuina verò imutabili & imortali afficere nequaquam potuit.

Athanasius in Symbolo

Sed maximè quadrat similitudo Athanasi & Damasceni ibidem, quã professio Catholica amplexa est: quòd sicut anima rationabilis & corpus vnum compositum seu hominem constituunt, cum diuersis tamen alterius naturæ proprietatibus: Sic Verbum filius Dei & homo, ex integris duabus naturis, vnus quidem, in persona diuina est Christus: sed vtraq; natura non propterea suas amisit proprietates: secundùm quas, & homo passus ac mortuus est, & Deus imutabilis atq; immorta-

Testimonia Orthodoxa Christũ Deum vere passũ
Leo Serm: 17 de Passione

lis, non solùm passioni & morti non erat subiectus, sed etiã quod mortuum esset ad perennem vitam resuscitauit. Sed ex fontibus ipsis Doctores antiquos Ecclesiæ de hoc audire pergamus.

Cap: XXIIII

Præmittat in Sede S. Petri fidei Coriphæus, & discipulus (Leonem magnum intelligo) ipsã fidei propositionem sic dicens: In tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi. Addit Augustinus:

August: tract: 47 in Ioan:
Damasc: de fide lib: 3 Cap: 27

Quid fecit Christi passio? nisi corpus ab anima separauit: animã verò à Verbo non separauit. Superaddit Damascenus, separationem istam Verbi, in corpore etiam contingere non potuisse, sic scribens. Quanquam mortuus est (filius Dei) vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore: non tamen diuinitas ab vtroq; separata remansit, ab anima inquam & corpore Et neq; sic vna hypostasis diuisa est in duas hypostases; Nam & tũc corpus & anima secundum idem à principio in Verbi hypostasi habebant existentiam, & in ipsis in morte ab inuicem separatis vnum quodq; eorum mansit, vnã verbi habens hypostasim. Quare vna Verbi hypostasis: & verbi & corporis fuit hypostasis. Sic ille.

Teodoretũs Dialogo 3 ἀπαθὴς

Magis idipsum declarat Theodoretus. Quemadmodum (inquit) naturam diuinam dicebas de cælis descendisse, filium autem hominis propter eam vnionem vocatũ esse dixisti: Ita ligno quidem carnem esse affixam conuenit dicere: sed diuinam naturã ab eo inseparabilem confiteri, & in Cruce & in sepulchro passionem illinc non suscipientem: (quandoquidẽ nec ad patiendũ, nec ad moriendum sua natura apta est, sed habet immortalem, & impatibilem substantiam.)

Dominus gloriæ quo sensu crucixus.
1 Cor: 2 ✝ 8

Hac vtiq; ratione Dominum quoq; gloriæ crucifixum appellauit: impatibilis naturæ nomen, patibili tribuens: quoniam eius corpus appellatum est. Sic enim Diuinus dixit Paulus: *Si enim cognouissent, haud quaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Crucifixerunt ergo quam cognouerunt naturam, non quam penitus ignorauerũt. Si enim cognouissent, quem nescierunt, non crucifixissent quem cognouerunt. Hæc ille.

Verbum ab anima & carne mors non separauit
Athanas: salutari aduẽtu Christi

Elucidet deniq; magnus ille Athanasius qua de causa & quo affectu, Verbum non solum ab anima, sed etiam à corpore in sepulchro non fuerit tunc separatũ. Sic enim scribit: Sacræ scripturæ, vbi mentionem faciunt de carne, Dei simul & carnis mentionem faciũt, aut Dei qui homo sit factus, sanguinem & passionem & resurrectionem vna commemorant, corpore Dei ex mortuis resuscitato.

Hæreticorum supra Prophetas & Apostolos & ipsũ Christũ presũptio

Vos (hæretici) è diuerso dicitis, quasi qui Apostolis sitis sapientiores, & in mysteriis Prophetis peritiores, grauiores Euangelistis & quasi maioris authoritatis, quàm vel ipse Dominus, ementitia illa vestra in dicendo cautione, abnegata veritate contra diuinitatem gannitis: quum res ipsa liquido pateat, & in cruce declarata sit, & sanguinis è carne profluxione confirmata: non vt tandem segregatio deitatis, sed vt corporis mortificatio ostenderetur: quo tempore diuinitas, neq; corpus in monumento, neq; animã in inferno destituit. Hoc enim est quod dictũ est per Prophetã:

Psal: 15 ℣ 10

Non relinques animam meam apud inferos, neq; dabis sanctum tuum videre corruptionem: ideo quoq; Dominus loquutus est:

Ioan: 10 ℣ 18

Nemo tollit illam à me, sed ego à me ipso illam depono, hoc est, præsens declaro. Quocirca, in animam quidem Christi mors deuicta est, resurrectioq; ab inferis deprompta, & spiritibus annunciata est: in corpore verò Dei corruptio abolita est, & incorruptibilitas è sepulchro emicuit. Quapropter non homo à Deo segregabatur, neq; Deus hominem dereliquit: neq; mortificatio, spiritusq; abscessio transitus erat Dei è corpore, sed animæ à corpore segregatio: Nostra enim mors ibi describebatur. Quod si Deus segregatus fuit à corpore, & ita mors vim suam explicuit, quomodo corpus viduatum ĩmortali Deo, incorruptibilitatem ostendere potuit? aut quomodo Verbum descensum suum ad inferos peregit? aut ab inferis resurrectionem produxit? an scilicet ipsum Verbum in vicem locumq; nostræ animæ resurrexit, vt nostræ resurrectionis imaginem concinnaret. Hactenus Athanasius.

Determinatio quomodo Deus in carne verè passus.

Ca XX

Cũ igitur ex superioribus testimoniis, nulla facta fuerit separatio Verbi nõ solũ ab anima, sed etiam à corpore, & tamen Apostolus asserit filium Dei esse passum, & ex iis quæ passus esset didicisse obedientiam (vtiq; Deus verus in propria carne) ad effectum redemptionis perficiendum: cùm etiam Dominus in hac Oratione, compellet, non Patrem (sicut in aliis duobus verbis faciebat: *Pater dimitte illis, &c.* Et rursus: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:*) sed Deum, & quidem per geminationem: Deus, Deus meus, &c. Puto (saluo tamen contra Sabellianos sensu Orthodoxo) compellari hic non tàm personam Dei Patris, quàm diuinitatem Trinitati communem, signanter autem secundæ personæ, hoc est Verbi æterni, quæ facta esset [b] Emmanuel, hoc est in carne Deus: quasi Dominus morti iam vicinus, humano quamuis & passibili in

Hebr: 5 ℣ 8

Christus qmo moriendo à Deo derelictus

Psal: 21 ℣ 1

b Isa: 7 ℣ 8

stinctu, & maximè tunc *spectaculum factus mundo, Angelis, & hominibus*, proclamauerit, stupendam, & tamen redimendo humano generi necessariam, derelictionem seu separationem diuinitatis, non quidẽ Verbi ab anima ipsa, sicut nec Verbi à corpore, vt dictum est, Sed verbi ab vtriusq; huius vnione, quæ hominem constitueret: quam per triduum illud mortis fuisse verè & realiter dissolutam, vt Christus desineret esse verè homo, B. Thomas de fide Catholica esse demonstrat. Si igitur Agar [c] mortalis & ipsa filioli sui mortem miseram ac deserto deputatam, oculis maternis ferre non potuit: Si sol, luna, & alia elementa, mortẽ creatoris sui & vitę largitoris aspicere non potuerant & auersata sunt: quid mirum, si diuina excellentia, seruato iure vnionis ad vtrãque naturam inuiolabili, extremam & immortalitati diuinæ impossibilem mortis ipsius exinanitionem, quę per separationẽ corporis & animæ fieret, ad modicum tempus, quodammodo auersaretur? Et isto sensu fortasse conciliari possent, Hilarius, Ambrosius, & Epiphanius, qui talem derelictionem diuinitatis seu Verbi referunt, non ad animam Christi in infernis victricem & gloriosam, sed ad corpus in sepulchro, non quatenus veluti [b] grani viua sementina ĩmortalitatem conseruaret, & aliis tribueret; sed quatenus in similitudinem eiusdem grani in terra resoluti, per dissolutionem ab anima, & sepulturam, iura mortis redemptioni humanę necessaria repræsentaret. Porro quòd Dominus in verbis istis ommisit verba eisdem in textu Psalmi annexa. (*Respice in me*) duplex ratio dari potest. Prima literalis, quòd verba ista in Hebræo non habeantur: sed ab interpretibus addita fuissent, declarationis vel maioris emphasis gratia. Deinde ratione mystica, quia tunc in typo Abelis & Caimi Deus iam respexerat ad filiũ suum pro sua reuerentia axauditũ, & ad munera eius: ad Synagogam autem, & munera eius non amplius respexit: quando & templi eius velum à summo vsq; deorsum, ad perpetuam abiectionem discidit. Postremo laudabili contemplatione quidam coniiciunt; Christum in cruce pro nobis sacrificium offerentem, eius quasi officium laudis, & gratiarum actionis meditando, inchoasse ab initio Psalmi vigesimi primi, & cõtinuasse ad Psalmi trigesimi versiculum sextum: vt nouem Psalmi responderent integro diei officio, vsq; ad officium horę Nonę, circa quã Dominus postquam dixisset: *In manus tuas commendo spiritum meũ:*

1 Cor: 4 ℣ 9

Christus per triduum mortis suę non erat verè homo

S. Thom: 3 parte quęst: 50 art: 4

Vide Franciscum Maiıones 4 Sent distinct: 2 quæst: 2 art: 5

Et in Serm: de Resurrectione Domini

c Gen: 21 ℣ 16

Christus quo sensu dicatur fuisse in morte quoad corpus derelictus

Hilarius Canone 32 in Matt:

Ambros: in Luc: lib: 10 cap: 24

Epiph: hæresi 42

Et in Ancoratu

d Ioann: 12 ℣ 24

In Psal: 21 ℣ 1 an Christus quid omisserit & cur

Gen: 4 ℣ 4

Christũ in sui oblatione Psalmos meditasse, pulchra contẽplatio

Psal: 21 &c.

Psal: 30 ℣ 5. 6 &c

expirauit. Certè cùm dicat Euangelista, Christum emissa voce magna expirasse; verba autem ista ex Psalmo desumpta fuerint vltima: probabile est Dominum priora etiã ex Psalmis addidisse ad continuandam orationem, de qua Apostolus sic scribit: Qui

Heb: 5 ✠ 7

(filius Dei) *in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Hæc ibi. Nec incongruũ fuerit, amplius hic etiam speculari. Quòd nimirum latro beatus, quasi in

Latro B. quasi minister sacrificij Christi.
Psal: 30 V. 6, 19 20. &c.

ministerium Sacrificij Christi præparatus, ac diuinitùs inspiratus, mortuo Domino, verba eius exceperit, & ad finem Psalmi perduxerit. Optimè enim sibi consonant verba mox seqnentia: *Redemisti me Domine Deus veritatis:* & alia eiusdem contextus: præsertim vbi dicitur. *Nec conclusisti me in manibus inimici; statuisti in loco spatioso pedes meos.* Ibi enim videtur esse quædã allusio transitus stupendi ex cruce in Paradisum. Dici etiã potest latronẽ beatũ dum viueret, pronunciasse verba consequentia suæ maiori afflictioni per fractionẽ ossium accomodata: postquam autem expirasset, in anima, gloriam Paradisi consociatione Christi iam adeptam celebrasse sequentibus verbis, à versu, vigesimo: vbi dicitur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te &c.?* vsq; ad finem Psalmi: quę apprimè proposito conueniunt.

Matt: 27
Marci: 15
Ioan: 19

Postea sciens Iesus, quia omnia iam consũmata sunt, vt consumaretur scriptura, dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hysopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Continuo (enim) currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Cæteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum.

Sitis naturalis in Christo crucifixo ratio

Verbum istud Domini in cruce quartum in ordine est: Ex quo quatuor etiam obseruabimus. Primò quidem. Vsitatum est hominibus extremo vitæ laborantibus, non cibum expetere, sed potum: qui faciliùs & citiùs digestus, deficientem refocillet. Nõ mirum igitur est Dominum tantis cruciatibus, vulneribus, & sanguinis profluxionibus exhaustum, corporalem per potum refocil-

Potus cur non ad releuationẽ, sed afflictionem Christi ministratus
Gen: 21 ✠ 19

liationẽ postulasse. Sed an in isto etiã exiguo beneficio, ô Deus filium tuum dereliquisti? Agar ancillę filiolo siti in deserto morituro, Angelus à te missus puteum refocillationis præparauit.

Populus

Num: 20 11
Iudicum 15 ✠ 1

Populus in deserto tibi alioqui rebellis, aqua ex petra educta affatim potatur. Samson post victoriam siti languescens, fonte ex dente asini subito exorto recolligitur. Isaias Propheta (vt refert Epiphanius) per Manassem Regem serra per medium disse-

Isaias in martyrio potu miraculoso refocillatus
Epiph: de vita Prophetarum cap: 7

candus, aquæ Siloe exitum impetrauit, qui non solũ suæ necessitati, sed futuris etiam miraculis deseruiret. Tale inquam beneficium, tu Deus, filio denegas, vel ipse sibi potiùs adimit, vt non ampliùs prolongatam, sed potius acceleratam, mortem exolueret, per quam sitim æternam extingueret, & vitam perennem re-

Christi potus contra animarum periculum
2 Re: 23 ✠ 17

stitueret. Quemadmodum enim Dauid aquam post agmina hostium sitam ardentissimè expetitam, per fortissimos milites sibi allatam, bibere noluit, sed in libationem coram Deo effudit, ne sanguinem seu periculum animarum militum illorum biberet. Ad eundem modum Christus noluit sibi sitienti potum aliquem refectionis ministrari, tantumq; sitis ardorem, cùm aliis tormentis Deo Patri potiùs libauit, & obtulit, potum autẽ amarissimũ & exitiosum aceti felle mixti adhibuit: vt cibo lethali in Para-

Deut: 32 ✠ 32

diso per primum Adam degustato, secundus ipse Adam, potum culpæ eidem correspondentẽ, qui esset secundùm Prophetam *vua fellis, & botrus amarissimi,* quasi in salutis antidotum degusta-

Cibum & potum Adæ Christus correxit in cruce
Irenęus lib. 5 cap: 23

ret. Conuenit huic proposito, quod antiquissimus Irenæus prodidit sic scribens: Recapitulans enim vniuersum hominem in se ab initio vsq; ad finem, recapitulatus est & mortem eius. Manifestum est itaq;, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus, obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. In qua

Feria sexta Adam cecidit. & Christus nos redemit
Gen: 2 ✠ 17

autem mortuus est, in ipsa & manducauit. Dixit enim Deus: *In qua die mãducabitis ex eo, morte moriemini.* Hũc itaq; diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad passionẽ pridie ante Sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est, secundã plasmationem eam quæ est à morte, per suam passionem

Vinum aromaticum morte afficiendis dabant Hebræi
Lyranus in caput Matt: 27
Porchetus in victoria contra Iudæos parte 1 cap: 6
Prou: 31 ✠ 6

donans. Hæc ille. Altera istius potationis consideratio affertur à Lyrano, & ex traditione Hebræorum, confirmatur testimonio antiquiori hic adnotato. Magistratum Iudæorum ex obseruatione illius sententiæ apud Salomonem. (*Date siceram mœrentibus, & vinum ijs qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*) statuisse, vt supplicio & morte afficiendis, exhiberetur vinum cum incẽso seu thure, & aliis aromatibus pręparatum, vt tormenta æquius tolerare possent.

Quale

Quale vinum fæminas deuotiores ſolitas fuiſſe conficere, & fon-
tibus ſubminiſtrare: quod etiam importuna & præpoſtera miſe-
ricordia mulierculæ Chriſtianæ imitari conſuerunt Vinum
igitur tale Domino etiam fuiſſe miniſtratum, inſinuat S. Marcus

Vinum myrhatum quale Marci.15 ✠ 23

vinum myrhatum vocans, quod à mulieribus plangentibus eum
ſubminiſtratum fuiſſe probabile eſt. Sed dicunt ſupra dicti autho
res, vinum tale epotaſſe ipſos carnifices, & vinum ſeu acetum
cum felle mixtum ſubſtituiſſe, quo cruciatum Domino etiã adau-
gerent: Cui facto (neſcio tamen quam aptè) accomodant illam

Amos 2 ✠ 8

prophetiam ex Oſea: *Vinum damnatorum biberunt in domo Dei ſui.*
Tertio: Acetum iſtud hyſopo in ſpõgia applicatum, inſeruire po
terat ad ſanguinis fluxum continendum, per quod pæna Domino
noſtro, ad inferẽdas tot improperationes productior reddere-

Plinius hiſt: natural: lib: 23 cap: 1 Dioſcor: lib 5 cap: 17 & 96

tur, & tandem vrgente Paraſceue, crurifragio à Iudæis inten-
to conſumaretur. Siquidem hæc omnia ſiue pota, ſiue applica-
ta, cõpeſcendo ſanguini conuenire, Plinius & Dioſcorides tra-

Prophetias reliquas ante mortem conſumauit Chriſtus

diderunt, Quarta conſideratio magis fortaſſe conuenit literæ
& propoſito: Chriſtum exauditum pro ſua reuerentia, reſpon-
ſum cæleſte redemptionis per mortem mox ſubſecuturam acce-
piſſe, dummodò reliquum quod per Prophetas prænunciatum

Ioan: 19 ✠ 28

eſſet, compleretur. *Vt igitur* (teſte B. Ioanne) *Scriptura quæ eſſet re-
liqua compleretur,* per vocem Sitio, ei adimplendæ ſuæ potationis
cauſam ſubminiſtrauit: vt reliquis duobus verbis paſſionem con-

Sitis ex ardore extremæ charitatis in Chriſto

ſumaret. Quinta conſideratione, comuniter Doctores vocem i-
ſtam referunt ad experiendum ardorem charitatis propter cõ-

Ioan: 13 ✠ 1 Lucæ 12 ✠ 49

ſumandam humani generis ſalutem, qua ſecundùm S. Ioannem,
in finem, hoc eſt in extremo vitæ, *ſuos maxime dilexiſſet:* Sicut etiã
multò ante prædicebat dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid
volo, niſi vt accendatur? Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor
vſq; dum perficiatur?* Præclarè ad hoc propoſitum S. Bernardus:

Potationis Chriſti in cruce inſigne myſterium Bernardus de paſſione cap: 13

Quid (inquit) eſt hoc? Antequam guſtes, ô bone Ieſu, petis ca-
licem omnino auferri: & poſtquam ebibiſti, ſitis. Vt video, mira-
bilis potator es tu. Et cùm hæc amplius explicaſſet, & ad imita-
tionem noſtram accommodaſſet, ſic ſubiciit: Quando paſſionis
calicem, quem antea rogaueras auferri, exhauſiſti, dixiſti, Sitio:
dilectionis tuæ in nos magnitudinem cõmendans: tanquam di-
ceres: Quamuis paſſio mea tam acerba fuerit, & quantum ad hu-
manitatis ſenſum illam declinare petiuerim: tamen tua ô homo,
charitate

charitate me vicente, & ipſa tormenta Crucis ſuperante, adhuc
plura & maiora, ſi neceſſe ſit ſitio ſubire tormenta. Nihil enim
eſt quòd pro te detrectem pati, pro cuius precio animam meam

Exhortatio ad imitationẽ charitatis Chriſti & pro ipſo patientiam

pono. Incitetur ergo quælibet anima ſponſum ſuum dulcem Ie-
ſum. tantæ amaritudinis poculum ſitientem pro ipſa pariter &
ebibentem, & ſicut ille, ita ipſa etiam pro ipſo ebibat per aduer
ſa præſentia: Sitiat quoq; & dulciſſimum ſponſum ſuum cuius dul
cedinem ex amaritudinibus præſentibus melius poterit cõſide-
rare: maliſq; exhauſtis propter eum, confidentiùs ipſam ſentire

Pſal: 41 ✠ 2

poterit, & dicere cum Propheta: *Sitiuit anima mea ad Deum fon-
tem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et iterum: *Si-*

Pſal 62 ✠ 2

tiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea? Hactenus Ber-

Fons charitatis ex Chriſto in typo Samſonis. Iudicum 15 ✠ 19

nardus. Obſeruatione quoq; dignum eſt, fontem illum quo mi-
raculosè ex maxilla aſini mortui potatus eſſet Samſon, ob peren-
nem memoriam appellatum fuiſſe, *Fons inuocantis ex maxilla.* Eo-
dem namq; Symbolo, debet nobis eſſe comendatum præceptum
Charitatis, quod ipſe nouum & proprium nobis cõmendaſſet te-
ſtamento ſuo, non ſolùm in Cæna vltima incruento, ſed etiam in

Verba Chriſti cur quidam de inuocatione Eliæ intellexerint

ipſo cruento, quando quaſi ex maxilla corporis ſui ferentis pec-
cata mundi, iſtum nobis fontem ſcaturientem emiſit. Poſtremo:
quod verba Chriſti, turba de Elia inuocato intellexerit, ratio da
ri poteſt, quòd ſicut Scribæ & Doctores Iudæi improperia Chri-
ſto inferebant, ex ſcriptura, ad eum modum qui à Salomone fu-

Sapient: 2 ✠ 18

iſſet prædictus: *Si verus filius Dei eſt, ſuſcipiet eum, & liberabit eum
de manibus contrariorum. Contumelia igitur & tormento interrogemus e-
um, &c:* ſic vulgus Iudæorum cum militibus gentilibus putabant
ſecundùm morem Hebræorum, Dominum inuocare auxiliũ cæ-
litus ab Elia, quem in cælum viuum raptum non potuerunt igno-
rare. Et fortaſſe aliqui erant, qui de apparitione Eliæ circa
transfigurationem Domini aliquid audiuiſsẽt: vt tũc tale patro-

Blaſphemias in Chriſtum crucifixum elementa uindicabant Serm: 10 de Paſsione

cinium Dominũ exquiſiuiſſe arbitrarentur. Sed his vocibus ve-
ſtris ô Iudæi (inquit Leo magnus) ſtultis & blaſphemis, reddunt
omnia elementa reſponſum, & vnam in vos ſententiam ferunt,
cælũ, terra, ſol, ſyderaq;, indignos vos ſuo miniſterio proteſtãtes
terribili motu inſolitoq; defectu, tenebras mundo veſtræ cæci-
tatis offundant. Hæc ille.

Cap: XXVI

Ioan: 19

Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum: dixit: Conſummatum eſt.
Vel ipſum iſtud verbum Domini in Cruce, quod quintum in or-
Ee dine

Opus sicut creationis sic redemptionis, sexto die completum

dine est, arguit, ad cōplendū opus redēptionis per mortē, istam sitim, & potionē de qua modò diximus, reliquā fuisse, & veluti colophonem eorū quę per Prophetas prænūciata essent, extitisse. Quemadmodum em̄ Verbum illud ęternum in creatione mūdi *sexta die cōsumauit omne opus quod fecerat:* Sic in reparatione eiusdē mundi, illud ipsum Verbum incarnatum, opera redēptionis quę per totum incolatus sui tempus exercuisset, sexta etiam die Parasceues conclusit & consumauit. Qualem consumationem Dominus aliquoties clarissimè prædicebat dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consumabuntur omnia quæ dicta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur.* Petri etiam gladium se deffendere volētis remandauit in vaginam dicens: *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Et post suam gloriosam resurrectionem idipsum cofirmat, sic dicens: *Oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis & Prophetis & Psalmis de me.* Et Apostolus in Concione sua ad Iudæos: Qui (inquit) *habitant in Ierusalem, & Principes eius, hunc (IESVM) ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt, & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumq́; consumassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento, &c.* Et alibi sic eosdem Iudæos edocet. *Decebat autorem salutis per paßionem consumari. Et consumatus* (scribit postea) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Omnis igitur istius consumationis quasi respiciendo finem,* aliis etiam hoc ipsum contestatum esse voluit, per vocem istam, *Consumatum est.* Apposite quidam ex recentioribus Scriptoribus hoc explicuit in hunc modum, Consumatum est (inquit) quicquid æterna sapientia constituerat: quicquid iustitia rigida pro singulis quibusq; exigebat: quicquid charitas amāter poscebat: quicquid erat promissum Patribus; quicquid mysteria, figuræ, cæremoniæ, & scripturę præsignarūt: quidquid ad nostram redēptionem erat accomodatum, ac necessarium; quicquid in nostris abolendis debitis erat cōducibile: quæcunq; ad nostras explendas resarciendasq; negligentias conferebant; quicquid gloriosum, atq; amicabile esse poterat, ad sublimem demonstrandum amorē; quæq; pro nostra spirituali institutione, ac informatione desiderare potuissemus: quicquid demùm honestum, atq; congruum erat glorioso mirificæ redmptionis nostræ triumpho celebrando atq;

Gen: 2 ℣ 2

Matt: 20 ℣ 18

Matt: 26 ℣ 52

Lucæ 24 ℣ 44

Act: 13 ℣ 27

Heb: 2 ℣ 10

Heb: 5 ℣ 9

Psal: 118 ℣ 96

Cōsumauit Christus in cruce quæ & quanta

Taulerus de passione Domini

atq; victoriæ: cuncta hæc isto sunt determinata verbo: *Consumatū est:* Hęc ille. Videant ergo quantū ineptiant moderni hæretici: qui vocem istam Dn̄i, *Consumatum est*, contra abolitionem sacrificii iugis & incruenti detorquent: quasi Dominus eò vocem istā dirigeret, vt nullus amplius sacrificii præter illud quod tunc consumaret Dominus relinqueretur modus. Quem errorem satis in secunda parte istius de Christo tractatus in assertione Sacrificii Missę confutauimus. Quin potius si spectemus cōtextum literæ, verba ista referri debeant, ad præteritum verbum, *Sitio.* Quod cum Christus consumauerit, mirum est illos sitim suam nō posse extinguere, quin importuna calicis in Cæna Domini vendicatione, statum Christianorum maximè turbare non desinant. Porrò superstitiosum esse videtur. quando verba ista, *Consumatum est*, describi solent ab aliquibus in corpore hominis sanguinis nimium fluxum pacientis, ad sistendū eiusmodi cruorem: Siquidem verba ista nullum ad sanguinē Christi respectum habuerint. Quin potiùs post eorum elocutionem, Christo quamuis iam mortuo latus lancea transuerberatum sanguinem reliquum emisisset.

Hæretici quam ineptè vocem consumatum est abolitioni missę detorqueant

Christologię parte 2 Serm: 6 & deinceps

Et Serm: 18 cap: 28

Christus consumauit in cruce calicem, quem tamen vrgent hæretici

Ioan: 19 ℣ 28

Abusus verborū Consumatum est

Iesus autem iterum clamans voce magna ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

Lucę 23

Cap. XXVII Vltima ista Christi locutio dicitur à S. Luca *vox magna:* quæ & mortem voluntariam non coactam præsidente carni diuinitate contestaretur (siquidem naturaliter morituros, nō solùm clamor, sed sermo etiam & sensus deficere solet) & quę dispositionem rerum post mortem gerendarum præscriberet. Si em̄ Petrus officii Christi Vicarius, circa prædictionē sui obitus, dispositionē & regimen Ecclesię indeficiēs in seipso pręsignauit: magis hoc ipsum fecit ipsum Ecclesiæ & Petri ipsius caput, vt *inter mortuos liber,* gesta sua, dissolutionem animę à corpore subsequentia, pręsignaret. Suppllicat ergo tanquam homo iam iam moriturus, & commendat, non spiritum diuinum, quem compellatione patris ab illo indiuisum & paris immortalitatis esse insinuet (vt etiam Beda in hunc locum obseruat) sed spiritum humanum, quatenus per mortem à corpore ad modicum, ad perficiendam redemptionis humanæ victoriam separabatur: vt etiam veram & carnis humanitatem, & humanitatis mortalitatem, extremè contestaretur: iuxta illud quod scriptum est: *Reuertetur puluis in terram suam vnde erat: & Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Nam secundùm illud

Psal: 30 ℣ 6

Christi in expiratione qualis vox magna

Lucæ 23 ℣ 46

Dispositio ante mortem Christi perfectissima

2 Petr: 1 ℣ 15

Psal: 87 ℣ 5

Spiritum quem Christus Patri cōmendat

Beda in hęc verba

Ecclesi: 12 ℣ 7

Christi animę & corporis post mortem status

istud decretum; in persona Christi, propter indiuisam assistentiam Verbi æterni, corpus quidẽ rediit ad similem incorruptionẽ, qua in vtero virginali per operationem Spiritus sancti conceptum esset: Spiritus autem seu anima, rediit ad illam beatitudinis gloriam, quam ab initio ortus sui habuisset, eoq; expedicitùs, quo onere vel potiùs iure carnis exoluto, liberiùs cælestia exciperet. Hoc à Dauide in spiritu fuisse pręuisum atq; prænunciatum, Princeps Apostolorum in prima sua post Christi resurrectionem Concione conuincit: ex verbis illis: *Prouidebam Dominũ in conspectu meo semper: quoniam à Dextris mihi est, ne commouear. Propter quod lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Ista namq; verba (vt ibidem exponit S. Petrus) nec Dauidi, nec cuipiam mortali, applicari possunt, qui omnes post mortem experti fuissent corruptionem; sed Christo, qui solus *inter mortuos liber*, & in anima ex hostibus infernalibus triumphauit, & in corpore mortis corruptionem ad vitam immortalitatis, *per vias vitæ* rouocauit. Cõmendat igitur Dominus in manus potentiæ diuinę Patri, præcipuè animam suam, in qua mox hostes infernales debellandos esset agressurus; vt spiritui humano, Spiritus diuinus *à dextris assistens*, non patiatur illum tàm passionibus quàm potestatibus infernalibus commoueri; sed reportata victoria, & subsecuta cordis lætitia ex sanctarum animarum ex limbo liberatione, *caro quoque Christi animæ victrici mox restituenda, requiescat in spe* imminentis resurrectionis: quæ spes aliis quoq; Sanctorum corporibus cõmunicaretur, quãdo certæ futurę resurrectionis specimen, in apertione sepulchrorum per terræ motum, viua apparitione exhibuissent. Rectè igitur aliqui expositores sacri, hęc verba asserunt Dominum in persona etiam membrorum suorum pronunciasse. Quod confirmant verba sequentia, in eodem Psalmo: *Redemisti me Domine, Deus veritatis.* Et totus ferè Psalmus ab initio agit, de Christi humanitate, in qua veluti in capite, corpus Ecclesiæ suæ per gratiam resurrectionis glorificari debuerit. Sic & verba proposita (inquit Theophilactus) ex tunc Christus voluit nobis declarare, quòd Sanctorum animæ in manus Dei ascendunt. Nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit qui prædicauit captiuis

Act: 2 v. 32
Psal: 15 v. 8
Psal: 15 v. 10
Psal: 15 V. 8
Christi animę cõmendatio in mẽbra fidelium redundans
Psal: 30 V 6.
Theophilactus in Marci caput 15

captiuis remissionem. Sic ille. Per illam enim victoriam Christi limbum fuisse prorsus sublatum, recta consecutione aliqui asserunt. Hanc enim vocem Dominus initiauit Sanctis suis pro se vel in se morientibus, quam Sanctus protomartyr Stephanus breui post imitatus fuisset, quando lapidibus obrutus dicebat: *Dñe Iesu, suscipe spiritũ meum.* Hac etiã ratione Ecclesia, laudis diuinæ complementum tali formula frequẽtare solet: vt populus fidelis vitæ suæ cõplementum nocti tenebrosæ accõmodatum, ad hanc deprecarionem dirigere meminerit. Istis etiam verbis, quibus Christus Deo Patri suo, vltimo quasi testamento commendasset, seu legasset animam suam, possunt addi reliqua quæ etiam charis suis veluti testamẽto reliquisset. Quę B. Bernardus sic recensuit. O quã munificus factus es in nuptiis tuis rex & sponse bone Iesu? Quàm largè quæ habuisti omnia tradidisti? Ecce ipsis crucifixorib: tuis orationis affectũ: latroni paradisũ: matri filiũ: filio matrem: mortuis vitam; manibus patris animã tuã; toti mũdo signa potentiæ tuę, contulisti: pro redimendo seruo, non ex parte, sed totum sanguinem ex multis & largis foraminibus effudisti: proditori tuo reatus sui pænam, terrę corpus non corrumpendum, sed ad tempus, reddidisti. Concludat idem deuotissimus Pater ista septem nostri redemptoris verba, sic scribens: Respice in faciem Christi tui, ô anima Christiana, & eleua oculos tuos ad tormenta illius non sine lachrymis, & cor contritum non sine singultu: & vide quantam tribulationem & dolorem inuenit, dum quæreret te, vt inueniret te. Laxa igitur oculos tuos, vt respicias in faciem Christi tui. Ausculta auribus arrectis, sed in dolore tanto, quòd proferat verbũ: & semel auditum, pro preciosissimo recõde thesauro in cubiculo cordis tui. Ecce positus est hic in immiti lectulo mortis suę, crucem dico. Extrema sponsi tui mandata conserua, si vis hæreditatem incoinquinatam & imarcessibilem obtinere. Nec multa sunt quæ moriens locutus est, facilè seruabuntur à voluntaria Christi sponsa. Sic ille.

In manus tuas Domine cõmendo spiritum meum vox membrorum Christi
Act: 7 v 59
Christus in cruce quasi testamento quæ & quibus legauerit
Bernar: de passione Dñi Cap: 10
Conclusio tractatus de septẽ verbis Domini
Bernar: de passione cap: 10 & 7

Et hæc dicẽs, emissa voce magna, & inclinato capite tradidit spiritũ.

Cap: XXVIII Hactenus Sacri Euangelistæ mortem Christi aliis narrationibus veluti tergiuersatione quadam Dei morituri protrahentes, ingerunt nobis illum D. Hieronymi in simili dolore affectũ, quẽ sic expressit. Quid agis ô anima? Cur ad eius mortem venire formidas? Iam dudum prolixior, liber cuditur, dum timemus ad vltima

Marci 15
Lucæ 23
Ioann: 19
Deum mori etiã effatu arduum
Hieron; in Epitaph. Paulæ

tima peruenire: quaſi tacentibus nobis, & (liceat nobis ſic accomodare) in paſſionibus eius occupatis, differri poſſit occubitus? Sic ille. Quid igitur plura? Ecce *Vita* in ligno moritur: *& eſt pendens ante oculos noſtros: Ecce quomodo moritur iuſtus, & nemo ex populo eum negante percipit corde. Ecce Deus Pater cæleſtis filio proprio non parcit, ſed vt ſeruū redimeret, tradit filiū vſq; ad mortē, mortem autē crucis. Ecce quomodo cecidit potens, qui ſaluum faciebat populum Iſrael. Sed quid? Nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat? Catulus Leonis Iuda ad prædā expoliandi tartari deſcendens, accubuit requieſcens, accubuit vt Leo, quis ſuſcitabit eum? Verè Leo rugiens dedit vocem ſuam.* Quis enim (ſcribit Auguſtinus) ita dormit quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando voluit? Quanta ſperanda vel timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis? Sic ille. *Nequaquam vt ſolent mori ignaui mortuus eſt noſter Abner*: quod interpretatur lucerna patris, etiam tunc in candelabro Crucis conſtituta, vt luceat omnibus qui in mundo ſunt. Moritur quidem vt homo, quia ſine eius morte non viueret homo: ſed viuificam virtutem conteſtatur vt Deus: primo voce, clamore valido emittens animam: geſtu ſenſibili, quando non quia mortuus caput inclinat, ſed inclinat tanquam volens moriturus: vt non tàm ſenſibus deſeratur, quàm ipſe volens ſenſus deſerat. Idipſum oſtendit, ipſo expirationis modo *Nemo enim* (vt præmonebat ipſe) *tollit ab illo animam: ſed ipſe poteſtatem illam ponendi, & rurſus aſſumendi*, re ipſa oſtendit, quando præſciens expirat, & emittit volens, & tradit amans, ſuum pro nobis ſpiritum, vt antiquiores quoq; expoſitores obſeruarunt. *Clamat ergo bonus Ieſus, ſed non ad inſipientiam ſibi. Quin potiùs Sapientia clamitat in ſummis excelſisq; verticibus (crucis) ſupra viā in mediis ſemitis ſtans iuxta portam Ciuitatis, immolando victimas ſuas, ponendo menſam, & miſcendo potum ex proprio latere, ſi quis paruulus & ſenſibus inſipiens*, ex eadem menſa ſalutifera participet. Clamat etiam & profitetur, *ſe eſſe vermem, non hominem*, quia per ſeparationem animæ, hominem ad breue tempus exuens, verus Dauid, *& ſapientiſſimus princeps, ex cathedra crucis profert verba nouiſsima: & tenerrimus ligni vermiculus, octingentos interficit impetu vno.* Ecce vermis ſeu ſerpens, vt mederetur veneno per infernalem draconem homini illato, ex ligno non ampliùs ſcientię boni & mali, ſed ex ligno vitæ, fructum vitalem credentibus & obtemperantibus ad ſalutem ſibi ſubminiſtrat. Ecce quomodo ipſe Nicodemū erudierat,

Luctus Christi mortui Epitheta ſacra
Deut: 28 ℣ 66
Leo Serm: 8 de paſsione Dñi
Iſaię 57 ℣ 1
Philip: 2 ℣ 8
1 Machab: 9 ℣ 21
Pſal: 10 ℣ 9
Gen: 49 ℣ 9
Auguſt: tract: 120 in Ioānem
Chriſti mors fortiſsima & ſpontanea
2 Reg: 3 ℣ 33
Lucæ 11 ℣ 33
Ambroſ: in Lucā lib: 10 cap: 24
Chriſoſt: homel: 84 in Ioannem
Cyril: in Ioan: lib: 12 cap: 36
Athanaſ: ad Antioch: quęſt: 76
Ioan: 10 ℣ 18
Pſal: 21 ℣ 8
Prou: 8 & 9
Chriſtus qmo vermis non homo
Pſal: 21 ℣ 7
2 Reg: 23 ℣ 1, 8
Gen: 3 ℣ 1

rat, ſpecies ſerpentis ligno appenſa, ab ignitis ſerpentū infernalium, morſibus, fide in ſe aſpecientes liberat & perſanat. Tunc demum exactum eſt (vt ipſe paulo ante prædixerat) iudicium mundi: tunc princeps mundi eiectus eſt foras: & ipſe exaltatus à terra omnia traxit ad ſeipſum. De quo Leonem illum Magnum ſic partem iſtam Sermonis grauiſſimè concludentem audiamus. O admirabilis (inquit ille) potentia Crucis: O inefabilis gloria paſſionis: in qua & Tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi. Traxiſti enim Domine omnia ad te, & cum expandiſſes tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti Domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici ſceleris, vnam protulerunt omnia elementa ſententiam: cum obſcuratis luminaribus cæli, & conuerſo in noctem die, terra quoq; motibus quateretur inſolitis, vniuerſaque creatura impiorum ſe vſui negaret. Traxiſti Domine omnia ad te: quoniam ſciſſò templi velo, ſancta ſanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt: vt figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium, verteretur. Traxiſti Domine omnia ad te: vt quod in vno Iudæę templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno apertoq; Sacramento vniuerſarum vbiq; nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt vnctio Sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credētibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante. omnes differentias hoſtiarum, vna corporis & ſanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, & ita in te vniuerſa perficis myſteria: vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gēte ſit regnū. Cōfiteamur igitur dilectiſſimi, quod beatus Magiſter gentium Paulus Apoſtolus glorioſa voce confeſſus eſt dicens: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Hinc enim mirabilior eſt erga nos miſericordia Dei, quòd non pro iuſtis neq; pro ſanctis, ſed pro iniquis & impiis *CHRISTVS* mortuus eſt, & cum mortis aculeum recipere non poſſet natura deitatis, ſuſcepit tamen naſcendo ex nobis, quod poſſet offerre

pro nobis

Ioann: 3 ℣ 14
Num: 21 ℣ 9
Chriſtus in cruce exaltatus qmo traxit omnia ad ſeipſum
Leo Serm: 8 de paſsione Dñi.
Iſa: 65 ℣ 2
Matt: 27 ℣ 51
Legis nouæ ſupra antiquā vbertas
Sacrificii Euangelici excellentia & efficatia
Ioan: 1 ℣ 29
Exortatio ad capiendos fructus paſsionis Chriſti.
1 Timoth: 1 ℣ 15

pro nobis. Olim enim morti noſtræ mortis ſuæ potentiam mina-

Oſeæ 13 ℣ 14

batur, dicens per Oſeæ Prophetam: *O mors, ero mors tua, & ero morſus tuus inferne,* Sedes enim inferni moriendo ſubiit, ſed reſurgendo diſſoluit, & ita perpetuitatem mortis incidit, vt eam de

1 Cor: 15 ℣ 22

æterna faceret temporalem. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur.* Fiat itaq; dilectiſſimi quod

2 Cor: 5 ℣ 15

Apoſtolus Paulus ait: *vt qui viuunt, iã non ſibi viuãt, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit.* Et quia vetera tranſierunt, & facta ſunt omnia noua, nemo in carnalis vitæ vetuſtate ramaneat, ſed omnes de die in diem proficiendo, per pietatis augmenta reno-

In pietate vel proficitur vel deficitur

uentur. Quantumlibet enim quiſq; iuſtificatus ſit, habet tamen, dũ in hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit, & melior. Qui autem

Apparatus ad participandam reſurrectionem Dñi.

non proficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit. Currendum enim nobis eſt fidei greſſibus, miſericordiæ operibus, amore iuſtitiæ, vt diem redemptionis noſtræ ſpiritaliter celebrantes, *non*

1 Cor: 5 ℣ 8

in fermento veteris malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſynceritatis & veritatis, reſurrectionis CHRISTI mereamur eſſe participes, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

PARS TERTIA.

Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23

ET ecce velum templi ſciſſum eſt medium in duas partes, à ſummo vſq; deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.

Prodigia maiora Chriſtus fecit poſt mortem quam in paſsione: & incarnatione:

Promiſerat Dominus & Redemptor noſter, paulò ante ſuam paſ- Cap: XXIX

ſionem: eos qui in ſe crederent, non ſolùm opera facturos quæ ipſe feciſſet, ſed maiora etiam pręſtituros. Cuius rei intulit rationem, quod ipſe ad Patrem iret, vtiq; per ſuam paſſionẽ & mortem. Hoc igitur pręſtare incipit mox poſt ſuam expirationem. Cum enim ipſo adhuc in Cruce viuo, vnica tantum ſolis obſcuratio præceſſiſſet, nunc etiam in terra, elementis, ipſiſq; hominibus tàm viuis quàm mortuis, ſed etiam in locis infernalibus, ſtupenda prodigia conſequuntur. Et quemadmodum eius mi-

Iſa: 7 ℣ 14

mirabili incarnatione, ſignum eximium ſponte cælitus datum præceſſiſſet, quòd Virgo cõciperet & pareret filium, & quidem Emanuelem, qui in vna eademq; perſona verus eſſet & Deus & homo: Ad eundem modum in eius ſtupenda paſſione & morte,

ſubſecuta ſunt prodigia, in perſona Regis Achas incredulitati Iudaicæ tunc propoſita, imò quodammodo oppoſita, quòd & ea-

Ioann: 19 ℣ 26

dem ipſa Virgo Filii ſui mater, & filius veræ ſecundũ carnem matris, per ſeparationem animę à corpore, eſſe deſineret: Vnde etiam tanta in cælo, terra, & in profundo inferni, ab Euangeliſtis deſcripta prodigia contigiſſent. Cum igitur ante hac explicuerimus ſignum in orbibus cæleſtibus exhibitum, quod &

Hieron in Ioel cap; 2

quale teſte B.Bieronymo & Auguſtino, nunquam ſimile apparuiſ-

Auguſt: in nouũ teſtamen: quęſt: 103.

ſet, ex quo Chriſtus illud prædixiſſet, iam reliqua nouem prodigia ſuo ordine explicemus. Quorum primum erat, veli templi

Idem Epiſt: 80

ſciſſura: ſecundum terræ motus: tertium, petrarum ſciſura, & concuſſio: quartum, monumentorum apertio: quintum, mortuo-

Decem prodigia mortem Chriſti ſubſecuta.

rum ſurrectio & apparitio: Sextum, Centurionis conuerſio, & confeſſio: ſeptimum, plebis pænitentis compunctio: octauum Crurifragii à Pilato imperati in corpore Chriſti deuitatio: nonum, ſanguinis & aquæ ex aperto Chriſti latere profluium: Vlti-

Velum templi duplex & quod erat ſciſſum

mo: per Chriſti animam inferni debellatio. Quantum ad primum: Velum templi Ieroſolymitani, ſeu tabernaculi, duplex fu-

Chriſtologię 2 partis Serm: 6 cap: 21 Et Serm: 9. cap: 2

iſſe, ſuprà in tractatu de Sacrificio ex doctrina Apoſtoli fusè oſtendimus. Vtrum igitur ex his fuerit diſciſſum, in quæſtione eſt. Origenes & B. Hieronymus coniiciunt, anterius ſeu exterius ve-

Origenes in hũc locum Matt: Hieron: epiſt ad Hedibiam cap: 8

lum tunc cõcidiſſe: vt quod populũ à Sacerdotali ordine diſtingueret, legis nouæ inchoatione ſublatũ, omnibus gentibus viã ad ſalutem expanderet. Magis tamen conſonat doctrinæ Apoſtoli, vtrumq; iſtud velum explicanti, & narrationi Euangelicæ, quòd

Velum interius ad Sancta Sanctorum diſciſſum fuiſſe probatur

de interiori velo diſciſſo loquatur textus Euangelicus. Primò: quia ex deſcriptione Ioſephi teſtis oculati, velum illud primum erat Babylonicum, hoc eſt, non lapideo pariete, ſed aulæum ſeu

Ioſeph: de bello Iudaico lib: 6 caput 6 Ariſtæas lib: de 72. interpretib:

velum Babylonicum, hoc eſt opere textorio artificioſiſſimè variis coloribus & figuris confectum: quòd terra tremente & petris concuſſis, ſciſſurã admittere non potuerit, ſicut illud quod ipſa ſancta ſanctorum, à menſa propoſitionis, & candelabris aureis

Heb: 10 ℣ 3. 11.

ſolido pariete diſtingueret. Deinde Apoſtolus Sacerdotio Chriſti quod in Cruce per ſanguinẽ exegiſſet, propriè accomodat tabernaculum illud ſancta ſanctorum dictum, quod ſolus Pontifex ſemel tantum in anno, ad expiationem per ſanguinem ingrede-

Leo Serm 10 & 17 de paſione Domini

tur. Magis igitur ad mentem Apoſtoli, poſteriores quidam expoſitores, ad velum interius ſciſſuram illã referunt. Inter quos Leo

Magnus sic habet: Velum cuius obiectu includebantur sancta sanctorum, à summo vsque ad ima diruptum est, & sacrum illud mysticumque secretum, quod solus Sūmus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est, vt nihil iā esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis. Idem Augustinus sic clariùs explicat. Reuelata iam sunt mysteria abscondita, vt iam omnes possint in sancta sanctorum introire, pretio redemptionis nostræ æterno Patri exhibito: palam fit arca, vbi erat manna, quoniam iam corpus Domini in Cæna diei præcedētis institutum fuit; quod per manna seruatum præfigurabatur: vbi erat & virga Aaron, quoniā iam crux erat erecta in signum æterni Sacerdotii Christi: Vbi etiam testamenti tabulæ asseruabātur, quia iam impleta lex erat & Prophetæ: Nec opus erat arca, cuius iam officium in morte Domini pręterierat. Hæc illę. Signabat etiam illa templi legalis scissura secundùm Euthymium, quòd à Synagoga Iudæorum ad Ecclesiam gentium auolare & trāsire debebat gratia & *salus, quæ olim esset ex Iudæis*, ipso Domino teste: Per hoc etiam ostensum fuisse, quòd velum per quod sequestrabamur à sacris cælestibus, disrumpebatur, hoc est Dei inimicitia & peccatum. Addit B. Ambrosius: Velum scinditur, quo duorum populorum Synagogę prophanatio declaretur. Scinditur enim vetus, vt Ecclesia noua fidei suæ vela suspendat. Synagogæ velamen suspenditur, vt religionis interna mysteria reuelata mentis cernamus intuitu. Sic ille. Hoc etiam confirmant alia prodigia. Tradit enim B. Ephrem Syrus (cuius sūmam in scribendo autoritatem S. Hieronymus cōmendat) tunc quando templi velum scissum est, columbam ex illa templi maiestate euolatam apparuisse. Ipse verò sacer Hieronymus refert ex Euangelio Nazaręorum, quod in Latinum transtulisset, eodem terræ motu qui patiente Domino accedisset, ex superliminari templi Ierosolymitani ingētem lapidē decidisse, & Angelos templi patronos auditos fuisse, sic dicentes: Trāseamus ex his sedibus. Quod factum & ipse Iosephus Hebræus in sua historia confirmat: nisi quòd genti suæ contra religionem Christianam plus fauens, ad tempus Pentecostes istud prodigium referat. Secundum & tertium prodigium, ex his quę hactenus dicta fuerunt, satis confirmantur. Nam de te terræmotu, qui etiam multas Asiæ Vrbes subuertisset, superiùs suo loco diximus. Petras etiam ex globi terræ recessu, tanquam vnum & idem corpus, à suo

Tabernaculum Sacerdotii Christi quomodo arcam, tabulas & manna continet
Heb: 10 ℣ 4
August: in Com: Salmeronis Tomo 10 tract: 47

Velum scissum Synagogę scisuram signabat
Euthymius in huc Matt: locū
Ioan: 4 ℣ 22
Ambros: in Lucā hoc loco

Velo discisso Angeli teplum deseruerunt.
Ephrem Serm: de passione Dñi
Hieron: de scriptor Ecclesiast:
Idem Epist: ad Edibiam quęst: 8
Ioseph: de bello Iudaico libro 7. cap: 12

Secundum prodigium terrę motus & petrarum concusio

à suo continuo fuisse solutas, ratio ipsa dictat: & experientia fortasse visitantibus loca sepulchri Domini hoc ipsum exhibet. Quartò sepulchrorum apertionem, vel ipsa terræ concussio causare poterat. Quod tamen singulari Diuinæ virtuti potiùs est attribuendum, quæ sicut inferos ad animas liberandas, sic sepulchrum ad corpora Sanctorum euocanda, peruadebat. Refert autē S. Matthæus, in terræmotu circa expirationē Christi facto, monumenta fuisse aperta: sed eos qui resurrexissent non nisi post Christi resurrectionem apparuisse: vt secundùm doctrinam Apostoli, ordo resurrectionis seruaretur, *eiusque primitiæ sit Christus: tanquam primogenitus ex mortuis*: vt etiam B. Hieronymus obseruauit. Et sic resurrectio corporū illorū, specimen erat ad cōtestationem, non solùm veræ & corporalis resurrectionis Christi; sed etiam victorię illius, non solùm in anima ex infernalibus potestatibus, sed etiam in corpore diuino & corruptionis experte, ex ipsa morte, iuxta illud Prophetæ: *Ero mors tua ô mors, & morsus tuus ero inferne.* Cuius rei typus pręcessit in Elizeo Propheta: in cuius sepulchrū propter timorem imminentium latrūculorum, proiectum hominis cadauer, reuixit, & stetit super pedes suos: Ad eundem modum corpora Sanctorum illorum qui dormierant, latrunculorum dæmonum tyrānide in terræ puluerem soluta, ex virtute sepulti victoris ipsius mortis, vigorem & consortium resurrectionis acceperunt. Quemadmodum enim secundùm Gregorium Nazianzenum, Christus attactu suæ mundissimæ carnis in baptismo, vim regeneratiuam aquis contulit: sic dici potest, quòd in morte & sepultura sua, per attactum suæ incorruptibilis carnis, terræ quoque virtutem quandam incorruptibilitatis cōtulit, vt sub seipso tanquam capite, membra seu corpora hominum in fide morientium, veluti vitalia semina, ad vberiorem resurrectionem exibendam in se reciperet.

Cap. XXX

Porro circa quintum istud signum de statu resurrectionis & apparitionis illorum mortuorum, celebris quæstio est inter antiquos & nouos expositores. Aliqui enim sentiunt, eos, sicut Christum, ipsum resurrexisse ad vitam immortalem, nec amplius mori potuisse: quia (vt inter alios ratiocinatur Remigius) maius esset illis tormentū qui surrexerunt, si iterum mortui essent, quam si non resurgerent. Quapropter alii addunt, non solùm eorum animas, sed etiam corpora cum Christo in cælum transiisse. Sed opposita sententia maioribus tum fidei, tum autoritatis

Tertium prodigium sepulchrorum apertio
Matt: 27 ℣
Mortui non nisi post resurrectionem Christi apparuerunt, cur
Matt: 27 ℣ 33:
1 Cor: 15 ℣ 23
Osee 13 ℣ 14
Resuscitationis mortuorum per mortuum Christum, typus in Elizæo
4 Reg: 13 ℣ 21
Christus à tactu suo, sicut aquas baptismi, sic terram sepulchri sanctificauit
Nazian: Oratione 9 in sancta lumina
S. Maximus Episcopus Serm: 1. de Epiphania
Mortui cū Christo resurgentes, vtrum denuo mortui vel viui in cælum assumpti
Remigius in caput 27 Matt: in Cathena Thomæ

toritatis

toritatis rationibus nititur. Quarum octo breuiter referemus.

1\. Resurgẽtes cum Christo non ascẽdisse probatur Matt: 27 ℣ 52

Prima: quia hoc videtur intendere S. Matthæus. Qui cum more scripturæ, aliâs resurrectionem ad gloriam enunciare soleat, in concreto, vt integer homo est, hoc loco in abstracto, dicit *multorum Sanctorum corpora resurrexisse*: vt veram quidem resurrectionem exhiberent, sed in apparitione, (vt loquitur Euangelista) non ipsius status beatifici conditione. Ideo nullum illis accidere potuit tormentum (vt inferebat Remigius) quia nõ secundam mortem acceperunt, sed ad conditionem comorientium Christo, ad tempus proprię ac generalis resurrectionis redierunt: secundum illud quod prædicebat Dominus: *Qui in me credit, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Non enim est Deus mortuorum, sed viuentium.*

Mortui fideles viuũt in Christo:

Ioann: 11 ℣ 26 Matt: 22 ℣ 32

2\. Apparitio mortuorum vt particularis non afficiebat legem vniuersalis resurrectionis

Secundò idem colligitur ex verbis Euangelistæ, quando scribit illam apparitionem fuisse particularem, per multos quidem, & multis, at non vniuersaliter omnibus, & ab omnibus, factam: Sed (vt obseruat B. Hieronymus) specialiter iis tantùm, qui in illo seculo defuncti, potuissent sibi coæuis incredulis fidem resurrectionis confirmare. Nam ciuitatem sanctam sine dubio Euangelista, sicut alibi, intelligit Ierosolymam: cùm in cælesti illa Ierusalem resurrectio non indigeat documento, quæ illic constet statu & experimento.

Ciuitas Sancta intelligitur hîc Ierosolyma.

3 Resurrgentes cũ Christo probauerunt resurrectionẽ apparentẽ, nõ permanentem sicut Christus

Tertiò: Si corpora illa ad tempus resuscitata, fuissent cum Christo, ad statum cælestem recipienda: per illos quadraginta dies ante Dominicam ascenssionem, maiori necessitate quàm Christo, comprobanda illis esset, per tactum & alios sensus, sensibilis & palbabilis ad proprium statum resurrectio: vt eius veritas non minùs in membris & puris hominibus, quàm in Christo capite, qui simul homo & Deus esset, comprobaretur. Iam verò breuis, quamuis vera, eorum in carne apparitio, sufficiebat ad faciendam fidem, quòd qui ad tempus homini vitam restitueret, perpetuam etiam viuificationem suo tempore illis tribuere possit: qui non solùm tunc in seipso statum, sed etiam in aliis specimen veræ resurrectionis exhiberet.

4 In resuscitatis cum Christo nõ resurrectio, sed eius similitudo expressa

Quartam rationem satis argutam affert B. Augustinus sic scribens: Talis autem apparitio istorum, neq; ad vitam humanam, neq; ad resurrectionem futuram pertinet: sed ad consummationem Dominicæ resurrectionis, & ad credulitatem resurrectionis animarum ex inferis, talis apparitio animos mouet: sicut in resuscitatis mortuis, similitudo tantùm, non mors continua, fieri cernitur: ita &

August: de mirabilibus sac: scrip: lib: 3 cap: 13

ita & in his similitudo resurrectionis, non ipsa resurrectio ostendebatur. Hæc Augustinus. Quinta ratio: D. Thomas expendendo similem sententiam B. Augustini, & oppositam quam initio attigimus. B. Remigii, priorem sententiam suam in libro Sententiarum reuocat, & efficatioribus rationibus Sententiæ D. Augustini subscribit. Vbi excutit illa verba Principis Apostolorum quando dicebat: *Et sepulchrum eius* (hoc est Dauidis) *apud nos est.* Cùm enim inde aliqui probare voluissent sepulchrum Dauidis remansisse apud Iudęos, ergo non eius corpus, quod cum Christo suscitatum in cælos deferretur: S. Thomas contrariam illationem ostendit: quòd sepulchrum Metonymicè dicatur, Dauidis reliquias continens. Alioqui B. Petrus contra seipsum hoc argumentum induxisset, si sepulchrum ossa Dauidis, quę (non vt Christus) sensisset corruptionem, ad æternitatem transmisisset.

5\. Dauid & alii veteres Sancti nondum in corporibus glorificati. Thomas in 4 distinctione 24 articulo 2 In Sũma 3 parte quęst 13 art: 3 Act: 2 ℣ 29

Sextò: Idipsum conicitur ex Euangelio Nicodemi, quod saltem autoritatem historicam in hoc passũ obtinere debet: Vbi legitur: duos filios S. Simeonis, qui Christum vlnis in tẽplo excepisset, ante quadraginta annos mortuos, tunc resurrexisse: exhibitoq; testimonio de Christo, mox disparuisse.

6 Euangelium Nicodemi historice attestatur superiorem propositionem.

Simile quid habetur in historia approbata S. Stanislai martyris Episcopi Cracouiensis, & Regni Poloniæ Patroni. Cũ enim ipse ob depellendam quandam calumniam, Petrum virum nobilem à tribus annis sepultum, oratione sua suscitasset: & exhibito coram iudice veritatis testimonio; data à sacro Antistite vitæ corporalis vel spiritualis optione, eadem oratione sibi impetranda: *elegit Petrus esse abiectus in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*: & sic in suos pulueres resolutus est.

Defunctus à B. Stanislao in Polonia ad tempus suscitatus. In eius vita & eius festo 8 Maii

Psal: 83 ℣ 11

Septimo Auctor historiæ Scholasticæ, quæ vtiq; prophanam fidẽ superare debet, in hunc Euangelii locum scribens, sic habet: Fortè hîc fuerunt, de quibus super Epistolam ad Hæbreos legitur, quod multum affectauerunt sepeliri in terra sancta, vt Domino resurgente resurgerent. Vtrum eorum aliqui coram ita permanserint, & cum Domino ascendente ascenderunt, nescimus. Quia autem aliqui eorũ iterum mortui sunt, postquam Dominum surrexisse testificati sunt, scimus: quia corpora quorundam adhuc quiescunt in Hierusalem: & sanctus Scarioth vnus ex eis fuisse à quibusdam perhibetur. Hæc ibi.

7 Historia Scholastica in Euangelium cap: 178

Octauo loco non intermittenda est reuelatio B. Brigittæ, quam Beatissima Virgo inter alia sic allocuta esse legitur.

8 Testimonium ex Reuelationibus. S. Brigittæ lib: 6 Cap: 94

gitur. Sed potes quærere, inquit, vbi fuerunt illæ animæ, quas tunc liberauit de inferno, vſq; dum aſcendit in cælum? Reſpondeo tibi, quòd fuerunt in quodam gaudio noto ſolùm filio meo. Nam vbicunq; filius meus eſt, & erat, ibi eſt gaudium, & gloria, ſicut ait latroni. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Multi etiam in Hieruſalem ſancti mortui reſurrexerunt, quos vidimus, quorum animæ aſcenderunt cum filio meo, ſed corpora expectant cum aliis iudicium & reſurrectionem. Alibi quoq; ſic habet. Item ſcias quòd nullum corpus humanum in cælo eſt, niſi corpus glorioſum fili mei, & corpus meum. Hæc ibi. Iſti ſententiæ fauet etiam Apoſtolus: quando ſcribit: *Sanctos veteris teſtamemti non accepiſſe beatitudinis conſumationem, vt non ſine nobis conſumaretur, Deo pro nobis meliùs quid prouidente.* Et in Apocalypſi legimus: *animas propter Verbum Dei interfectorum, ſub altari vltionem de ſuis perſecutoribus, & corporum ſuorum glorificationẽ exorãtes, accepiſſe diuinum reſponſum, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur & fratres eorum qui interficiendi ſunt ſicut illi.* Hæc ibi. Cùm ergo in vltima perſecutione Antichriſti, plurimi martyres quam vſquã alias expectentur: Cõſequitur vel ex ſola iſta autoritate, corpora etiam beatiſſimorum Sanctorum (Matre Dei excepta) non niſi poſt publicam extremi iudicii ſententiam in reſurrectione, mercedem & beatitudinem in corporibus propriis eſſe adeptura.

Animæ cum Chriſto reſurgentium & corpora vbi eſſent.
Brigitta lib: 7. cap: 26.
Hebræ 11 ℣ 39
Apoc: 6 ℣ 9

Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat quod factum fuerat, quia ſic clamans expiraſſet, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iuſtus erat: verè hic homo filius Dei erat. Et qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Verè filius Dei erat iſte. Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.

Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23

In iſtis verbis refertur quintum & ſextum prodigium poſt expirationem Chriſti in noſtro ordine propoſitum, nimirum Centurionis & qui cum illo eſſent, conuerſio & confeſſio, & plebis Iudaicæ de ſcelere cõmiſſo compunctio. Primò autem conuenienter hic applicari poteſt illud B. Bernardi dictũ: Tria opera & tres mixturas Deum oſtendiſſe in opere noſtræ redemptionis incomparabiles. Prima erat magna, Deum potuiſſe fieri ſimul hominem: ſecunda magis admiranda, mulierem matrem Dei potuiſſe ſimul eſſe

Cap: XXXI
Fides de Chriſto quam arduum opus.
Bernar: Serm: 3. de Vigilia natalis Chriſti

eſſe & genitricem & virginem: Tertia prorſus ſtupenda: quomodo cor humanum ad tanta myſteria capienda & credenda adglutinari potuerit? Et poſtea ſubiicit: Ergo ne credendum eſt, quod iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio; qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum iniurias patitur: qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro: & inter duos lapides concluditur excellens, & imẽſus? Hæc ille. Idipſum atteſtatur Iſaias, qui antequã paſſiones & contumelias Chriſto inferendas prænunciaſſet, eò vſus eſt exordio. *Quis (inquit) credidit auditui noſtro? Prædicamus enim (inquit Apoſtolus) Chriſtum & hunc Crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Videte tamen, deuoti auditores: quomodo in tam ardua fidei perſuaſione, ſecundùm eundem Prophetam, *brachium Domini in Cruce expanſum reuelatum fuerit, gẽti nõ credẽti ad quam Dñus tota die manus ſuas expandiſſet.* Ecce inquã Dei filius brachiũ virtutis ſuæ in cruce exerens quaſi noua creatione per manus ſuas verè plaſmatrices, poſt prodigioſã petrarũ concuſſionẽ, ex lapidibus ſuſcitat filios Abrahæ. Nam ſecundùm Leonem, impietatẽ Iudaicam, monumentis & petris omnibus duriorem, nulla proditur mitigaſſe compunctio: vt appareat paratiores ad intelligendum filium Dei tunc fuiſſe Romanos milites, quàm Iſraeliticos Sacerdotes. Hæc ille. Ecce mox *exauditur Dominus pro reuerentia ſua*, quãdo homo gentilis in poteſtate cõſtitutus, qui occiſioni Chriſti nõ ſolùm intereſſet, ſed præeſſet, cum facinoris ipſius adminiſtris, ſecundùm doctrinam Apoſtoli, *inuiſibilia Dei ex inuiſibilibus quæ facta eſſent intellectis cõſpicit: ſempiternã quoque Dei virtutẽ & diuinitatẽ:* quando inquã viſis & intellectis tot prodigiis *quod corde credidit ad iuſtitiam, ore confitetur ad ſalutem: ſic exclamans: Verè hic homo iuſtus erat: Verè filius Dei erat iſte.* Confundere hîc hæretica perfidia, quando audis, ſummum Domini perſecutorem & occiſorem, veritate tamen victum, Ieſum noſtrum quamuis inter latrones pendentem, confiteri hominem verum fuiſſe, & proprias humanitatis pœnas ſuſtinuiſſe, ſed tanquam iuſtum abſq; omni culpæ macula, iſtas pœnalitates vltro aſſumpſiſſe. Deinde eundem fuiſſe verè filium Dei, cuius naturam quicquid illud eſſet mutationis, ſeu viciſſitudinis & paſſionis, afficere nullatenus potuiſſe. Agnouit autem eſſe filium Dei, non mortalis conditionis, vt à Pilato examinabatur, ſed filium Dei viui, cuius regnum eſſet non de hoc mundo.

Iſa: 53 ℣ 1
Iſa: 63 ℣ 2
Chriſtus in cruce facit ex lapidibus Abrahamo filios
Matt: 3 ℣ 9
Leo Serm: 17 de paſsione
Centurionis cum ſuis militibus fides quanta fidem hæreticorum ſuperans
Rom: 1 ℣ 20
Rom: 10 ℣ 10
Lucæ 23 ℣ 49
Marci 15 ℣ 39

mundo, ſed æternum, qui tanquam totius creaturæ autor, tot in illa prodigia moriens ediderit. Ecce ergo bonus Paſtor, vt promiſerat, quamprimum poſuiſſet animam ſuam pro ouibus ſuis, eas mox recognoſcit, quando illas quæ perierant ex domo Iſrael, voce magna in Cruce edita reuocat: & per compunctionem & pectoris percuſſionem, ex diſperſione congregat: alias verò quæ non eſſent ex illo ouili, hoc eſt gentiles reducit, vt fieret vnum ouile & vnus Paſtor.

Chriſtus bonus paſtor moriens oues diuerſas in vnũ ouile congregat
Ioann: 10 ℣ 17
Matt: 15 ℣ 24

Sicut autem ipſe Rex Iudæorũ natus, ex præſepi Reges Magos, ſic idẽ Rex ex Cruce Imperator & victor, Centurionem ſeu militiæ gentilis Principem. primitias eiuſmodi reductionis exhibere voluit: ſicut ex reprobatione Iudaica difficilẽ paucorum in fine mũdi reſipiſcentiam, innoteſcere volunt, per ſeram latronis conuerſionem, & plebis non apertam vt Centurionis, ſed occultam pectoris pulſatione tantùm exhibitam compunctionem: vt etiam Beda annotauit. Ambroſius quoque ſic idipſum proclamat: O duriora ſaxis pectora Iudæorum. Iudex arguit, credit miniſter, proditor ſcelus ſuum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reſerantur: Iudæorum tamen immobilis duritia manet, orbe concuſſo. Sic ille.

Magi & Centurio primitiæ gentium
Matt: 2 ℣ 2
Iudæorum ſera conuerſio adumbrata
Lucę 23 v. 42:48
Beda hoc loco in Lucam
Ambroſ: in Lucam hoc loco

Cùm igitur noſter redemptor tales conuerſionis vtriuſq; gentis primitias nobis initiauit: nos quoq; chariſſimi, ex iſtis quæ ibi gerebantur, pœnitentiæ & conuerſionis imitationẽ nobis conſtituamus, per iſtos qui ſequuntur gradus. Primò omnium cum Centurione iſto concipiamus timorem, *qui eſt initium ſapientiæ*, conſiderantes, ex vna parte noſtrarum offenſarum poſt tot eius beneficia, & aliorum exempla, magnitudinem & multitudinem: ex alia verò parte eius iudiciorum abyſſum inſcrutabilem, per quæ & ſaluandos perdere, & perditos ſaluare poſſit: tùm etiam eiuſdem iudicii diſtrictionẽ ac terrorẽ, cuius ſpecimen in paſſione etiam edidiſſet. Quanta enim (inquit B. Auguſtinus) ſperanda vel timenda eſt poteſtas iudicantis, ſi apparuit tanta morientis? Secundò obſcuretur nobis ſol mundanarum illecebrarum & concupiſcentiarum: Chriſtus autem vera lux, & ſol iuſtitiæ in cruce pendens, exoriatur tanquam lucifer in cordibus noſtris, nobis quaſi noua lux, vt filii lucis & diei, non filii noctis & tenebrarum effecti, ſocietatem cum eo qui in luce, & ipſa lux eſt, habeamus. Tertiò, corda noſtra, quæ peccãdi conſuetudine occaluiſſent, ſcindamus per lachrymoſam contritionem: vt ad

Conuerſionis ad Deum gradus ex iſto exemplo
Pſal: 110 v. 10
Auguſt: tract: 119 In Ioan:
Lux qualis ſectanda
2 Petr: 1 ℣ 19
Eſter 8 ℣ 16
1 Io 1 ℣ 6
Pœnitentiæ partes in Cẽturione & turbis

vt ad concipienda ſpiritualia & ſalutaria deſideria Chriſti paſſione nobis præparata emolleſcant. Quartò fidelẽ cordis contritionem ad iuſtitiam, ſubſequatur vera & humilis confeſſio oris ad ſalutem, per quam & Deus palàm in nobis glorificetur, & proximus, noſtro exemplo ad pœnitentiã prouocetur. Quintò, exemplo plebis Iudaicæ corda ante hac indurata percutientis, ſuccedat confeſſioni ſatisfactio, hoc eſt eorũ in quibus quis deliquiſſet, ſuiipſius delicto correſpõdens vindicatio, & mortificationis Chriſti in corpore ſuo noua iugis exhibitio. Sextò, ad inſtar monumentorum apertorum, eradicetur ex intimis cordium omnis fætor malarum cogitationum, & peruerſorum deſideriorum: & implantetur *bonus odor Chriſti* ſanctorum deſideriorum *ad fructus dignos pœnitentiæ* iugiter exhibendos. Poſtremò appareamus *in Ciuitate Sancta*, hoc eſt in gremio Eccleſię Catholicæ, non ampliùs ab eius communione per aliquod peccatum mortale ſeparati: ſed veræ ſpiritualis à peccato reſurrectionis conteſtatione, alios quoq; ad ſimilem cum Chriſto conuiuificationem prouocemus.

Erant autem ibi & mulieres multæ de longe aſpicientes, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & mater filiorũ Zebedæi, Salome: & cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Gallilæa hæc videntes.

Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23

Cap: XXII

Poſt Centurionis, eiuſq; militum mentionem, ſubinferunt Euangeliſtæ ſexum etiam muliebrem, quæ paſſioni Chrſti ad finẽ vſq; quamuis à longe aſtitiſſent. Per quod primùm inſinuari potuit, copioſa & ſufficiens omni generi & ſexui hominum per Chriſtum parta redemptio: quaſi illa conſumata, vnuſquiſq; credentium ad propria ſecurus reuerteretur. Cui accomodari poteſt illud, quod hiſtoria ſacra de Rege Achab ſic commemorat. *Commiſſum eſt prælium in die illa: & Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mortuus eſt veſpere. Fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus. Et præco inſonuit in vniuerſo exercitu, antequam ſol occumberet dicens: Vnuſquiſq; reuertatur in Ciuitatem, & in terram ſuam:* Hæc ibi. Deinde iſta narratio videtur pertinere ad dolorem paſſionis & mortis Chriſti magis etiam exaggerandum: quando à Diſcipulis in horto prorſus derelictus, per cognatos & notos ad paſſionem comitatus,

Redemptionis conſumatio per mortem Chriſti
3. Reg: 22 ℣ 35
Chriſtus in morte à ſuis quam derelictus

tatus, eos à ſe elongatos reſpiciebat: ſicut in ſpiritu per Dauidem conquerebatur: *Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.*

Pſal 87 ℣ 9

Mulierum Chriſto ad mortem aſſiſtentium pia intentio

Hæc ibi. Quamuis conijcere liceat: ſi Centurio cum Romanis militibus, ſimiliter & populus Iudaicus, tàm ſtupendo rei exitu commoti reſipiſcentes & credentes glorificauerunt Deum: quod fæminę illæ quæ Chriſto adhærentes de facultatibus ſuis illi miniſtrarent, & quædam ex illis ſanguine eſſent coniunctæ, audita tali cõfeſſione inimicorum, & ipſę in ſpe reſurrectionis Dominicæ magis etiam confirmatæ fuerunt: & propterea ad finem expectauerunt, vt loco ſepulturę perſpecto, vel officium vnctionis corpori defuncto, vel nuncium reſurrectionis excipiendum prȩuiderent. Vt ſic in vtroq; illo populo, ex recenti fructu paſſionis Dominicȩ, completa fuerit illa fidei conditio quam Apoſtolus ſic definit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum: & corde tuo credideris, quòd Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris.*

Fidei ſalutaris integritas circa paſſionem Chriſti pullulans
Rom: 10 ℣ 9.
b Ioan: 9 ℣ 22

Quod em̃ Centurio libertate Euangelica palàm ore profitetur, hoc Iudæorum vulgus, b *timens eiici ex Synagoga*, cordis tantum percuſſi indicio conteſtatur. Neq; hic omittendum eſt, aliquos Scriptores, præſertim antiquos & recentiores hæreticos, iſtam mulierum Chriſto ſecundùm carnem cognatarum, diuerſam per Euãgeliſtas denominationem, Chriſto eiuſq; diuiniſſimæ matri in contumeliam traxiſſe; quaſi ille & plures fratres germanos, vel vterinos habuerit, & iſta plures in carnis corruptione filios, quàm ſolum Dei vnigenitum in perpetua virginitate, genuerit.

Mulieres paſsioni præſentes quomodo Chriſti vel Mariæ cognatę
Hieron: contra Heluidium
Vide Annales Baronii Tomo 1. in apparatu: titulo de fratribus Chriſti

Non intelligentes morem Sacræ ſcripturæ; quæ ſicut ſexu virili fratres, non ſemper germanos; ſed quandoq; cognatione iunctos denominet: ſic fæminarum denominationes, modò virorum, modò etiã filiorũ relatione diſtinguat: quod in iſto etiam loco obſeruandum eſſe, B. Hieronymus contra Heluidium, ſatis ſuperq; conuicit: & poſteriores Catholici Scriptores vberrimè confirmarunt: vt non ſit, quòd iſta quæſtione auditorem vel lectorem amplius detineamus.

Ioan: 19

Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum,

non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit, vt & vos credatis: Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Cap: XXXIII

Methodus expoſitionis textus propoſiti

Deuenimus iam Deo ductore, ad octauum & nonum prodigium ſecundum ordinem initio iſtius partis à nobis propoſitum. Circa quem textum, quinq; nobis ſunt expendenda. Primò cauſa accelerationis mortis & depoſitionis crucifixorum: Secundò: de crurifragio ad eam rem preficiendã adhibito: & quare in corpore Chriſti non fuerit executum. Tertiò: de percuſſione lateris Chriſti: Quarto: de ſanguine & aqua ex latere Chriſti emiſſis: Quinto: quomodo hæc ipſa S. Ioannes proprio & ſcripturæ teſtimonio confirmet.

Iudæi mortem Chriſti ante protractam cur vrgent: vide ſupra capite 15

Quoad primum: Poſtquam Iudæi propter diutius opprobrium & longiores cruciatus, Chriſti crucifixionem protraxiſſent, & fortaſſe ad protrahendam vitam, vinum myrrhatum & acetum cum hyſopo propterea ſubminiſtraſſent, vt ſuo loco dictum eſt: quòd nunc mortem & depoſitionem eius accelerent, præcipuã cauſam aſſignat Euangeliſta: factũ eſſe propter Paraſceuem, diei magni Sabbati.

Paraſceue Iudæorum quid eiuſque tempus
Chriſtologiæ 2 partis Serm 8 cap: 17
Auguſt: tract: 117 in Ioan:

Quid Paraſceuem circa paſſionem vocent Euangeliſtæ ſuo loco ſatis explicuimus. Hic obiter commemorandum eſt ex Auguſtino, Paraſceuem Græcam vocem eſſe; ſed qua Iudæi in eiuſmodi obſeruationibus libenter vtantur. Significat enim apparatum, & veluti ſequentis ſolennitatis initium. Quam ſolennitatem (intricent ſeſe alii quantum volunt) Paſchalem tunc fuiſſe dubium eſſe non debet: ſicut nos ſuo loco etiam oſtendimus, & hic inſinuat Euangeliſta, vocando *Paraſceuem illam, magnum diem Sabbati:* hoc eſt quod duplicem contineret ſolennitatem, vnam Sabbati ipſius ob beneficium creationis, alterã Paſchæ, propter memoriam ex Ægypto liberationis.

Ioann: 19 ℣ 31
Sabbati inchoatio & lex
Gen: 1 ℣ 5

Eiuſmodi verò ſolennitates (ſicut ipſe creationis dies) inchoabantur, à veſpere ſeu ante veſperum: quod etiam num retinet, non ſolùm Iudaica, ſed etiam Chriſtiana conſuetudo. Hoc autem Iudæos non ſolùm Ieroſolymis & in propria terra, ſed etiam in aliis peregrinationibus obſeruaſſe, conſtat apud Ioſephum ex Auguſti Imperatoris ad Prouinciarũ prȩſides pro Iudæis reſcripto, in quo ſic habetur, Neq; Iudæos cogi

Ioſeph: Antiqui: Iudaic: lib: 16 cap: 10
Origenes lib: 4. Periarchon

ad præ-

ad prętanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbatorum, poſt horam nonam in Paraſceue. Hæc ibi. Secunda ratio acceleratæ depoſitionis crucifixorum illorum erat legalis. Sic enim Dominus pręceperat per Moyſen: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt: & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno: ſed in eadem die ſepelietur. Quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno. Et nequaquam contaminabis terram tuam, quam dederit tibi Dominus Deus tuus in poſſeſsionem tibi.* Hucuſq; verba legis.

Lex patibulo appenſorum Deut: 21 ℣ 22.

Vbi obiter notandum eſt, nullum genus ſupplicii quã tum uis atrocis, maledictioni fuiſſe ſubiectum, quàm ſupplicium ligni: ea ſine dubio ratione, quòd ſerpens diabololus à Deo maledictus, ex ligno induxerat præuaricationem & humani generis perditionem.

In ligno mortui cur maledictioni ſubiecti Gen: 3 ℣ 14.

Quod maledictum tolli non potuerit, niſi filius Dei benedictus, tanquam vermis in ligno appenſus, maledictionem illam tolleret: & per ſuam in carne exinanitionem, non maledictus (vt præcauet Apoſtolus) ſed *maledictum* pro nobis, non natus (vt obſeruat Ambroſius) ſed voluntaria ſuiipſius oblatione, *factus eſſet.*

Matt: 22 ℣ 9
Marci 14 ℣ 61
Pſal: 21 ℣ 7
Galat: 3 ℣ 13
Ambroſ: ſuper cap: 3 epiſt: ad Galatas

Nec prætermittenda eſt eidem legi appoſita ratio; eiuſmodi abominatione corporum in aëre relinquendorũ, (quorum proprium poſt mortem receptaculum terra eſt) terram fidelium fore contaminandã. Cuius rei inſigne exemplum refert diuina ſcriptura, tẽpore Dauidis, terram fame & aliis incõmodis fuiſſe afflictã: primò propter crudelitatem impunitã qua Saul contra iuſiurandum Gabaonitas affeciſſet: deinde quòd oſſa Saulis, eiuſq; poſteritatis, poſt illatam mortis pœnam, ad ſepulturam in terra ſua non fuiſſent admiſſa. Quorum vtrumq; quàm primùm opera Dauidis Regis pręſtitum eſſet: teſtatur ibidem ſcriptura, *Deum poſt hæc terræ illi repropitiatum fuiſſe.*

Corporum morte affectorum negatæ ſepulturæ pœna
2. Reg: 21 ℣ 1. 10 & 14:

Si corpora circumciſorum, poſt mortem, à perpetuo opprobrio, & elementorum ſeu beſtiarum iniuriis, tantoperè præſeruabantur: quanta quæſo reprehenſione digni ſunt in regionibus præſertim Septemtrionalibus, Chriſtiani Magiſtratus, quando non tàm fortaſſe amore iuſtitiæ quã zelo importuno, qualẽ in Saule Scriptura ibidem reprehendit, ſupplicio licet iuſto affectorum Chriſtianorum corpora, in patibulis ſuſpenſa, vel rotis implicata, vel (quod horribilius eſt) palis & quaſi verubus infixa, aëri, ſoli, imbribus, & (quod magis abominandum eſt) dilaniationibus volucrum & beſtiarum, & aëris peſtiferæ infectioni, exponant. Ex Barbarica

Corpora Chriſtianorum in patibvlis relicta male tolerantur.
2. Reg: 21 ℣ 2, 4.

Barbarica profectò feritate, non ex ratione legis, iſta remanſit corruptela & tyrannis, potiùs quàm lex, aut rationabilis oonſuetudo. Cùm apud alias melius feriatas nationes, non ſolùm fideles, ſed etiam infideles, & ipſos Mahumetanos, videamus talia cadauera, pro demerito quidem in ſupplicii loco detineri, ſed poſtmodum ſumptu vel publico, vel religioſo, honorificè ſepeliri.

Sepulturæ ſuppliciis affectorum pietas, & oppoſitꝰ abuſus

Quem quidem morem quidam in iſta ſola Vrbe quaſi æmulantes, ſaccis quidem, at non atratis ſed purpuratis, velati, Fraternitate & proceſſione, non inſtituta, ſed vſurpata, funera deducunt, non reorum à patibulis, ſed diuitum ex palatiis: palliatam nimirùm miſericordiam in apertam transferentes auaritiã; dici etiam poteſt, & cõtumeliam: quando aduenis eiuſmodi miſericordiæ gnaris, ſpecimen non honorifici, ſed malefici funeris exhibent.

Cap. XXXIV

Inualuit (eheu) ex gentilitate traducta, apud nos barbaries, vt in ſola minima crimina, quale eſt furtũ & ſimiles priuatæ iniuriæ, dira ſupplicia, & in ipſa cadauera vindictę exitiales & implacabiles extendantur. Non tam enĩ attenduntur & plectũtur, ſed plerumq; honorantur, ſacrilegia, blaſphemiæ, execrationes, maleficia, tum publica & lege etiam inſtructa periuria: iuſtitiæ publica violatio, hoſtilitates, domeſticæ inuaſiones, homicidia truculenta, barbaris etiam inaudita: luxuriæ, & effrænes libidines: comeſſationes, ebrietates, & omnis generis luxus, & quidem ex oppreſſionibus pauperum extorti, quorum voces cælos ad vindictam penetrant die ac nocte: Horum, inquam, in corruptiſſima noſtra Chriſtianitate, præſertim in iſto Regno, plena ſunt omnia: Et tamen ſoli fures ſunt qui plectantur, quicquid alii magis flagitioſi delirent, & promerantur.

Iuſtitiæ ſumma peruerſio minima crimina plectĩ atrocia honorari

Luxus ex oppręſſione clamat in cælum.
Iacobi 5 ℣ 4
Lucæ 18 ℣ 7

Cùm tamen ſcriptura diuina comparãdo ad alia peccata pœnam eorum, non quidem prorſus excuſet, ſed præ aliis ſceleribus moderetur: ſic præſcribens: *Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, vt eſurientem impleat animam: deprehẽſus quoq; reddet ſeptuplum: & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet, &c.* Hæc ibi.

Furtum minus peccatum pro maioribus iniquiſſimè punitur
Prouer: 6 30

Non deſeruit ergo Chriſtianos illa iniuſtitia, vel potiùs ſtultitia, quam inter ſuos Ethnicos deridebat Diogenes, vel Socrates, vt teſtatur B. Auguſtinus ſic ſcribens: Cum quæſitum fuiſſet à Socrate, cur ſic fortiter rideret? Reſpondit: Video magnos latrones, ad ſuſpendium duci facere paruos: & alta voce clamaſſe refertur: O quam digniores eſtis ſuſpendi, qui in Cathedris & domibus habitatis, latrocinia

Auguſt: Serm: 13 ad Eremitas Et de Ciuitate Dei lib: 4 cap: 4.

trocinia maiora commitentes quam qui in ſyluis cum tremore quotidie demorari videntur, Simile exemplum de Pyrata idem Auguſtinus alibi refert: Cum Alexander Macedo Pyratam ad ſe adductum de latrocino inculparet, intrepide illum reſpondiſſe: ſe quòd exili nauigio mare infeſtaret vocari graſſatorem, Alexandrum verò, quia magna claſſe orbem infeſtet, dici Imperatorem. Hæc ibi. Sic & modo inter magnates non raræ fiunt violentæ ſpoliationes, inuaſiones, rapinę militares, bonorum peculatus, Eccleſiaſtica ſacrilegia, ſubditorum expoliationes, & alia his ſimilia: pro quibus tamen non ſupplicia, ſed honores talibus decernuntur, & funera eorũ põpis, & cadauera marmoribus excipiuntur. Quanquam ſæpiùs occulto quodã iudicio diuino accidere ſoleat, vt prætextu ſæcularis magnificentiæ, talia corpora in partes diſtracta, incertas ſepulturas vel difficiles, & quaſi terra matre indignas, tacita quadã vindicatione experiantur. Qualem morem vel potiùs errorem Æthnicum magis quàm Chriſtianum, B. Athanaſius, exemplo corporis ipſius Chriſti ſepulchro excepti reprobauit. Hæc adnotare operæ precium viſum eſt: vt mos Chriſtianus generi ſuo humano, præſertim quod Filius Dei vnione ſua honoraſſet, & ad æqualitatem charitatis contemperaſſet, æquiorem ſeſe præbeat. Ne fortè ſecundùm exempla ſacra ſuperiùs adducta, poſt alias grauiores culpas, etiam propter tantam inhumanitatem & crudelitatem, terra Chriſtianorum aſſiduis, quæ experimur, incommodis afficiatur. Quod enĩ in terrorem popularis & frequentioris criminis (quale apud nos furtum eſt) veſtigia iſta ſuppliciorũ leges relinquant, præter rationem eſſe videtur: Cùm in aliis cultioribus orbis partibus, patibula vacua in medio foro conſtituta, & ſubindè euacuata, plus terroris, ob hæſternam fortaſſe pœnæ ſuſpicionem relinquant, quàm apud nos tàm fæda corporum ſpectacula: quæ diuturnitate cauſam, vel potiùs auſam, nouorum delictorum ſubminiſtrant. Accedit & illud, quòd eiuſmodi cadauerum expoſitione, ſtriges quarum iſta orbis plaga referta eſt, nefandorũ maleficiorum materiam præcipuam exinde conquirere ſoleant: vt eorum extortæ confeſſiones ſæpe atteſtantur. Sed vt tandem ad propoſitũ redeamus: quòd Principes Iudæorum tantoperè vrgerent, primò Chriſti affixionem, deinde eius depoſitionem, addi poteſt alia coniecturalis ratio: quòd vel timore,

Athanaſ: in vita S. Antonij propè finem

Cadauera ſuſpẽſorum, incantationum fomes

Cap: XXXV

vel liuore

vel liuore, tantorum prodigiorum cauſam cupiebant eſſet ſublatam: Timore inquam, ne aut terra tantopere concuſſa eos deuoraret, vel templi & ædificiorum ruinæ eos comprimeret: Aut rurſus liuore: ne ſicut Centurio cum ſuis militibus, ſic plebs Iudaica cũ reliquo populo, ex vlterioribus prodigiis, noua ſeditione Chriſtũ pro Rege, & inſuper Deo recognoſcentes, in illũ metum Principes denuo conicerent, qualem ante præſeferebant dicentes: *Si eum ſic dimittimus, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Cum enim prouocatus ab eis Dominus, viuus de Cruce non deſcendiſſet, potuit illis venire in mentem, ne in tantorum quæ præceſſiſſent prodigiorum conſummationem, mortuus de Cruce per manifeſtiorem reſurrectionem deſcendiſſet: quæ [b] calumniam furto ex ſepulchro ablati admittere non potuiſſet. Ex qua ratione ſuſpicari etiam licet, crurifragium à Pilato fuiſſe impetrarum, quod talem de Cruce deſcenſionem præpediret. Sed non intelligebat cæcitas Iudaica, potentiam Regis cælorum crucifixi, non ſolùm ſibiipſi, ſed latroni conuerſo, pro fractis cruribus & plantis, pennas cæleſtes ſubſtituiſſe, quibus ſibi ſocius in paradiſum vſq; euolaret. Secunda conſideratio à nobis propoſita, eſt de ipſo crurifragio: quod ad celeriorem mortem adhibitum fuiſſe, teſte Cyrillo, textus Euangelicus ſatis explicat, & vſus modernus atteſtatur, quando tortores rotis implicatis, quos citiùs mori volunt crura confringere conſueuerunt. Romanis autẽ id vſitatum fuiſſe, ex quodam Ciceronis loco cõiicimus, vbi ſic habet: Illud tamen verum eſt, quod in hoc Plãco prouerbii loco dici ſolet: perire eum non poſſe, niſi crura ei fracta eſſent: fracta ſunt, & viuit. Hæc ibi. Quod etiam beato latroni commodè applicari poteſt. Iudæi igitur ad perdendum & extinguendum Chriſtum, morem Pilati implorauerunt: Sed neſcientes, myſterio propriæ legis inſeruierunt: quando oſſium agni typici fractio, in Chriſto vero agno implenda præcauebatur, vt Sacer Euangeliſta applicat. Cæterum præpoſteram iſtam Iudęorum deuotionem, (quando priùs quidem prętorium verentur ingredi, & Chriſtum audent ad mortem poſtulare: deinde modo, quando magnum diem Sabbati dira conſummatione homicidii honorant) optimè ſic perſtringit Cyrillus. Non religione id à Iudæis factum eſt, ſed quia (vt conſueuerant) *excolabant culicem, & camelum glutiebant.* Maxima enim delicta temerariè

Iudæi cur tandẽ vrgebant depoſitionem Chriſti de cruce.

Ioan: 11 ℣ 43

b Matt: 27 ℣ 43
Matt: 28 ℣ 13
Crurifragii a Pilato impetrati & conceſſi rationes

Cyril: in Ioann: lib: 12. cap: 39

Crurifragium Romanis vſitatũ
Cicero Philippica 2.

Crurifragium Chriſto fruſtra intentatum Iudęos condemnat
Ioann: 19 ℣ 36
Exod: 12 ℣ 46

Præpoſtera Iudæorum religio Sabbatum colere & Sabbati autorẽ occidere

merariè

Cyril: in Ioannē lib: 12 cap: 38
Ioann: 23 ℣ 24
Vulnerationis Christi post mortem rōnes
Ioann: 19 ℣ 33

merariè suscipiebant, & de minimis erant curiosi: quod in eodē patuit die. Nam Christum occidere non dubitarunt, & Sabbati honorem illius in re minima conseruare studebant. Autorem legis interemerunt, & legem seruare fingebant. Honorant magnum illius Sabbati diem, qui magnæ diei Dominum crucifixerunt. Hæc ille. Circa tertium punctum, de lateris Christi confosione, tria pręcipuè expendemus: primò: cur facta fuerit: secundò: qualis fuerit: tertio: per quem facta fuisset. Primò causam istius perforationis insinuat Euangelista: quòd ad explorationem & confirmationem veræ expirationis Christi facta fuisset, loco fractionis crurum intermissæ: quem sensum tradit etiam Cyrillus. Chrysostomus autem addit, factum fuisse in fauorem Principum Iudæorum, vt de crudelitate etiam mortuo illata, & mortis certitudine, gratia ab illis percussori referretur. Secundò, modum transuerberationis istius, textus ipse insinuat fuisse vehementissimum, quando dicit, *latus* fuisse, non vulneratum, *sed apertū*, ictu vtiq; vehementiori, quod manui Thomæ increduli patere potuisset. Qualis vehementia præsignata quodammodo erat in Absalone, in cuius corde Ioab tres lanceas infixisset. De quo etiam in reuelationibus B. Brigittæ sic legitur: Et sic stantibus turbis in circuitu, venit vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextro, tam vehementer & validè, quòd quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire. Et alibi sic habet: In corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, quòd pungens non destitit donec lancea attigit costam, & ambę partes cordis erant in lancea: Hæc ibi. Hoc etiam fortasse intelligit Ecclesia, quando in lugubri hymno canit.

Cap: XXXVI

Cyril: in Ioan: lib: 12 cap: 39
Chrys: in Ioann: homel: 84

Latus Christi quantopere trāsuerberatum
Ioan: 20 ℣ 25, 28

Brigitta in Reuelat: lib: 7 cap: 15
Et lib: 2 cap: 21

Officium Romanum in hymno ad vesperas Dominicę passionis Ex Throdulpho

Quo vulneratus insuper, Mucrone diro lanceæ.

Et profecto illa sentētia non est à ratione aliena fidei nostræ: vt Dominus pro copiosa redemptione nostra, eius etiam sanguinis reliquias, quæ cor vltimo moribundum confoueret, in vltimo profunderet. Situs etiam ipse idipsum confirmare potest. Siquidem militis in terra stantis, corpus Christi pendentis in cruce ictum lateris dextri excepit, per hepatis regionem, vt obliquo ductu per obuium stomachum, vsq; ad confixionem cordis penetraretur: Vt hic etiā modus vltimæ pœnæ, præuaricationi respōderet: quæ initium quidem sumpsit à sensuali concupiscentia,

Confixionis Christi vehementissimę ratiocinatio

Vulnerera Christi culpás Adæ respondentia

quæ ex hepate trahit initium: deinde stomachus fructum vetitum excipiens, reatum in opus reduxit: cor autem à Deo auersum, & contra Deum creaturæ & serpenti adhęrens, peccatum consumauit. Sicut etiam Dominus alia vulnera pręcipua, eadem ratione excepisset: in pedibus quidem, quòd ad vocem serpentis, ligno vetito appropinquassēt: in manibus verò, quòd fructū lethalē decerptū ori ministrassent. Quæ omnia redmptor *cùm non rapuisset, pro nobis etiā tunc eodem ordine exoluebat*. Tertiò ex attestatione Pseudo Euangelii Nicodemi, communis & antiqua sententia est, eum militem, qui vulnus istud inflixisset, fuisse Longinum, cuius denominationē quidam à voce Gręca λόγχη quod hastam seu lanceam sonat, deriuatum volunt. Quod autoritate scriptorum satis nominatorum confirmatur. Nam & Gregorius Nazianzenus tradit, eum à cæcitate vnius oculi qua laborasset, cōtactu sanguinis Dominici fuisse illuminatum. Addunt alii, hoc miraculo conuersum, in eremo diu pænituisse, & tandem Episcopum effectum, martyrii corona decessisse. Nescio igitur qua autoritate aliqui militem illum Centurionem ipsum fuisse suspicantur: cū Euangelista habita eius tàm solenni mentione, factū tanti momenti non reticuisset: & quòd tantum piaculum, cum confessione eius mox post expirationem Domini subsecuta, non satis conuenire potuisset. Quarto proposueramus expendendam sanguinis & aquæ ex Christi latere emissionem: De quo tria considerabimus. Primò qualis fuerit illa aqua: Secundò quæ fuerit eius mystica præsignatio: Tertiò: eius rationes & mysteria. Primò igitur aquam illam cum sanguine emissam, quidam censent fuisse phlegma seu serosum quoddam sanguinis excrementum: quem errorem quidam moderni hæretici suscitârunt. Et verum quidem est, sanguini tale aquosum excrementum permisceri: sed non nisi post coagulationem sanguinis secerni. Hîc verò S. Ioannes cum singulari tanquā rei inusitatæ consideratione simul & attestatione, asserit profluxisse sanguinem & aquam: vtique separatim vel successiuè: vt emissa tota reliqua massa sanguinis, aqua miraculosa & mystica subsequeretur. Quapropter illā opinionem tanquam erroneam & hæreticam, meritò Ecclesia iā pridem condemnauit: semperq; asseruit, sicut sanguinem, sic aquam illam, fuisse veram & naturalem, quamuis miraculosè & mysticè emissam. Secundò, & aquæ istius, & facti ipsius veritas in

Gen: 3 ℣ 1. 6

Longinus latus Christi trāsfixit ex traditione
Gregorius Nazian: in Tragœdia Christus patiens
August: Tomo 9 in Manuali cap: 23
Isidorus Hispalēsis: Mantuannus, in Carminibus Festiuis.

Cap: XXXVII.

Aqua ex latere Christi promanans vera quamuis miraculosa
Ioann: 19 ℣ 34

Innocentius 3. capitulo In quadam De celebratione Missarum.

Aquæ ex latere Chri typi
Exod: 17 ℣ 6
1 Cor: 10 ℣ 11, 4

ſcripturis fuit olim non obſcurè adumbrata. Primò Exodi 17 cap. Vbi dicitur, quòd populus Iſraeliticus ex ſeruitute Ægyptiaca liberatus, & ſiti in deſerto confectus, fuerit affatim refocillatus, aqua ex latere petræ, percuſſione Moyſis educta. Cùm ergo doceat Apoſtolus, *omnia illa in figuram contigiſſe,* vt nobis in veritate exhiberentur, & ſingulariter exponat, *Chriſtum fuiſſe petram:* conſequitur & hic, ex Chriſto in veritate profluxiſſe aquam, qualis etiam in myſtica benedictione vino commixta, propitiationem & potum nobis ſalutarem efficeret: Alterum eius rei typum, ſic expreſſit B. Cyrillus: Lignum Moyſis tempore, dulcem effecit aquã: & de Chriſti latere aqua effuſa, fluxit in ligno. Initium ſignorũ tempore Moyſis ſanguis & aqua: & vltimum ſignorum Ieſu hoc idem. Sic ille. Tertia huius rei præſignatio facta erat in prophetia Ezechielis: qui in myſterio vidiſſet, primò quidẽ aquas deſcẽdiſſe in latus templi: deinde ex eodem latere aquas in hominum ſalutem redundantes. Per templum enĩ ſignabatur corpus Chriſti, & quidẽ anima diſſolutũ: quemadmodum ipſe dicebat inimicis: *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud.* Ex iſtius igitur tẽpli latere, ſicut ſanguis in preciũ & alimẽtũ, ſic aqua in ſalutarem baptiſmi lauacrum ad humanã redemptionem emanauit. Quod etiam Ambroſius ſic breuiſſimè complexus eſt. Quare aqua, quare ſanguis? Aqua vt emundaret: ſanguis, vt redimeret. Et eccleſia canit:

Lignum crucis aquas effecit dulces & ſalutares
Exod 15 ℣ 23
Cyrl: Ieroſol: Cathech: 13 Ilumi:
Aque ex latere templi Ezech: 47 ℣ 2, 9
Ioannis 2 ℣ 19
Ambroſ: de Sacramentis libro 5 cap: 1.

Vt nos lauaret crimine, Manauit vnda ſanguine.

In hymno Dominicę Paſsionis ad veſperas
Sanguis & aqua conteſtata fuerunt Chriſtum Deum ſimul & hominem.
D Thom: 3 parte quæſt: 66 art: 4. ad 3.
Et quæſt: 74 art: 7 ad 3
b Aqua fæcundiſsimũ elemẽtũ August: lib: in Geneſim cont: Maujcheum
Beda in Gen: cap: 1

Quoad tertium: duplex potiſſimùm ratio & myſterium huius facti aſſignatur, Vna ad confirmandum contra aduerſas hæreſes vtramq; veram naturam in Chriſto: primò quidem humanæ, in anima & corpore, per veram mortem ab inuicem ſeparationem. Quod D. Thomas Theologus rationibus naturalibus ſic confirmat. Per aquam enim oſtendebatur corpus Chriſti fuiſſe compoſitum ex quatuor elementis (ſiquidem ſecundùm Philoſophos b ex quatuor elementis, aqua præcipuum eſt mixtorum corporum compoſitionis principium) deinde emiſſio ſanguinis, arguebat corpus Chriſti compoſitum fuiſſe ex quatuor humoribus corporum animatorum, qui ſanguine permiſcentur. Spiritus autem intelligitur anima, altera & potior hominis portio, quam Dñum emiſiſſe ſeu tradidiſſe teſtantur Euangeliſtæ. De vtraq; autem natura confirmat hoc ipſum idem Ioannes Apoſtolus, ſic

Tres in cælo teſtificantes ſecundùm B. Ioannẽ qui?
1 Ioan: 5 ℣ 7

lus ſic ſcribens: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt, quoniam teſtificatus eſt de filio ſuo.* Hæc enim verba S. Ioannes obiicit hæreſibus tunc pullulantibus contra Chriſti veram & naturalem tam diuinitatẽ quã ipſam humanitatem. Nam & initio ſui Euangelii vtrumq; cõprobabat: diuinitatẽ quidẽ, quando ſic exorditur: *In principio erat Verbum;* & alia quæ ibidem conſequuntur: humanitatem verò, quando ſubinfert. *Et Verbum caro factum eſt: & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, &c.* Ad eundem etiam modum epiſtolam ſuam incipit: vtramq; naturam in vna perſona exprimendo his verbis: *Quod fuit ab initio: quod audiuimus, & quod vidimus oculis noſtris: quod proſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt: & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus & audiuimus, annuciamus vobis, &c.* Ad iſtud teſtimonium humanum & præcipuè Apoſtolicum, ſubinfert diuinum, humano longè maius teſtimonium: Quod præcipuum erat triplex: Primum circa baptiſmum Chriſti, quando ex præmonitione Spiritus ſancti, Ioannes Baptiſta cælitùs & viciſſim humanitùs reddidiſſet teſtimonium, eum eſſe verè Meſſiam & Dei filium, ſuper quem viſibiliter in columbæ ſpecie deſcendiſſet idem Spiritus ſanctus: vbi etiam Patris cæleſtis iſta vox audita eſſet: *Hic eſt filius meus, in quo mihi complacui:* Et hoc quidem teſtimonium de filio Dei, commune fuit Patri cum Spiritu ſancto. Secundum teſtimonium fuit ſolius Dei Patris voce cælitus ſic perſonante: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Vbi ſimul Chriſtus apparuit, & in maieſtate glorioſus, & in humanitate paſſibilis: quando Moyſes & Elias (teſte B. Luca) exceſſum eius Ieroſolymis complendum, tunc cum illo pertractaſſent. Tertiũ teſtimonium reddit filius de ſeipſo, quando de præcipuis fidei articulis Nicodemum catechiſans, inter alia, de propria, & aliis perſonis diuinis, quaſi ex præſcripto legis, in teſtimonium ſufficiens adductis, ſic dicit: *Quod ſcimus loquimur: & quod vidimus teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo, ſi cæleſtia dixero vobis, credetis?* Et mox propriè de perſona ſua ſic ſubiicit: *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis*

Chriſti diuinitas & humanitas initio Euangelii & Epiſt: Ioan: cõprobata
Ioan: 1 ℣ 1. 14
1 Ioan: 1 ℣ 1 &c.
Primum teſtimonium Trinitatis de vero Dei filio
Ioan: 1 ℣ 33
Matt: 3 ℣ 16
Secundum teſtimonium Dei Patris de vero filio ſuo
Matt: 17 ℣ 5
Lucæ 9 ℣ 31
Tertium teſtimonium filii Dei de ſua vera Diuinitate & humanitate
Ioan: 3 ℣ 11
Ioan, 5 ℣ 17
Deut: 17 ℣ 6
Ioan: 3 ℣ 11. &c.

qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum: vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã.

Ioan: 3 ℣ 16.

Quæ verba consonant cum iis, quæ in eadem epistola apud Ioannem sequuntur: quòd filius Dei vita æterna cum ipse sit, qui credit in eum, habiturus sit vitam æternam. Sicut igitur ipse filius Dei in verbis istis contestatus est, non solùm aduentum suum in carnem, manente in sua maiestate ipsa diuina natura, sed etiam adiunxit testimonium de morte sua, eiusq; genere, qua redemptio humana fuisset consumanda: Ad eundem modum hîc B. Ioannes, cùm probasset diuinitatem Christi, ex attestatione ipsarum personarum Trinitatis, vt diximus: subiungit probationem eiusdem veræ humanitatis, nõ solùm quòd verè natus esset, & quòd sensibus humanis sese viuum exhiberet, sed etiam quia verè mortuus esset: Siquidem mors humanitatẽ vltimo iure contestari soleat: iuxta illud: *Statutũ est omnibus hominibus semel mori.* Et alibi: *Quis est homo & non videbit mortem?* Sicut igitur Christi diuinitatis adduxit tres testes B. Ioannes: sic subinfert alios tres vel potiùs triplex testimonium, verę humanitatis, quam mors extrema comprobasset: nimirũ quando spiritus vitalis à carne separatus est, & exinde carnem quoq; sanguis vitalis deseruit: postremo aqua dissolutionem elementarem indicaret, ad subiecti illius corruptionem, nisi illã diuinitatis nexus inseparabilis præseruasset. Et sic intelligi potest, quod ibidem dicit B. Ioannes *Iesus est filius Dei: Hic venit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Duo enim videtur attendere Apostolus: Primò Christum in vna persona gessisse duas naturas: vnam diuinam, quam modo suauissimo secundùm Prophetam, veluti rorem in vellus vteri virginalis cœlitùs infunderet, & Deus homo fieret: alteram humanam sic susceptam, in qua per profusionem sanguinis, & mortem, hominem redimeret, & Deo Patri reconciliaret. Quasi istis verbis velit dicere S. Ioannes: Non satis fuit filio Dei per incarnationem in mundum venire, nisi in assumpta humanitate, mortem quoq; pro humana reparatione subiisset. Deinde istis verbis insinuat B. Ioannes, filium Dei non solùm venisse vt nos lauacro baptismi regeneraret, sed etiam, vt nos precio sanguinis sic redemptos, perpetua oblatione sui ipsius

Spiritus, sanguis & aqua, qm̃do vnum sunt, & cõ testatur Christũ hominem
1. Ioan: 5 ℣ 8.

Sicut vita sic magis morte comprobatur humanitas Christi
Heb: 9 ℣ 27
Psal: 88 ℣ 49.

Filius Dei qm̃o venit per aquam & sanguinem
1. Ioan: 5 ℣ 6.

Psal: 71 ℣ 6.

sui ipsius Deo Patri reconciliaret. Sicut superiùs Nicodemum disertè erudiret. Quem sensum verborum ipsorum ordo indicat. Sicut enim in priori sententia, primò posuit aquam quàm sanguinem, secundùm quod natiuitas eius mortem præcedebat: sic in ista posteriori, primo loco dicit profluxisse sanguinem, deinde aquam: vt nimirum meritum seu precium redemptionis per sanguinem partum, baptismi Symbolum & signum externum efficax, per quod fit eiusdem sanguinis applicatio, præcederet.

Cap: XXXIX

Porro ista expositio prodit alia quoq; à nobis supra posita eius facti mysteria. Primũ quidẽ est, Ecclesię ex latere Christi productio, ad instar Adæ in Paradiso: Secundũ præseruatio ab interitu omniũ quæcunq; per istud ostiũ ad instar Arcę Noe ingressũ per fidem fecissent. Tertium, institutio salutaris baptismi, & quidem triplicis, fluminis, flaminis, & sanguinis: tum & viuificæ Eucharistię, & aliorum deniq; Sacramentorum, secundùm B. Augustinum, quæ ex latere Christi quodam modo profluxissent. Verùm singula non nostris, sed Sacrorum Doctorum verbis exprimamus. Vigilanti (inquit Augustinus) verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, Latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed *Aperuit*, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Et infra: Hoc prænunciabat, quòd Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materq; viuorũ. Magnũ quippe significauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. In habitu iacentis, & dormientis, hic secũdus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, & vnde ei formaretur coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt: Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Hæc ille. Cyrillus autem Ierosolymitanus de isto mysterio sic secũdùm fidem philosophatur: Primùm Moyses mutauit flumen in sanguinem. & Iesus postremò aquam emisit de latere vnâ cum sanguine, fortasse propter duas cædes, alteram iudicantis, alteram verò clamantium; aut propter credentes, & non credentes. Pilatus eñ dixit: *Innocens sum, & aqua lauit manus: Clamantes autem dicebant: Sanguis eius super nos.* Erant igitur hæc duo de latere, fortassis iudicãti

Ecclesia ex latere Christi in cruce producta
Gen: 2 ℣ 21

Baptismus triplex ex latere Christi profluẽs
Vide Augustin: tract: 120. in Ioannem.

Vt Arca Noelatus: sic Christi saluat pereuntes
Gen: 6 ℣ 16
Gen: 2 ℣ 21.

Lateris Christi aperti varia mysteria
Cyril: Ierosol: Catechesi 13 Illuminatorum
Exod: 7 ℣ 20
Matt: 27 ℣ 25.

aqua, clamantibus verò sanguis. Ac rursus aliter intelligendum, Iudæis quidem sanguis, Christianis verò aqua; illis quidem tanquam insidiatoribus, ex sanguine condemnatis; tibi verò nunc credenti per aquam salus. Nihil enim temerè factum est. Assignarunt enarratores Patres nostri & aliam eius rei causam.

Baptismus fluminis & sanguinis ex latere Christi exortus.

Cùm enim duplex sit baptismi salutaris virtus, vt est in Euangeliis: vna quidem, quæ baptizatis donatur per aquam; altera verò Sanctorum Martyrum in persecutionibus per proprium sanguinem: exiuit de latere salutari sanguis, & aqua propter eam, quæ esset futura, Chisti confessionem & in baptismo, & in temporibus martyrii confirmans gratiam.

Ecclesia sicut Eua, ex latere Adami

Gen: 2 ℣ 21

Cypr: lib: de passione & resurrectione Christi

Idem de duplici martyrio

Cyril: in Ioannē lib: 12 cap: 39

Chrysost: hom: 34 in Ioan:

Eutym: hoc loco in Ioann:

Bern: in Psal: 90. Serm: 7

Est & alia lateris huius causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed Iesus qui venit, vt viris simul ac mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, vt solueret peccatum. Hucusq; Cyrillus. Omitto B. Cyprianum, Cyrillum Alexandrinum, Chrysostomum, Eutymium, hæc & similia mysteria exinde colligentes. Corrigat istam prolixitatem, & concludat ista breuissimè deuotus Bernardus, sic dicens: Dominus meus Iesus, post cętera inæstimabilis suę erga me beneficia pietatis, etiā sibi dextrum propter me passus est latus fodi: quòd videlicet nón nisi de dextra mihi propinare vellet, non nisi in dextra locum parare refugii; Sic ille.

Cap. XL

3 Ioannis de cōfixione lateris Christi testimonium quale

Ioan: 19 ℣ 35

Ioan: 18 ℣ 37

Postremo subiicit B. Ioannes Euangelista duo reliqua tanti & vltimi miraculi testimonia. Vnum suiipsius, qui triplici ratione fidem veritatis mereatur: Primò, quòd non ex relatione aliorum (vt cæteri Euangelistę multa de Christo accepta tradidissent) hæc scriberet, sed quæ ipsemet præsens assequeretur; primò sensu visus infallibili, deinde scientia irrefragabili, qua non solùm factum, sed ratio facti optimè constaret sibi, qui & abditissima secreta ex pectore Magistri sui deprompsisset, & per filialem Dei maternitatis dignationem, indubitatus eiusmodi mysteriorum, & veritatis Christi coram Pilato contestatæ, veluti hæres testamento relictus fuisset. Tertiò istud suum testimonium confirmari fide Ecclesiarum, ad quarum instantiam ipse Euangelium conscripsisset: vt potè quę altiora etiam diuinę eius naturæ mysteria, in tanto Christi discipulo & ex primariis Apostolo verissima recognosceret.

2 Petr: 1 ℣ 19

Alterū testimoniū tanti miraculi & mysterii affert sacer Ioannes, ex firmiori (vt conferrebat S. Petrus) Prophetico & legis antiquę sermone: vtrumq; factum exinde com-

Exod 12 ℣ 46

Ioann: 19 ℣ 36

August: tract: 120 in Ioann:

Chrisost: hom: 34 in Ioan:

de comprobans. Primum quidem de agno legali & Paschali: in cuius occisione & immolatione inhibita erat ossium fractio: secundum quidem historicum sensum (vt Augustinus & Chrysostomus exponunt) in signum, secundùm veritatem verò, vt Christus verus agnus tollens peccata mundi, ab ossifragio sic præseruatus, ex latere suo sanguinem in precium, & aquam in lauacrum, humanę redemptiononis, profunderet. In qua tamē figura, sicut in aliis similibus Prophetiis, effectus pro causa ponitur. Nō enim agnus ille typicus erat causa ne Christi ossa cōfringerentur: sed potiùs, quia ossa Christi ob mysteriū redemptionis humanæ non erant confringenda, hoc ipsum typo illius agni præsignabatur.

Zach: 12 ℣ 10

Ioan: 19 v. 37

Eutymius hoc loco

Itidem Hieron: Et de optimo genere interpret: scripturæ

Alterum factum confixionis lateris Christi confirmat B. Ioannes vaticinio Zacharię Prophetę dicentis: *Aspicient in quem confixerunt.* Vbi primò notandum est, septuaginta interpretes sic verba ista vertisse: *Aspicient in me, pro eo quòd insultauerunt.* Vnde Euthymius putauit versionē illā à posterioribus Iudæis fuisse corruptā. Sed B. Hieronymus ostendit, interpretes illos fuisse deceptos literarū Hębraicarū ambiguitate, quæ sensum diuersum eis suggereret. Sic quidem ille. Sed quia versio illa dicitur inspiratione diuina facta fuisse, eaq; Apostoli & ipse Christus sæpiùs vsus fuisset: sed & ipse Hieronymus asserat, eam esse regulam talium per Iudæos scripturæ deprauationum: dici potest interpretes illos (vt solent) non verborum proprietatem, sed sensum attendisse: & deuitando scandalum æthnicorum suæq; gentis confusionem, si gens à Deo electa, Deum proprium confixisset, mollius sententiam istam detorsisse ad insultationes, quæ etiam transfixionem præcessissent.

Confixio Dei à Iudæis qualis

Malach: 3 v. 8

Quòd tamen posterior & vltimus Propheta Malachias non dissimulauit, confixionem Dei sui toti genti illi obiiciens in iure primitiarum. Propriè enim Deus confixus erat in filio suo vnigenito, qui tanquam verus Abel seipsum obtulit primitias dormientium, & Deo Patri hostiam in odorem suauitatis. (vtrobiq; enim in textu prophetico confixio ad Deum de quo sermo est refertur.)

Heb: 12 v. 24

1 Cor 15 v: 20

Ephes: 5 v. 2

Quamuis enim cōfixio illa, facta esset per militem vtiq; gentilem, tamen ad sollicitationem Iudæorum in locum crurifragii erat subsecuta in Christo, qui iam ante à Pilato voluntati eorum traditus esset, vt crucifigeretur. Confixio igitur comissa erat non in pedibus, sed in latere, vt aduentus ad vindex iudicium, & plaga mortis in medio corpore

inflicta

Apoc: 1 V.7

inflicta insinuaretur: Quemadmodum forma talis iudicis in Apocalypsi similibus huic prophetiæ verbis describitur: *Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Cap. XLI

Sanguinē Christi ex latere non fuisse meritorium confutatur

Tostatus Episco: Abulensis in cap 9 Gen:

Alphon: Salmeron Coment in Euan: Tom 10 tract: 48 & tract: 15

Ex his quæ hactenus dicta sunt, non satis videtur esse Catholica sententia ex converso Hebræo Episcopi Abulensis, quam tamen singulari observatione dignam celebrat doctissimus quidā nostri temporis noui Testamenti Cōmentator in hæc verba scribens: Quod igitur dici solet: hoc sanguine redemptam esse Ecclesiam, atq; hac aqua ablutam esse, cautè intelligendum est. Docet enim Episcopus Abulensis super Genesim, Deminum Iesum sanguine suo in vita effuso, & sudore, nobis redemptionem & purificationem promeruisse: quoniam post mortem non est locus meriti, Sic ille. Sed dixerim cautiùs hanc nouam opinionē esse legendam. Primò enim, quòd dicit sudore Christi partam fuisse redemptionem nostram, scriptura & aliquis (quod sciam) Orthodoxus nunquam hoc asseruit. Quòd autem sanguis Christi ante mortem effusus quàm post mortem plus valuerit, non satis tuta infertur distinctio: cùm scriptura sacra sanguini Christi, non quatenus in corpore esset, sed quatenus ex corpore profusus esset, meritum seu preciū redemptionis attribuat. Si igitur aliqua distinctio esset hic admittenda, sanguis passi Christi, eò videretur esse efficacior, quò morti proximior. Vt enim habet Canon Ecclesiasticus, Quamuis vnica gutta sanguinis Dominici sufficere potuisset ad redemptionem totius mundi: tamen voluisse Dñum totū sanguinem ad aquæ vsq; subsecutionem profundere, vt copiosam redemptionem demonstraret: adeò vt ex illa superabundantia & supererogatione thesaurus meritorum prouenerit ad reliquam per Indulgētias expiationē. Cuius thesauri neruus, quem exinde Extrauagans illa statuit, prorsus concideret, si meritum reliquo isti Christi sanguini detrahatur. Ad rationem autem quæ infertur dico: Meritum post mortem non dari, in puris hominibus At secundum B. Cyrillum, non hominis simpliciter sanguis iste, sed eius qui naturali vitæ coniunctus, vita effectus est. Sic ille. Erat inquam Christus homo simul & Deus, *erat inter mortuos liber*, qui sicut in anima infernum debellaret, sic in corpore reliquū precii pro nobis Deo Patri exolueret. Scribit etiam Nicephorus sanguinem illum fuisse recentem, quippe, qui ex latere Christi, quasi adhuc viuentis (quod etiā cōfixor explorabat) profluxisset.

Sanguis Christi circa mortem efficax

Clemens VI in Extrauaganti Vnigenitus

Indulgentiarum neruus quibusdam quā firmus

Christi mors non euacuáuit, sed perfecit meritū redemptionis

Cyril: Alex: in Ioan: lib: 4 cap: 19

psal 87 ℣ 5

Niceph: hist: Eccl: lib: 1 cap 30

Elegantissimè enim B. Augustinus dicit corpus Christi secūdùm Psalmistam, tanquam saccum tùm conscissum, precium redemptionis nostræ profudisse: Et alibi sic loquitur: Percussit latus lancea persecutor, & fudit precium redemptor. Hic sanguis inebriat mentem, vt amorem obliuiscatur mundi. Hæc aqua mundat animam. vt corpus sordibus careat Diaboli: Hæc Augustinus. Profecto sanguis ille erat *agni qui occisus esset ab origine mundi, & qui tanquam occisus, in perpetuum tamen viuens. per proprium sanguinem accedere non desinat ad Deum Patrem pro nobis interpellator.* Cuius sanguis iustior quàm sanguis Iob, nequaquam opertus est in terra, sed teste Apostolo, hucusq; multò melius clamat quā sanguis Abel, perficiendo redemptionem nostram. Cònfirmari potest ratio nostra, ipsa prophetia quam B. Ioannes isti facto applicat ex Zacharia his verbis: *Videbunt in quem transfixerunt.* Inde enim sequitur, sanguinem qui ex illa confixione prodiisset, fuisse viuum & efficacem, qui in extremo iudicio infælices Iudæos, ad quorum instantiam istud vulnus consecutum esset, conuinceret, & in æternum condemnaret: quando tunc potissimum completa esset illa spontanea ipsorum maledictio: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Alioqui si sanguis Christi post mortem profusus non fuit meriturus: ergo erat sanguis verè humanus, separata ab illo diuinitate: quod tamen idem ipse Cōmentator tanquam hæreticum repudiat. Si igitur sanguis iste erat non miraculòsus sed verus & naturalis, oportet omnino vt etiam fuerit meritorius.

Saccus corporis Christi conscisus effudit præcium redemptionis

Psal: 29 ℣ 12

August: in eundem Psal: Enarrat: 2

Et de Cataclismo cap: 4

Apoc: 13 ℣ 8

Apoc: 5 ℣ 9

Hebr 7 ℣ 25

Iob 16 ℣ 29

Hebr: 13 ℣ 24

Ioan: 19 ℣ 37

Zach: 12 10

Matt 27 ℣ 25

Secus est de sanguine Christi miraculoso, qui secundùm D. Thomam ex imaginibus etiam Crucifixi aliquādo profluxerit. Cuius rei exemplum in Syria per Iudæos factum, postquam B. Athánasius plena narratione descripsisset; subiicit tanquam doctrinam de fide tenendā: eiusmodi quidem prodigiosum sanguinem per omnes Christianorum Ecclesias veneratione excipiendū esse Verum tamen Christi sanguinem in terris nonnisi in salutari altaris hostia reperiri. Nos igitur charissimi, tot prodigiis & beneficiis redemptoris nostri affecti, sic cum eodem Athanasio exclamemus. Tibi ergo Christe cum Patre, Spirituq; sancto sit gloria indeficiens. Quis enim est sicut tu Domine, & quis est Deus faciens mirabilia signa, & terribilia, & obstupescenda in cælo & in terra? O admirabilis mediator Dei & hominum, homousion, mūdi Redemptor ac Saluator, totius bonitatis & pietatis fons & o-

Sanguis ex imagine crucifixi miraculosus

Tomas 3 parte quæst: 34 art: 2 ad 3:

Athanas: lib: de percussa imagine Christi ca: 7- & 2.

Sanguis Christi in terris non habetur nisi in Eucharistia

Confessio gratiarum actoria ad Christum in cruce exaltatum

Athanas: de percussa imagine Christi cap: 2

rigo. O quantus es Domine Iesu in humilitate, qui cũ esses Deus,
morticinium nostræ carnis suscipiendo, homo fieri dignatus es,
Psal: 8 v. 5 Hebr: 2 v: 6. 8 pro salute generis humani, quem impii & crudeles *paulominùs ab*
Angelis minoratum cernentes, horribilli morte plectere non eru-
buerunt. O quam magnus es noster Saluator in patientia, qui in
Lucæ 22 v. 48. 51 tempore tuæ traditionis, tuo proditori ad te venienti osculum
præbere non renuisti, & seruo Malcho Apostoli gladio abscissam
Isa: 53 v. 7 auriculam reintegrasti, quãdo ad passionis victimã *velut ouis mã-*
sueta ducebaris. O quantus es in misericordia Christe, spes vnica
mundi, qui cum in Cruce teipsum hostiam Deo Patri exhibuisses
sanctam & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam postula-
Lucę 23 v. 34 sti, dicendo ed Patrem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*
Tunc quidem pro nostra salute incuruatus, in eadẽ carne quã ex
virgine sancta & imaculata assumpseras, mortem pertulisti crude
lem. Et qui eras in substantia cum Patre, Sanctoq; Spiritu vnus
& impassibilis existens, & inuisibilis, condoluisti humanam peri-
Christi imago à Iudæis crucifixa, & sanguinem fundens re naturam. Et ideo in hanc lachrymarum vallem descendens,
pro nostris erratibus & piaculis, formam seruilem suscepisti, in
qua te permisisti ab iniquis teneri, flagellari, ad vltimum verò cru
cifigi. Nunc aũt in sancta imagine tua crucifigeris Domine ite-
rum, ad confusionem impiorum omnium infidelium, & ad corro
borationem omnium in te credentium. Et ideo tibi omnipoten-
ti Deo vna cum Patre, Spirituq; sancto, gloria sit per cuncta se-
culorum secula, decus & fortitudo, virtus atq; victoria, Amen.

IN PASSIONEM DOMINI Sermo Quartus.

Christi status ante & post passionem diuersus Matt: 26 ✝ 63 REquisitus cum adiuratione Dominus & Redemptor noster, Cap.
à Caypha iniquo Pontifice, totoq; eius malignantium Con- I.
cilio, *an ipse esset Christus Messias filius Dei viui & benedicti?* respon-
dit, sic esse vt ille dixisset; sed non, vt ille intellexisset. Siquidem
Cayphas tanquam Synagogæ carnalis princeps, considerabat
tunc statum Christi in maiestate ad imperandum gloriosa, qui
sese offerebat in humanitate ad redemptionem per Crucem con-
tumeliosa. Quem sensum distinxit Dominus, primò per particu-
lam aduersatiuam (*Verumtamen*) deinde per aliam particulam
(*A modo*) quæ statum non solùm temporis, sed etiam conditionis
filiationis

filiationis & Regni Christi distingueret, vt superiori Sermone ex-
plicuimus. Per priorem enim statum humiliationis vsq; ad mor-
tem Crucis, patebat aditus ad alterum statum exaltatationis per
resurrectionem ad gloriam. Quòd supra multas veteris scriptu-
ræ præsignationes, & prædictiones, ipse Dominus sæpè præmo-
nebat, præsertim ante ipsum passionis aditum voluntarium, quã-
do dicebat discipulis: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consumabun-* Lucæ 18 ✝ 31
tur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim
gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagel-
lauerint, occident eum: & tertia die resurget. Hæc ibi: Id ipsum con-
firmauit post suam resurrectionem dicens: *Oportebat Christum pa-* Lucæ 24 ✝ 26
ti, & sic intrare in gloriam suam. Optimè etiam conuenit, quando
S Lucas passionem Christi aduentantem, de qua ipse in sua glo-
riosa Transfiguratione cum Moyse & Elia colloqueretur, vocat
excessum Ierosolymis consumandum: sicut & B. Ioannes descri- Lucæ 9 ✝ 31
pturus ipsam eius passionem, vocat eam trãsitum ex hoc mundo Ioan: 13 ✝ 1
ad Patrem. Eiusmodi distinctionem insinuauit etiam ipse Domi- Ioan: 16 ✝ 16
nus dicens: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & vide-*
bitis me: quia ad Patrem vado, hoc est per passionem & mortem. Et
postea subiicit, transitum illum passionis suę mundũ quidem ex-
cepturum esse gaudio, discipulos autem mærore, sed qui postmo-
dum in sua resurrectione in gaudium perhenne foret conuertẽ-
dus. Quod idem intellexit, quando dicebat eisdem Apostolis: Ioan: 16 ✝ 5
Si diligeritis me, gauderetis vtique, quia ad Patrem vado: quia Pater maior
me est. Vado enim parare vobis locum. Istam etiam status sui vicissitu-
dinem potuit intendere Christus in extremis verbis suis in Cru-
ce, quando dixit: *Consummatum est*: Statim enim post, per tradi- Ioan: 19 ✝ 30
tum Patri suo Spiritum seu expirationem, non solùm omnia ad
salutem nostram præsignata consumauit; sed etiam secundùm Hebr: 2 ✝ 10
Apostolum: *eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos fili-* Hebr: 5 ✝ 9
os in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum, decebat per passionem con-
summari: vt sic consummatus, omnibus obtemperantibus sibi fieret causa
salutis æternæ. Ideòq; ab illo expirationis suæ momento, qui in vi-
ta sua, præsertim verò in passione exhibuisset sese *in forma serui,*
quem nimirum secundùm Prophetam, *seruire fecissent peccata no-* Isa: 43 ✝ 24
stra, vt Patri fieret obediens vsque ad mortem Crucis: mox secundũ Psal Psal: 87 ✝ 5
mistam, *euadit inter mortuos liber.* Siquidem non ampliùs, sicut in
crucifixione & subsequente crurifragio, coæquatur latronibus,
Ii ij sed re-

Absalon mors Christo aplicata 2 Reg: 16 cap: 18

sed regium stigma per lanceam militarem excipit, verus Regis filius & super omnes amabilis filius: qui rebellionem quidem humanam in carne innocentissima humana voluntariè gerens, iusta patris indignatione in ligno suspensus moritur, & triplicem corporis sui confossionem, triplici nouæ legis charismatum, emissione contestatus est: traditione quidem spiritus charitatem quę (attestante ipso) maior exhiberi nequit, quàm pro alio animam suam ponere: profusione verò sanguinis, spem & certam arham redemptionis: emissione verò aquæ, fidem in sanctificationis & adoptionis reconciliationem. Per hæc enim comprobauit sese verum Absalonem, hoc est patrem pacis: quia secundùm Apostolum, *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ soluens inimicitias non carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in temetipso in vnum nouum hominem: faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Hæc ibi. Quemadmodum igitur mortuo Absalone, per tubam reuocatum erat prælium, vt multitudini Israel parceretur: Sic tubam illam referebat clamor Christi validus & extremus in cruce: ad quem Centurio cum suis militibus, & reliqua multitudo per confessionem & pœnitentiam, ad salutem fuit reuocata. Quemadmodum etiam ingenuitatis nota esse censetur, vt quis à carnifice quamuis plectendus, manus tamen carnificis non contingat: Sic repemptor noster in seruili conditione à carnificibus in crucem actus, ex cruce non ampliùs manibus carnificum, sed magnatorum ac iustorum deponitur, atque regali & solenni sepultura excipitur. Qualem vicissitudinem Euãgelistæ, nouo quasi historiæ exordio insinuant: quando Ioannes quidem scribit: *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph, &c.* Matthæus verò & Marcus, nouam quasi narrationem, vicissitudine temporis in vesperam protensi describunt. Quod iam ex ipso communi illorum contextu, in prima parte expendamus: In secunda autem statum animæ Christi apud inferos infra triduum degentis examinabimus. Tertiam triumpho Christi apud inferos, & conclusioni recapitulatoriæ passionis Dominicæ, ad nostram informationem, vestris deuotis precibus, impensuri.

Ioan: 15 ỽ 13

Christus pater pacis Ephes: 2 ỽ 14

Mors Christi pacifica 2 Reg: 18 ỽ 16 Marci 15 ỽ 39

Christi conditio post mortem nõ ampliùs seruilis

Argumentum, & dispositio Sermonis

PARS PRIMA

Post

Matt: 27 Marci 15 Lucæ 23 Ioan: 19

Post hæc autem cùm iam serò factum esset (quia erat Parasceue, quod est ante Sabbatum) & ecce venit homo quidam diues ab Arimathea Ciuitate Iudææ nomine Ioseph, qui erat nobilis Decurio, vir bonus & iustus, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatũ, & petiit, vt tolleret corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset. Et accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, tunc Pilatus donauit corpus Ieseph, & permisit Pilatus, & iußit reddi corpus. Ioseph autem mercatus sindonem, venit & tulit corpus Iesu, & deponens eum, accepto corpore Ioseph inuoluit illud depositum in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quòd exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentũ, posuerunt Iesum. Et aduoluit Ioseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.

Methodus tractationis de sepultura Christi

Cap: II Breui descriptione multa hic comprehẽduntur ab Euangelistis, quæ nos propter commodiorem ordinem excutiemus per titulos Circumstantiarum vulgari illo versiculo compræhensarum.

Quis, quid, vbi: quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Gloria martyrium subsequens in Christo inchoata

Apoc: 21 ỽ 4

Primò igitur exordiamur cum Euangelistis à Circumstantia temporis, quam S. Ioannes notat per particulam (*Post hæc*) Per quod insinuare videtur illam de qua supra diximus status redemptoris nostri vicissitudinem, & ex sua exinanitione per passionẽ & mortẽ transitum in gloriam suã. Vt postmodũ sicut in mẽbris, sic prius in capite cõpleretur illa fælicitas, quã idem B. Ioãnes ex cælesti reuelatione sic describit: *Absterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neq; dolor: quæ prima abierũt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia* Hæc ibi. Tunc enim expurgato Synagogæ veteri fermento, Rex Iudæorum, ex throno Crucis in thronum iudicii inferorũ translatus (vt prædictum erat) contra hostes nostros, *innouauit signa, immutauit mirabilia*: vt præuaricationem quidem in redemptionem- culpam,

Post mortẽ: Christi quomodo omnia innouata Eccli: 36 ỽ 6

culpam in gloriam,mortem in vitam,infernum ſeu limbum in Paradiſum,conuerteret. In cuius rei ſignum,omnia etiam noua circa ſuam ſepulturam deſignauit. Noua & audax corporis poſtulatio: nouum conceſſionis priuilegium: noui funeris curatores: noua & ex induſtria comparata ſindon: noua & myſtico pondere exquiſita aromata: nouum deniq; cum ſolenni cuſtodia ſepulchrum: Quæ omnia quaſi noua etiam admiratione digna, inſinu auerunt in eadem narratione alii Evangeliſtæ: Lucas quidem

Lucæ 23 ℣ 50

rem quaſi nouam & inſperatam exprimens hac voce: *Etecce vir,* &c. Matthæus verò & Marcus habent; *Cum ſero factum eſſet:* decli

Matt: 27 ℣ 57
Pſal: 29 ℣ 6

nationem quaſi luctuoſæ illius diei, ad imminentis viciſſitudinis Paſchalis glorioſę determinans: iuxta illud Pſalmiſtæ: *Ad veſperā demorabitur fletus, & ad matutinū lætitia.* Cui optimè conſonat quod addit S. Ioannes, propter Paraſceuen Dominum, eo quem

Paraſceue vera circa ſepulturā Chriſti
Ioan: 19 ℣ 42

deſcribit tempore fuiſſe tumulatum. Verum enim & verè Iudæorum, id eſt fidem futuram confitentium, imminebat Paraſceue Paſchæ, hoc eſt apparatus & inchoatio tranſitus Chriſti ad Patrē, per quem nos quoq; ex ſeruitute diabolica in terram cæleſtis promiſſionis traduceret. Secunda Circumſtantia (*Quid*) notat ipſum factum, , hoc eſt ſepulturam Dominicam, eiuſq;, non dico neceſſitatem, ſed conuenientiam. Quam triplicē aſſignat S. Thomas ſic ſcribens: Conueniens fuit Chriſtum ſepeliri. Primò quidem ad comprobandam veritatem mortis: non enim in ſepulchro aliquis ponitur, niſi quando iam de veritate mortis conſtat.

Sepulturæ Chriſti triplex conuenientia
D Thomas 3 par- quæſt: 51 art: 1

Marci 15 ℣ 44

Vnde & Marci 15 legitur, quod Pilatùs antequam cōcederet Chriſtum ſepeliri, diligenti inquiſitione cognouit eum mortuum eſſe. Secūdò: quia per hoc quòd Chriſtus de ſepulchro reſurrexit, datur ſpes reſurgendi per ipſum, his qui ſunt in ſepuchro: ſecundùm illud Ioan: 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent.* Tertiò ad exemplum eorum, qui per mortem Chriſti ſpritualiter moriuntur peccatis: qui ſcilicet abſconduntur à conturbatione hominum. Vnde dicitur Coloſ: 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Vnde & baptizati, qui per mortem Chriſti moriuntur peccatis, quaſi conſepeliuntur Chriſto per immerſionem, ſecundùm illud Rom: 6. *Conſepulti ſumus cum Chriſto, per baptiſmum in mortem.* Hucuſq; Thomas. Confirmatur iſta conuenientia ex ipſa primęua lege conditionis humanæ. Corpus enim ex quatuor elementis compoſitum,

Ioan: 5 ℣ 28
Coloſ: 3 ℣ 3
Rom: 6 ℣ 4

quamuis

quamuis anima viuificatum, naturaliter ſubiiciebatur reſolutioni per mortem & corruptioni, niſi quòd illa corruptio auertebatur priuilegio & dono diuino im̄ortalitatis, per vſum ligni vitæ. Quod poſtquam primus homo præuaricatione perdidiſſet, remanſit in illo naruralis ad diſſolutionem infirmitas, in pœnam quoq; præuaricationis à creatore cumulata per illam vocem:

Chriſtus verus homo ſubiectus morti, & ſepulturæ vt iura mortis tolleret.

In ſudore vultus tui veſceris pane tuo (pro ligno nimirum vitæ, *panem doloris* ſubſtituendo) *donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hæc ibi. Cum igitur humanitatis lex eſſet, ſicut naſci, & mori, ſic & terræ ex qua ſumptus eſſet reſtitui: inſuper etiam lege præuaricationis, ex corpore in animā quoq; mortem perpetuam deriuari: Verbum æternum Dei filius cùm in propria natura pœnam hom̄is promeritam exoluere non poſſet, neq; Angelica natura, tanquam aliena ad hoc ſufficeret, quando ſecundùm Apoſtolum, *non Angelos ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vt quia pueri* (hoc eſt homines ſuſceptæ à ſe redemptioni deſtinati) *com̄unicaſſet carni & ſanguini, ipſe quoq; participauit eiſdem:* nō quoad culpā, ſed quoad naturam, quam ſecundū Athanaſiū ſuſcepit non ſolū vt in illa naſceretur, ſed potiùs vt in illa moriēdo, ſubiectis ſibi mortalibus, mortē ipſam ſuptraheret & euacuaret. Ideo inquam iura etiā mortis in ipſa ſepultura ſubire voluit: vt & mortis, & ſubſequendę ex monumento reſurrectionis certitudinem adſtrueret. In ordine naturæ Philoſophi agnoſcūt ex quatuor elementis quintam quandam eſſentiam quaſi cæleſtem & à corruptione alienam. Quantò magis nos credemus, ſecundùm Apoſtolum, hominem de cælo cæleſtem homini terreno contemperatum, in illo ſuæ immortalitatis iura reliquiſſe, idq; non ſolùm in natiuitate per regenerationem, ſed etiam in morte per reſurrectionem. Nam ſecundùm S. Thomā, ſicut mors Chriſti efficienter operata eſt noſtrā ſalutem: ita etiam eius ſepultura. Vnde Hieronymus ſuper Matthęū dicit: Sepultura Chriſti reſurgimus. Et Iſaię ſuper illud: *Dabit impios pro ſepultura,* dicit Gloſa, id eſt gentes quæ ſine pietate erāt, Deo Patriq; dabit, quia mortuus & ſepultus eos acquiſiuit. Poſtremo cōueniebat Chriſto mortuo ſepultura: vt ſecundùm Apoſtolū idem eſſet, qui in cęlū aſcenderet, qui & in partes terræ deſcenderet. Sicut em̄ in anima deſcenderat ad partes terræ ſeu tartari inferiores, ſic in corpore debebat deſcendere ad partes eiuſdem terræ ſuperiores, hoc eſt ad ſepulchrum. Vt ſic

Gen: 3 ℣ 19
Pſal: 126 ℣ 2
Heb: 2 v. 14
Athanaſ: lib: de Incarnatione verbi
Quintæ eſentię incoruptibilitas in Chriſto verificata.
Ariſtoteles lib: de cælo
1 Cor: 15 v, 43
Thom: 3 parte quæſt: 51 art: 1. ad 2.
Hieron: in Matt:
Iſa: 53 ℣ 9
Chriſti ſepultura muiſica
Epheſ: 4 ℣ 10
Athanaſ: loco citato

eitam.

etiam ſecundùm Athanaſium, membris ſibi fidelibus iura mortis non ad corruptionem, ſed ad reſurrectionem cōmutaret: ſecundùm illam ſimilitudinem, quam non ſolū Apoſtolus, ſed ipſe Dominus applicuit de ſeminibus, quæ niſi in terrā proiecta, & quaſi emortua, repullulare & fructum inſuper afferre non poſſunt.

Ioan: 12 ℣ 24
1 Cor: 15 v: 36

Cap: III

Tertia circumſtantia continet perſonas ſepulturæ Domini diuinitùs præordinatas. Laudabiliter enim (ſcribit B. Auguſtinus) cōmemorantur in Euangelio qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atq; honorificè tegendum ſepeliendumq; curarunt. Sic ille. Conueniebat autem per iſtum præcipuè virum officium ſepulturæ Chriſti. Primò ex legis veteris præſignatione. Vbi ſcribitur Iacobum Patriarcham filium ſuum Ioſeph ſupra alios dilexiſſe, quòd in ſenectute genuiſſet illum: atq; in myſterium futurorum, vltimo ſuo teſtamento vocaſſe eum filium accreſcentem. Exindeq; filium Patri officium retuliſſe, vt mortuum aromatibus ſumptuosè delibutum, ad terram hæreditatis ſuæ incorruptum deferret. Simili enī modò Chriſtus Dñus, Ioſephū quem per Euangelium genuiſſet, maximè dilexit, quòd quaſi in ſenectute tranſitus ſui de hoc mūdo eū genuiſſet & accreſcentē audatia fidei, Eccleſię ſuæ exhibuiſſet. Vnde etiam ille filiali & quaſi hęreditario mortalis conditionis affectu, veluti patrē & regē honoratiſſimū, ſumptuoſa ſepultura, ad propriā incorruptionis hæreditatem, tali officio fuerit proſecutus Secundò conueniebat: vt ſicut filium Dei in carne aſſumpta, & in forma ſerui naſcentem, Ioſeph putatiuus pater iuſtus & pauper exciperet, ſic eundem filium Dei carne per mortem ſoluta, ex hoc mundo tranſeuntem, & gloriam reſurrectionis aſſumentem, Ioſeph itidem iuſtus, ſed nobilis, inſuper & diues, officio extremo ſepulturæ proſequeretur. Tertia conuenientia elicitur ex patriæ, agnomine & aliis quæ illi ab Euangeliſtis attribuuntur. Primò enim Arimathia ſecundùm B. Hieronymū ſonat deponentem: vt præuiſus ipſo nomine videretur, qui Chriſtum ex Cruce in ſepulchrum deponeret: locus etiam aliquid myſterii prodit ex quo Samuel oriundus, ibidemq; ſepultus, poſt mortem ſimiliter à Saule Rege, rediuiuus Propheta recognoſcitur, & adoratur Hoc ipſū ex officio arguitur: quia à S. Marco vocatur nobilis Decurio: quòd Beda Latinū Etymō ſequens exponit virum de ordine Curię Sed quoniam de Marci Latino Euangelio non conſtat, certiùs Hieronymus deriuat ex alio Euãgelio, hoc eſt Marci, vbi habetur εὐσχήμων βουλευτὴς hoc eſt honeſtus, vel nobilis Conſul, ſeu Conſiliarius: de illoque aliquos intelligere illud Pſalmiſtæ: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, &c.* quòd Euangeliſta dicat, eum non conſenſiſſe concilio necem Chriſti machinanti. Vnde & ex patriæ loco colligitur eum fuiſſe ex conſilio Iudæorum, & quidem inter decem aliquos præcipuum. Iſtud inde etiam arguitur, quòd Nicodemum collegam officii & ſocium in Chriſtum fidei, ad obſequium illud præſtandum adhibuiſſet. Nobilitas quoque eius ſimul & opulentia notatur, quòd ſolus ex illo Iudaico malignantium concilio contra Chriſtum mortuum adhuc fremente, auſus fuerit Pilatum de Chriſto deponendo & ſepeliendo interpellare: quod Nicodemus fortaſſe ſolus non auſus fuiſſet attentare. Porro Pilati adeò facilis admiſſio, & larga corporis ad ſepulturam donatio, inſinuat illum partim vxoris viſione, partim ſubſequentibus circa mortem Chriſti prodigiis conſternatum, mortuo Chriſto, quàm viuenti propter importunitatem Iudæorum, æquiorem fuiſſe. Nam & reſponſio illa Iudæis poſtridie facta, ſonat quandam indignationem, dum ſic loquitur: *Habetis cuſtodiam: ite & munite ſicut ſcitis.* Iſti Circumſtantiæ Chriſti appoſitè ſubiicienda eſt altera. (*Quibus auxiliis*) Sicut enim Ioſeph erat Chriſti diſcipulus nouiſſimus, & quaſi accreſcens, vt ſupra diximus, quem Dominus (ſicut Paulus Oneſimum) in vinculis ſepulchri genuiſſet: ſic Nicodemus dici poteſt fuiſſe ex diſcipulis & filiis prædicationis Euangelicæ primus ſeu primogenitus: quandoquidem initio prædicationis legitur veniſſe ad Dominum nocte, & ab illo in articulis fidei, præcipuè verò regenerationis per baptiſmum, & exaltationis ſuæ in Cruce, fuiſſe catechiſatus. Propterea vterq; quaſi primus & nouiſſimus à Synagoga auulſus, & autoritate gentilica officium Chriſto impendēs, videtur adumbraſſe in hoc facto nouæ legis Eccleſiam, velut ex Synagogæ ſepultura, ad exortum legis Euangelicæ exurgentem.

Sepulturæ Chriſti laudabile meritum p Ioſeph
Auguſt: de ciuitate lib: 1 cap: 13
Gen: 37 v. 3
Gen: 49 v. 22
Gen: 50 v. 2 25
Ioſeph ſicut natiuitatis, ſic ſepulturæ Chriſti curator
Matt: 1 v. 20
Ioſephi atributa Sepulturæ Chriſti.
Hieron: de nominibus Hæb: & in Marcum.
1 Reg: 1 v. 1.
1 Reg: 25 v. 1
cap: 28 v. 15
Decurio quid ſonet
Beda ſuper Marcum
Pilatus Chriſto poſt eius mortē æquior
Matt: 27 ℣ 65
Ioſeph & Nicodemus quales diſcipuli Chriſti
Paulus ad Philemonem ℣ 10
Ioan: 3 ℣ 1.

Cap: IIII

Sed quæritur hîc, cur Apoſtoli videntes primarios ex Concilio Iudaico viros Chriſti ſepulturam curantes, non reſumpſerunt animum, vt Domino & Magiſtro ſuo extremum iſtud obſequium præſtitiſent? Quæſtionem iſtam B. Ambroſius infert & reſoluit ſic ſcribens: Quid ſibi etiam vult, quòd non Apoſtoli, ſed Ioſeph, & Nicodemus Chriſtum ſepeliant, vnus iuſtus, & conſtans alter,

Cur diſcipuli nō curauerint ſepulturam Chriſti
Ambroſ: libro 10 in Lucam

in quo dolus nō erat? Talis enim Chriſti eſt ſepultura, quæ frau-
dem, iniquitatemq́; non habebat. Obſtruitur igitur tergiuer-
ſandi locus: & domeſtico Iudæi teſtimonio reiiciuntur. Nam ſi
Apoſtoli ſepeliſſent, dicerent vtiq; non ſepultum, quem raptum

Apoſtolorum diſperſio reſurrectionem Domini magis cōfirmabat

eſſe dixerunt. Sic ille. Poteſt tamē aſſignari alia ratio, quàm Do-
minus ipſe prædixiſſet his verbis: *Omnes vos ſcandalum patiemini,*
propter me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem & diſper-
gentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæā.

Matt: 26 ℣ 31

Quod & poſt reſurrectionem ſuam, confirmant Angeli ex ſepul-

Marci 16 ℣ 7

chro mulieres ſic alloquentes. *Ite dicite diſcipulis eius & Petro: quia*
præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. Conſeruā-
dus igitur erat terminus à Domino prſignatus & permiſſus di-
ſperſionis, & infidelitatis diſcipulorum, donec paſtor percuſſus
in ſepulchro detineretur, & antequam in Galilęa myſtico immu-
tationis (hoc enim Galilæa ſonat) ſuæ loco, glorioſus illis reſti-

Sepulturas non frequentant Cardinales

tueretur. Iſta fortaſſe ratione (aliam enim legere mihi non con-
tigit) Cardinales S. Eccleſiæ Romanæ Pontificē, quem viuentē
loco numinis venerarētur, mortuū quaſi aliqua perſecutione di-
ſperſi relinquūt ſolis domeſticis, cum tumultuaria quādoq́; e-
orū quæ circa corpus ſunt, ſpoliatione, rapina & deprędatione,
non ſine & hominum aduenarum, & ciuium quandoque, condo-
lētia. Inde fortaſſe & illa ſiue lex, ſiue cōſuetudo, ne iſta dignita-
te Cardinalatus inſigniti, piis funeribus vllo modo comunicēt vel
etiā interſint. Iniurioſa tn̄ videtur religio, quæ tāti operis miſe-

Tobiæ 12 ℣ 22

ricordię meritū efficaciſſimū, & ſalutis cōpēdium cæleſti reuela-

Maria virgo & Ioannes cur ſepulturam Chriſti nō curauerunt

tione imprimis comendatū, proximis cęlorū ianitoribus inter-
cipiat. Sed quid dicemus de Ioanne Apoſtolo, qui cum dulciſſima
ſibiq́; adoptata & comēdata Dei matre, Chriſto in cruce fideliter
ac intrepidè adſtitiſſet, qm̄do in vltimo iſto pietatis officio cū
deſeruiſſent? Quoad Ioannem, dico non fuiſſe inconueniens, vt
cum reliquis Apoſtolis, propter rationem ſuperiùs adductam, à
fidei in Dominum ſuum officiis ſequeſtraretur. Cum ipſe expreſsè

Matt: 27 ℣ 31

prædixiſſet: *Omnes vos ſcandalum patiemini:* vt nec Petrus quidē
fidei & Apoſtolorum vertex, ab iſto caſu exciperetur. De beatiſſi-
ma tamen matre ſecus intelligendum eſt, quæ ex inuenta gratiæ
plenitudine, ſi in filii & quaſi fidei etiam ipſius infantia, magis
in conſumato opere redemptionis, conſeruabat omnia ſalutis
noſtræ myſteria, conferens in corde ſuo. Si enim Philoſophus æ-

quo animo ferebat mortem filii nuntiatam, eò quòd ſciuiſſet ſe
genuiſſe mortalem, multò profectiùs Maria habuit ſolatium de
morte filii, quem ſecundùm Ambroſium firmiter credidiſſet ſe — Lucæ 2 ℣ 51
genuiſſe non tàm mortalem, quàm reſurrecturum. Dixerim ergo,

Mariæ luctus qualis

ipſam mortem dilectiſsimi fili excepiſſe ſimili quo olim Dauid

Anaxagoras apud Ciceronem lib: 3 quæſt. Tuſc:

affectu. Donec enim infantulus ancipiti morbo conflictaretur,
pater cineribus, inedia, & lachrymis obuolutus, caſum filioli ex- — 2 Reg: 12 ℣ 22
cipiebat: mortuo autem illo, luctum in iucunditatem conuerte-
rat: quòd mortalis viciſſitudo, in immortalem tranſiiſſet. Ad e-
undem modum Sanctiſſima Dei genitrix, cùm filium ſuum in cru-
ce à corpore & anima per mortem diſcerpi cerneret, magis ger-
manum quam illa mater coram iudicio Salomonis, doloris diſſi-

Maria virgo fidei reſurrectionis magiſtra

mulare non potuit, nec debuit, affectum. Sed eò iam voluntate
propria mortuo, diſcredentibus Apoſtolis, non eſt dubium, totū
fidei reſurrectionis vigorem in illa remanſiſſe. Quòd igitur E-
uangeliſtæ, eius non ſolū funebre officium, ſed præſentiam quo-
que inter alias fœminas reticent: probabile eſt illam cum ado-
ptato filio Ioanne ad propria ſeſe recepiſſe, vt fidem futuræ re-
ſurrectionis, cognatis ſibi fęminis deperditam ſeu vacilantē, de-
nuo implantaret, ea proprietate qua ab Apoſtolo deſcribitur:
quòd ipſa ſit *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non ap-* — Hebr: 11 ℣ 1
parentium. Quemadmodum enim mortis filii ſui in cruce certi-
tudo, ictu etiam in mortuum corpus erat exploratiſſima ad in-
dubitatam redemptionem: ſic depoſitio illius & ſepulturæ firma-
mentum, debuit eſſe omnibus perſpectiſſimum, ad potentiſſimā,

Mariæ matris in filium defunctū obſequia

& manifeſtiſſimam reſurrectionem: qua quidem increduli Iudęi
confunderentur, & vacillantes in fide confirmarentur. Quanquā
& officia Mariæ erga filium etiam mortuum nō defuiſſe, doctiſ-

Baronius Cardinalis lib: 1 Annaliū de ſepultura Chriſti ex Metaphraſte 15 Augu:

mus Baronius ex Metaphraſte & aliis comprobat, ſic ſcribens:
Porrò Dei genitricem, quæ cum cæteris priùs enarratis fęminis
aderat, magna cū reuerentia collegiſſe, quantum licuit, ſangui-
nem & aquam, quæ è Domini latere fluxerat, ex antiquioribus
monumentis recitat Methaphraſtes: qui & hæc inſuper addit.
Dicunt hi qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vſq; ad finē
ſe fortiter atq; conſtanter geſſiſſe, honeſte quidem, & non inde-
core, vtentem motu animi, factis etiā oſtendens ſe eſſe matrē, ſed
matrem omninò illius, qui motū animi certis finibus continuit:
mortuumq́; vidēs filium, eo motū animi vſa eſt, vt oportuit: quin

etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extrahebantur, in sinu suo accepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis adstringens, partim quidem suis lachrymis plagas emundans, deinde tota toti corpori circumfusa. Ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsq; venit, ô Domine, placida voce dicit. Et Iosepho in manus tradens sudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, vt sepulturæ tradens, hoc eum honestè componas, myrrha condias, & ei iusta facias. Hæc ille. Additq; Iosephum adhuc occultum discipulum propter metum Iudæorum, & timentem illos, hortatu tamen Deiparæ, grande opus ac planè arduum aggressum esse, & omni excussa formidine audacter introisse (vt ait Euangelista) ad Pilatum, ac petiisse dari corpus Iesu. Scimus alios animi affectus in Sanctissima Deipara expressos inueniri in Tragœdia illa inscripta, Christus patiens, quæ ab eruditis, Apollinaris Laodiceni potiùs, quàm Gregorii Nazianzeni esse opus meritò existimatur. Hucusq; Baronius.

Christi in horto sepulti ratio
Ioan: 19 ℣ 42

Cap: V

Sequitur in ordine explicanda Circumstantia loci sepulturæ Christi. Qui primò designatur fuisse in horto, & quidem monti Caluariæ proximo, propter imminentis Parasceues vrgentem instantiam, vt refert S. Ioannes. Sed reuera, non sine mysterio factum est. Decebat enim, vt peccati per primum Adam in horto inchoati & consummati expiatio, per secundum Adam, in horto quoq;, & traditione inchoaretur, & sepultura ad resurrectionem perficeretur: tùm & granum istud cæleste in terra horti emortuum, non ipsũ solum, sed spetiem quoq; hominum credentium regerminaret: & suæ sanctissimæ sepulturæ veluti attactu, potentiùs quàm olim corpus Elizæi, mortuos viuificaret.

4 Reg: 13 ℣ 21
Sepulchrũ Christi in petra quid signet
August: Serm: in Sabbatum sanctũ in Cathena Thomæ citatum
Hieron: super hunc locum

Non minùs conuenienter scribitur Dominus fuisse positus in monumento in petra excisso. Primò secundùm Augustinum, & Hieronymum, ne terra suffossa, suspitionem furati ex sepulchro corporis Domini, suspitionem adduxisset. Propterea etiam saxo ingenti sepulchrum fuit firmatum, quod absq; auxilio plurimorum (vt etiam mulieres sanctę attestantur) reserari non potuerit. Deinde: Quemadmodum petra est solidior & magis compacta & fixa pars terræ: quæ nedum corpora humana corrumperet, sed incorrupta diutiùs conseruaret: Sic redemptor noster, morte & sepultura sua, arham quandam resurectioni & immortalitati humanæ indidit: vt ani-

mæ ad

mæ ad imaginē Dei conditæ, & precio magno redemptæ, tãquã thesaurus ex vasis mortaliũ corporum fictilibus in petrã acquisitæ immortalitatis transferretur. *Scimus enim* (scribit Apostolus) *si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis &c.*

2 Cor: 4 ℣ 7
2 Cor: 5 ℣ 1

Secundo conueniebat, vt petra illa mystica & saluans, quæ secundùm Apostolum erat Christus, & quæ paulò ante percussa salutiferos nobis liquores emisisset, in petram reposita, firmitatem nostræ viuificationis adstrueret: & lapis sine manibus (quia emortuus) de monte exaltatæ crucis abscisus, percuciendo statuam illam terribilem corruptionis & damnationis æternæ, per gloriosam resurrectionē excresceret in montē magnum regni sui, cuius nõ erit finis: & lapis quem in passione reprobauerunt ædificantes Iudæi, fieret per resurrectionem in caput ędificationis tabernaculi cælestis.

Petra Christus in petra quo mysterio reconditus
Num: 20 ℣ 10
1 Cor: 10 ℣ 4
Ioan: 19 ℣ 34
Dan: 2 ℣ 45
Psal, 117 ℣: 22

Nõ sine nouo rursus mysterio sepulchrum illud dicitur esse nouum, in quo nemo ante hac positus est. Cuius rei Doctores sacri aliquot tradunt rationes. Prima & quidem literalis est, Hieronymi, Cyrilli, Chrysostomi, & Bedæ, ne Iudaicæ calumniæ pręberetur occasio, qui alienum, & non propriũ Christi corpus resurrexisse obiicerent. Secunda ratio est Ambrosii sic scribentis: Benè secundùm literam alienum sepulchrum fuit: quia suum monumentum Dominus non quæsiuit. Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis: victor mortis suum tumulũ non habeat.

Sepulchrum nouum conueniebat Christo
Hieron: in Matt: cap: 27
Cyril: in Ioan: lib: 12 cap: 42
Chrysost: hom: 84 in Ioan:
Beda super hunc locum
Ambros: lib: 3 de virginibus

Idem Augustinus latiùs sic prosequitur. Videamus (inquit) quare Saluator in aliena supultura ponatur, & suam non habeat; ideò in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute: Mors enim ista non illi accidit, sed nobis profuit: mors ista non illi illata est, sed nobis delata: vt quid ergo illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat: vt quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cælis? vt quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto quieuit: ipsa enim breuitas temporis declarat potiùs somnũ fuisse, quàm mortem: Sepulchrum autem mortis est habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est, neq; opus habebat semper viuens habitaculo defunctorum. Rectè hanc vitam nos in sepulchro nostro condimus, vt viuificet mortem nostram, vt cum ipso à mortuis resurgamus. Hæc ille. Addi potest.

test.

Leo Serm: de passione Domini

test similis ratio S. Leonis: Christum alieno sepulchro vsum fu-
isse, ad denotandum, quòd in aliena natura passus & mortuus
fuisset. Tertia ratio est Origenis & Augustini, cuius verba sunt:

Sepulchrum Christi sicut vterus maternus inuiolabile

Origenes lib: 2 contra Celsum Et hom: 1. in diuersos locos

Augusttract: 120 in Ioannem

Theophil: in Matt:

Psal: 23 ℣ 1

Lucæ 9 ℣ 58

Sicut in Mariæ virginis vtero, nemo ante illum, nemo post illum
conceptus est: ita hoc monumento, nemo ante illum, nemo post
illum sepultus est. Quarta ratio, quàm etiam tangit Theophyla-
ctus: vt Dominus per totum incolatus terreni curiculum, serua-
ret exinanitionis suæ voluntariæ humilitatem simul & pauper-
tatem. Quemadmodum enim assumendo carnem, quamuis in
propria venisset, locum proprium, in quo nasceretur habere no-
luit: quem cælum & terra capere non potest, alieno præsepi re-
ceptus est: quemadmodũ etiam ipse *Dominus cuius est terra & ple-
nitudo eius*, per totam vitam suam, *non habebat vbi caput reclinaret:*
Sic & moriens sepulchri etiam angustiam sibi ipse denegauit.

Christi Sepulchrũ ex contumelia crucis gloriosum

Deut: 11 ℣ 23

Galat: 3 ℣ 13

Colos: 3 ℣ 14

August: Serm: 18 de verbis Dñi

Quintò, conueniebat redemptori nostro sepultura, non in comu
ni aliquo, vel cadaueribus defœdato sepulchro, sed in nouo &
mundissimo. Nam maledictum illud quod lex diuina irrogabat
pendentibus in cruce, quod *Christus ipse pro nobis factus maledictum,*
suscepisset, secundũ Apostolũ, reliquit Dñs & (vt scribit Augusti-
nus) affixit in opprobrio crucis, ad perpetuã potestatu infernaliũ
ignominiã & expoliationem: ipse verò tãquam victor, nouo & à
cadaueribus sequestrato sepulchro, ad resurrectionis victoriã ex-
hibendã est susceptus: Secundũ quod Isaias prædixerat. *Et erit se-
pulchrũ eius gloriosum.* Ideò ab Athanasio monumentũ illud vocatur

Isa: 11 ℣ 10

Athanas: Orat in sanctã Parasceuen

ĩmortalitatis locus, officina resurrectionis, dissolutio sepulchrorũ
in quo mors desinit esse mors: in quo vita seritur finem non ha-
bens. Sic ille.

Ritus sepulturæ Christi

Cap. VI.

Septima & vltima Circumstantia, indicat mo-
dum & processum sepulturæ Christi: qui tria continebat. Primò
vnctionem corporis Dominici: Secundò inuolutionem, & ad se-
pulturam compositionem: Tertiò ipsam in sepulchrum reposi-
tionem.

Vnctionis corporis Christi rationes

Quoad primum: Vnctio corporum mortuorum erat cõ-
munis nationibus, ad auertendam potissimùm putredinem, vt
corpora eorum opinione in æternum peritura, quàm diutissimè
tamen ad viuorum solatia conseruarentur. Gens autem Iudai-
ca Deo fidelis, adhibebat illam, partim propter temporalis bo-
ni, quod eis lex promittebat, priuilegium, partim ad spem futu-
ræ resurrectionis contestandam: In cuius rei significationem Io-

Gen: 42 ℣ 2

seph Dominus Ægypti, corpus patris sui Iacob, pretiosissimis vn-
guentis

guentis præmuniri curauit, vt in terram promissionis & patriam
sepulturam, integrum deferri posset. Quod magis conueniebat
corpori Christi, per quod incorruptionis, & immortalitatis pri-
uilegium, & translatio in terram viuentium, in se credentibus
promerebatur.

Christus vnctus etiam in morte declaratur

Hebr: 1 ℣ 8

Secundò, Christus seu Messias, cùm ab vnctione
nomen accepisset, tanquam Rex, Sacerdos, & Propheta, dece-
bat; vt sicut in assumptione carnis, in anima vnctus esset gratia-
rum redundantia præ participibus suis: sic in depositione eiusdem
carnis per triduum mortis suæ, in ipso quoq; corpore vnctionem,
ad corporis immortalitatem contestaretur.

Christus gigas fortis ad pugnam vnctus

Lucæ 11 ℣ 21

Isa: 8 ℣ 3

Tertiò: Quemad-
modum Athletæ in stadio pugnaturi, vnctione præmissa corpus
vegetius reddere solent: ad eundem modum, Christus fortior
armatus, hostes invisibiles mox expoliaturus, sicut in anima di-
uinitùs, (vt diximus) vncta, cum hostibus infernalibus còngredi-
ebatur: sic vnctione externa, de morte & corruptione victoriam
designabat.

Christus sponsus sãguinis & odoris

Ephes: 5 ℣ 2

Exod: 4 ℣ 13

2 Cor: 2 ℣ 15

Can: 1 ℣ 4

Quartò: Postquam Christus Sacerdos æternus, sei-
psum Deo Patri in ara crucis, *in odorem suauitatis,* (vt loquitur Apo
stolus) *obtulisset, sponsus noster per sanguinem effectus,* voluit nos in ex-
tremo illo vitæ temporalis decursu, odore bonę conuersati-
onis post se trahere: iuxta illud. *Trahe me post te, curremus in odorẽ
vnguentorum tuorum.* Ideò illa quæ maximè diligebat Maria Mag-
dalena, triplici vnctionis apparatu & studio, triplicẽ quoq; spõ-
si sui statum recognouit:

Magdalena sponsa vnctionis Christi

Marci 14 ℣ 8

Ioan: 12 ℣ 3

Primò mortalem, quando caput suum,
ad futuram sepulturam iniunxit: secundò mortuum, quando of-
ficium vnctionis per Iosephum & Nicodemum factum, obsequio
quoq; suo prosecuta est: tertiò rediuiuum & immortalem, quan-
do ex vnguentaria corruptibilitatis, facta est Apostola Domini-
cæ resurrectionis veritatis.

Iudæ vox hæreticis familiaris.

Ioan: 12 ℣ 5

Non igitur censendi sunt pro filiis
huius sponsi, qui similibus officiis pietatis Christianæ, cum Ma-
gistro suo Iuda solent vocem illam obstrepere: Vt quid perditio
hæc? Quæ enim simili modo expenduntur, non temporalium
perditio, sed potiùs æternorum acquisitio, censeri debent.

Christi Sindone involuti ad sepulturam mysteria

Marci 15 ℣ 46

Iob 1 ℣ 21

Eccli 38 ℣ 16

Secũ-
dum officium sepulturæ erat, corporis Dominici per inuolutio-
nem, ad sepeliendum compositio. Equidem seruata lege huma-
nitatis, filius Dei secundùm carnem, *nudus ingressus in mundum, &
nudus inde reuertitur.* Verumtamen seruandus erat sepulturæ mo-
dus, sic diuinitus præscriptus: *Fili in mortuum produc lachrymas, &
quasi dira passus, incipe plorare: & secundum iudicium contege corpus il-
lius*

lius: Hæc ibi. Valde ergo rationabile iudicium erat Iosephi, corpus Dominicũ inuoluere sindone munda. Primò, vt qui natus, fasciis maternis involutus, in præsepi, suo nos corpore refecturus reponeretur, idem mortuus similiter amictus, in sepulchro, suo nos corpore exinde viuificaturus, reconderetur. Ista ratione, secundùm Rabanum & Bedam, ordinatione B. Syluestri, ex institutione Apostolica, Sacrificium nouę legis, in lineis pannis perficitur, & ipsum corpus Dominicum lineis pallis excipitur. Conuenit & altera ratio Remigii sic scribentis. Sindon lineus pannus est. Linum autem ex terra procreatur, & cum magno labore ad candorem perducitur: quo designatur, quia corpus illius, quod ex terra, id est, ex virgine sumptum est, per laborem passionis peruenit ad cãdorem im̃ortalitatis. Exinde tertia sese prodit ratio: Sindonem mundam Christo immortalitatis vindici obvolutam, designase byssina illa beatitudinis vestimenta, de quibus frequenter mentio fit in Apoccalypsi: præsertim quando is ipse victor corruptionis & mortis dicit. *Qui vicerit, hic vestietur vestibus albis: & non delebo nomen eius de libro vitæ &c.* In cuius etiam rei testificationem, Angeli resurrectionis Dominicæ præcones albis vestiti in sepulchro leguntur apparuisse.

Luc. 2 ℣ 7

Missa cur lineis potissimum velis administratur.

Rabanus & Remigius in hunc locum

Beda in Marcum cap: 15

Sindon beatitudinis symbolum

Apoc: 3 ℣ 5

Ioan: 20 ℣ 12

Quoad tertiũ punctum. Notari ex hoc loco potest diuitũ huius seculi pomposa sepultura: qui non solum vsum, vel potiùs abusũ, sed & fastum indumentorum, etiam post mortem dimittere non possunt: qui postea (meliori vtiq; iure quàm vestimẽta Christi) in ipsis sepulchris prædæ latronum pateat. Quod etiam B. Hieronymus sic perstringit: Ex simplici sepultura Domini, diuitum ambitio condemnatur, qui nec in tumulis quidem possunt carere diuitiis. Sed B. Chrysostomum talia magis excutientem audiamus. Quemadmodum oues & capræ post sectionem, arborem iacentem inuadunt: ita etiam in iis qui hoc modò sunt diuites, multi inimici, multi amici, multi eorum quos beneficiis affecerunt, inueniuntur res illorum perdere & euertere; & qui tot & tanta possidebat, tot pocillatores, tot cocos, crateres aureos & argenteos habebat, tot & tanta terræ iugera, domos, mancipia, equos, mulos, camelos, castra seruorum, solus abit, & nemo cum eo discedit, nec ipsas quidem vestes sumens. Quo enim fuerit splendidiùs indutus, tanto lautiorem mensam vermi parans recedit, & sepulchrorum effossoribus ampliorem cupiditatem, & in miserum

Cap: VII.

Sepulturæ sumptuosæ perstringuntur

Hieron: in Matt: cap: 27

Chrisost: homel: in Psal: 48

miserum corpus maiores insidias. Quò se magis exornat, eò in se maiorem contumeliam comparans, manus eorum qui thecas effodiunt, armans in seipsum & inuitans. Et rursus: *Vocauerunt* (inquit Psalmista) *nomina sua in terris suis.* Quid his rursus est à ratione alienius? qui lapidibus & lignis, & inanimatæ materiæ suam committunt memoriam, & propriam cedunt gloriam? Aliquos enim bonis omnibus euerterunt, & viduas spoliarunt, & pupillorum facultates diripuerunt, vt vermi domum facerent splendidam, tineæq; & corruptioni magnificos ambitus ædificarent: quòd existiment suam per ea futuram immortalem memoriam quæ ne paruo quidem momento temporis potuerunt corpora retinere. Talia em̃ ædificia sunt accusationes mortuorum. Nam & si corpus terra tegatur, lapides tamen vocem emittunt, eorum crudelitatem & impudentiam quotidie accusantes, communes eos hostes proclamantes, eos qui prætereunt, vt eos diris & maledictis prosequantur, & accusent, inuitantes. Quęnam est ergo hæc gloria, accusatorem relinquere non tacentem, sed solo aspectu ora omnium aperientem, & apud omnes qui vident & accedunt, eos qui ædificarunt grauissimè increpantem? Nihil igitur (scribit ibidem) facit nomen adeò immortale, vt natura virtutis. Id ostendunt martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui rectè & ex virtute vixerunt. Quot Reges vrbes euerterunt, portus extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt, nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio & obliuioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est persecutus, & ciuitatem maximè Regiam occupauit, etiam post mortem resplendet sole clarius. Hactenus Chrysostomus. Subinfert Hieronymus: Possumus autem iuxta intelligentiam spiritualem & hoc sentire: quòd corpus Domini, non auro, non gemmis, non serico, sed linteamine puro obuoluendum sit. Quanquam & hoc significet, quòd ille in Sindone munda inuoluit Iesum, qui pura mente eum suscepit. Hæc ille. Theophylactus autem sepulturam istam mysticam sic expendit: Nunc etiam quodam modo Christus apud auaros mortificatur, in paupere famem patiente. Esto ergo Ioseph, & tege Christi nuditatem, non semel, sed in tuo tumulo spirituali considerando recondee: cooperi, & commisce myrrham & aloen amaricantiæ, considerando vocem illam: *Ite maledicti in*

Psal: 48 ℣ 12

Petrus Arcis Romanæ Dominus Chrysostomo.

Sepultura spiritualiter & moraliter aplicata

Theophil: in hũc locum.

Matt: 25 ℣ 41

dicti in ignem æternum, qua nihil amarius æstimo. Hactenus ille.

Matt: 27
Marci 15
Lucæ 23

Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria sedentes contra sepulchrum. Maria autem Magdalenæ, & Maria Ioseph, aspiciebant vbi poneretur. Et dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat, subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Quòd Sacri Euangelistæ adeò diligenter notant præsentiam mulierum piarum circa sepulturam Christi, volunt quidem commendare earum (præsertim Magdalenę) in Christum etiam mortuum amorem & pietatem, iuxta illud Sapientis: *Omni tempore diligit, qui amicus est:* sed præcipuè diligentiùs prosequntur apparatum futuræ vnctionis Christi, & sepulchri diligētem obseruationem, vt celeberrimam Christi resurrectionem, celebrior quoq; mortalis præcederet apparatus: & ex tam sollicito humano in mortuum officio, magis stupendum resurrectionis opus & beneficium exoriretur. Merentur & istæ fæminæ singularem commendationem: primò ex pietate erga Dominum adeò sollicita: quòd cum totam diem in comitatu illo luctuoso consumpsissent: vesperam tamen in Parasceue illa reliquam, curationi, non proprii, sed Christi corporis, leguntur impendisse: Deinde merentur singularem laudem, ex religiosissima sabbati obseruatione, propter quam Dominum etiam Sabbati, ea ipsa die derelinquunt, & vnctionis eius officium differunt. Contrariū prorsus magna cum confusione facit plebs præsertim mulicularum Christianarum: quæ non solùm Sabbato sancto, sed aliquot etiam precedentibus diebus luctuosæ Dominicę passioni assignatis, Parasceues apparatum solicitè exigunt, non mentis ad cum Christo resurrectionem, sed cum Baccho ad ventris repletionem. Videas totis illis diebus nidore placentarum domos repleri: forum & plateas personare, boatu boum, balatu vitulorū & arietum, grunnitu porcorum, stridore anserum & gallinaceorum: talesq; voces officiis in Ecclesia diuinis obstrepere, ac deuotioni addictos à cultu diuino auocare, & Ecclesias vacuas relinqui: Vt eam omnino tunc rerum faciem cernere liceat, quam Propheta sic olim deplorabat: *In illa die, vocabit Dominus Deus exercituum ad fletum, & ad planctum, & ad caluiciem, & ad cingulum sacci: Et ecce gaudium & lætitia: occidere vitulos, & iugulare arietes; comedere carnes, & bibere vinum Comedamus & bibamus: cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum: si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini.* Hucusq; Propheta.

Mulierum piarū officium erat resurrectionis apparatus.

Prou: 17 ℣ 17

Luca 23 ℣ 56
Marci 2 ℣ 28

Pseudochristianorum ad Pascha Ethnicus apparatus notatur

Isa: 22 ℣ 22

Matt: 27

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouißimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.

Cap: VIII

Christus mortuus quàm mortalis Iudęis formidabilior

Sap: 17 ℣ 11

Verissimè euenit in istis nequitiæ & crudelitatis contra Christum Ducibus, quod Salomon de populi Dei persecutoribus scriptum reliquit his verbis: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorū.* Sic ille. Maximè verò talis perturbatio locum habet in his, in quibus sanguinis innocens profusio vindictam quandam occisorum excipere non desinit: cuius rei supra aliquoties exempla posuimus Quemadmodum enim Herodes Ioannem Baptistam viuentem quidem reuerebatur, decolatum verò etiam extimescebat dicens: *Quem ego decollaui Ioannem, surrexit à mortuis, & virtutes operantur in illo.* Sic isti sceleratissimi non tàm homicidæ quàm Deicidæ; viuentem Dominum quidem pertimescebāt dicentes: *Quid facimus, quia homo iste signa magna facit, Si dimiserimus eum sic, omnes credent in illum: & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem &c:* iam autem mortuum prorsus exhorrescunt: rectè subinferentes, suam resurrectionem, maiorem errorem ipsis allaturam, quantò regnum cæleste atque æternum resurrectione parandum, terreno atq; temporali præcelleret. Profecto in stultis illis consultoribus apparuit, (quod idem Salomon censuisset) contra consilia Dei, *cogitationes hominum esse timidas, & incertas prouidentias nostras.* Expendere enim debebant cæci & cæcorum Duces, quod præmonuisset Isaias dicens: *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius.* Similer & illud Iacobi Patriarchæ vaticinium: *Catulus leonis Iuda. ad prædam fili mi descendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leena: quis suscitabit eum?* Istum enim leonem de tribu Iuda & victorem fuisse Christū in cælo triumphantem:

Supra Serm: 2 cap. 35 Et 2 par: Christologiæ Serm: 6. cap: 16

Marci 6 ℣ 16

Ioan: 11 ℣ 47

Error Iudæorum pessimus in negata Christi resurrectione

Matt: 27 ℣ 64

Sap: 9 ℣ 13

Christus Leo quomodo excitatus

Isa. 2 ℣ 22

Gen: 49 ℣ 9

Apoc: 5 ℣ 5.

umphantem, exponit diuina ipſa B. Ioanni facta reuelatio. Sed quòd talia, ſicut & ipſa prodigia circa mortem Chriſti facta, ſaxea illa pectora non commouerent, fecit odium eorum in Chriſtum implacabile: magis autem conſcientiæ damnatæ ſtimulus & cruciatus: Qualis exinde etiam coniicitur, quod magnum illum diem Sabbati in quem Paſcha etiam incidiſſet, cùm mulieres in tantum honorent, vt piam etiam Dominici vnctionem non aggrediantur: iſti legis directores ſcilicet, ſicut in Paraſceue Paſchæ Prætorium quidem ingredi pro piaculo, Chriſtum autem crucifigere pro merito, reputant: ſic ipſum Paſchatis diem, à noua in Chriſtum ſepultum eiuſq; diſcipulos calumnia auſpicantur.

Iudæi in ipſo Paſchate, agnum occiſum perſequi nō deſinunt.

Sed verba eorum expendamus. Imprimis conſiderandũ eſt: Cùm Principes illi Iudęorum ante hac liberiùs Pilatum compellaſſent: dicendo cum quadam regalis libertatis arrogantia: *Si non eſſet hic malefactor, non eum tradidiſſemus tibi*: Et rurſus: *Secundum legem noſtram debet mori: quia filium Dei ſe fecit*: nunc apertè profiteri ſeruitutem Cæſaream cui ſeſe mancipaſſent: quando ſupplicationem ſuam ordiuntur ab hac voce (*Domine*) qua nunquam ante hac Pilatum compellaſſent. Quod etiam confirmat imperioſa reſponſio Pilati ſic dicentis: *Habetis cuſtodiam: ite cuſtodite ſicut ſcitis.*

Iudæi ſeruilem receptam conditionem mox Pilato profitētur. Ioan: 18. ℣ 30. Ioan: 19 ℣ 7

Matt: 27

Secundum verbum quãdo dicunt, (*Recordati ſumus*) arguit, quàm religioſa meditatione noctem illam Paſchalem feroces illæ beluæ tranſegerint: eandem nimirum reſurrecturo & victori, ſicut olim viuenti & Doctori, ſtruentes calumniam. Vocant enim Dominũ, ſeductorem: quod & viuenti (vt modo fatentur) imputabant: quando de ipſo aliis dicentibus quod *bonus eſt*: Principes illi malignantium dicebant: *Non, ſed ſeducit turbam, quæ ſit maledicta & credula, neſciens legem*, & decipi facilis. Et miniſtris, quum ad eum comprehendẽdum ab ipſis miſſi, eo non adducto rediiſſent: dicebant: *Nunquid & vos ſeducti eſtis?* Impudentiſſimi canes, & ſceleratiſſimi hypocritę, Chriſtum primò quidem abſentem, deinde mortuum, audent vocare ſeductorem, qui ſolenni cum Hærodianis legatione ſic illum honoraſſent: *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: Et non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum, &c.* Sed iſtam calumniam Dominus & magiſter noſter etiam mortuus ſubire voluit, vt eam cum aliis paſſionibus, propter conſequendum meritum in membra quoq; ſua deriuaret. De qua inter alia ſic de ſeipſo & aliis gloriatur Apoſtolus

Seductor quam calumnioſe vocatur Chriſtus Ioan: 7 ℣ 12, 48.

Matt: 22 ℣ 16.

ſtolus: *Vt ſeductores: & veraces* Hoc nomine (inquit etiam B Auguſtinus) voluit appellari Dominus IESVS Chriſtus, ad ſolatium ſeruorum ſuorum, quando dicuntur ſeductores. Sic ille. Porro quòd terminum reſurrectionis ponunt poſt tres dies, conuenit cũ ipſa Chriſti prædictione, ſeſe ad inſtar Ionæ Prophetæ, tribus diebus & tribus noctibus, in corde terræ demoraturum. Quod iuxta Rabanum rectè euenit ſecundùm Synedochen ſcripturę etiam Hebræis ipſis vſitatam. Feria enim ſexta qua Dominus paſſus eſſet, comprehendit noctem præcedentem: ſubſecuta deinde eſt nox Sabbati cum ſuo die. Nox verò Dominicę diei noctem viciſſim ſuam comprehendit.

2 Cor 6 ℣ 8 August: in Pſal: 65

Tribus diebus quomodo Chriſtus fuerit in ſepulchro Mat 12 ℣ 40 Raban: Gloſſa hoc loco

Cap: IX.

Iam videamus eorum propoſitio ſeu petitio quàm fuerit abſurda. *Trepidant timore miſeri, vbi non erat timor*, vtq; prædictum illis erat, *Vita illorum* hoc eſt Meſſia *ante oculos eorum appenſa, die ac nocte timent, neque credunt vitæ ſuæ.* Quomodo enim, ſecũdùm Chryſoſtomum, diſcipuli terrore mortis diſperſi, in triduo, ad firmiſſimum ſepulchrum demoliendum, & corpus Domini auferendum congregari potuiſſent, cum id prima nocte dum nulla eſſet clauſura vel cuſtodia non præſtitiſſent? Deinde eſto ablatum corpus fuiſſe: quid quæſo in mortuũ tantopere horrebant, quem viuentem crucifixiſſent? Quis vnquam (inquit Amphilochius) vidit mortuum aſſeruari: vel potiùs quis vidit vnquã mortuum belligerare? Quis audiuit aliquando mortuum & vndiq; circumſeptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt? Quis odium in inimicum non depoſuit, cuius vitam abſtulit? Sic ille.

Iudæorum de Chriſti reſurrectione trepidatio & ſtulta prouidentia Pſal: 13 ℣ 5 Deut: 28 ℣ 66 Chriſoſt: contra iudæos

Amphilochius Serm: de ſepultura Domini

Vox igitur iſta, non tam erat prouidentia, ſicut Prophetia Quemadmodum enim caput tunc Synagogę Cayphas, prophetia, non myſterii, ſed officii, inſtinctu, non intellectu, prædixerat, *expedire vnum mori pro populo, ne tota gens pereat*: ſic iſti tanquam membra emortuę iam quamuis eiuſdem Synagogæ, ea quę ſuggerunt, ad maiorem ſui perniciem euentura quaſi prædicunt. Sicut eñ Cayphas (inquit B. Hieronymus) ignorans ante prophetauerat dicens. Expedit vnũ hominem mori pro populo, & non tota gens pereat: ſic modò. Seductor enim erat Chriſtus, non à veritate in errorem mittens, ſed à falſitate in veritatem, à vitiis ad virtutes, à morte ad vitam ducens. Hæc ille. Idipſum euenit in altero quod addunt: *Et erit error nouiſſimus peior priore.* Ecce ſibi ipſis errorem imputant: Magnus quippe erat error: quando ſic conſulebant; *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani,*

Synagoga vt ante Cayphas in perniciem ſuam prophetat

Seductor qualis Chriſtus Hieror: in Matt: cap: 27

 & tollent

Romani quomodo tulerunt Iudęorum locum & gẽtem
Ioann: 11 ℣ 48

& tollent locum noſtrum & gentem. Quia potiùs quod nõ dimiſerunt eum, ſed loco eius Barrabã, Dominum autem gloriæ crucifixerunt, ſubſecuta (vt ſuperiùs diximus) erat Ieroſolymitana per Romanos vaſtatio, quę ſuſtulit locum illorum & gentem. Succeſſit huic error nouiſſimus peior priori: Primò quidem ſecundùm B. Chryſoſtomum, quia illorum tanta cuſtodia, & militum compactatione, veritatem reſurrectionis Chriſti maximè confirmauerunt: ex cuius reſurrectionis prædicatione, Apoſtoli poſtmodum, non ſolùm gentem illam Iudæorum, ſed etiam vniuerſum mundum conuerterunt: atq; exinde Romani locum illorum ſuſtulerunt, quando prima Synagogę Cathedra, in primam Romanæ Eccleſiæ ſedem fuiſſet tranſlata. Et ſic experti fuerunt illud: *Comprehendam* (inquit Dominus) *ſapientes in aſtutia eorum.* Quia ſecundum Hilarium, metus furandi corpus, & ſepulchri cuſtodia atq; obſignatio, ſtultitiæ atq; infidelitatis teſtimonium eſt: quòd ſignare ſepulchrum eius voluerunt, cuius pręcepto conſpexiſſent de ſepulchro mortuum Lazarum ſuſcitatum. Sic & Lazaro ſuſcitato mortem nouam machinantes, Auguſtinus in hunc perſtringit modum. O ſtulta cogitatio, & cæca ſæuitia. Dominus Chriſtus qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſit occiſum? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino poteſtatem? Si aliud vobis videtur mortuus, & alius occiſus; ecce Dominus vtrumq; fecit, & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitauit occiſum. Hæc ille. Meritò igitur tàm ſtultam eorum importunitatem Pilatus excepit quadam indignatione, ſic reſpondens: *Habetis cuſtodiam, ite cuſtodite ſicut ſcitis.* Cuſtodia quidẽ illa petebatur ex militibus Pilati: cùm Iudæis nõ licuerit interficere quenquam. Quę præſidia cùm ſemel Pilatus ex officio Prætorio Iudæis ad illum actum addixiſſet, poſtea expertus & ablutione manuum conteſtatus fuiſſe iniquiſſimum, nouam conceſſionem denegat. Quaſi ſecundùm Rabanum diceret: Sufficiat vobis, quòd conſenſi ad necem innocentis: De cætero error veſter vobiſcum permaneat. Sic ille.

Chriſoſt: hom: 90 in Matt:
1 Cor: 3 ℣ 19
Hilarius in hunc locum Matt:
Iudæi Chriſto vt Lazaro alteram mortem machinati Ioan: 12 ℣ 10
Auguſt: tract: 50 in Ioan:
Cuſtodia Sepulchri qua autoritate facta
Matt: 27 ℣ 65
Rabanus in Gloſſa ſuper Matt: 27

Cap X.

Pilatus in luctu de Chriſto, Dario erga Danielem comparatus
Daniel 6 ℣ 14

Certè Pilati vxoris viſio adeò terribilis, & tot argumenta innocentiæ & patientię Chriſti, tùm eius diuinæ virtutis tanta ſubſecuta prodigia, potuerunt Pilato erga Chriſtum ingerere talem affectum, qualem Regem Darium, erga Danielem per calumniam ad lacum leonum condemnatum geſſiſſe legimus. Per omnia enim ferè hiſtoria illa facto præſenti

cto præſenti

cto præſenti reſpondet. Daniel enim propter ſingularem ſapientiam & virtutem, erat Regio titulo & honore inſignitus. Propter quod implacabilem aliorum principum inuidiam contraxit: per quam religionis alienæ calumnioſè accuſatus, in lacum leonum quaſi ab eis diſcerpẽdus deſtinatur: Rege fruſtra ad veſperum eius liberationem vrgente, eò quòd decreta Medorũ & Perſarũ imutare non licuerit. Ne tñ Daniel inſidias inimicorũ exteriùs exciperet, Rex oſtium laci ſigillo proprio obſignauit, & incænatus, & inſomni nocte de ſalute Danielis ſollicitus, ſumo mane illęſum & virtute Dei veri quẽ coleret liberatum, cum lætitia eduxit, & ſuo honori reſtituit; calumniatores verò aduerſarios cum tota eorum familia leonibus mox diſcerpendos expoſuit. Ad eundem prorſus modum: Chriſtus Dominus verus ad ſaluandum Meſſias, Regio (quamuis humili & non ex hoc mundo) genere, titulo, & honore, in ſede etiam Ieroſolimæ, proclamatus & exceptus, exinde potiſſimùm inuidiam Principum Iudæorum incurrit: ex qua occaſione, vel potiùs inuidia, atteſtante ipſo Pilato, ad mortem accuſatus eſt, alienæ religionis prætextu, qua populum ad ſeditionem contra Moſaicam ſimul & Cęſaream legem excutiendam commoueret. In cuius tanquam calumnia aperta oppreſſi liberatione, quãuis Pilatus per omne iudicii tempus laboraſſet, tamen proficere non potuit, quòd Iudæis quidem, legem diuinam pro blaſphemia arrogatę filiationis Dei, Pilato verò iura amicitiæ & fidei in Cæſarem, imutare non licuiſſet. Inuitus igitur Chriſtum primo quidem Cruci, deinde ſepulchro quaſi infernalibus leonibus dilaniãdum condemnat: ſignato nihilominus & cuſtodia firmato ſepulchro, ne quid externa fraus aut vis, futuro euẽtui præiudicaret. Probabile etiam eſt, Pilatum non minùs quam Darium, partim vxoris, partim propriæ conſcientiæ poſt tot ſubſecuta prodigia terroribus, incænatum tunc decubuiſſe, & noctem illam inſomnem traductam, euentum quem Iudęi extimeſcerent, æquiori animo præſtolaſſe. Quod & euenit, quando Dominus concluſo ore inferni & mortis, tàm ſibiipſi quã in ſe credentibus, eorum iura in Iudæos aduerſarios exeruit: vt ex illo tompore, quando (vt ipſe eis prædixerat) poſt occiſionem Prophetarum, in nece ipſius Domini, menſuram patrum ſuorum compleuiſſent, & iniquitatem quaſi Amorhæorum conſumaſſent, tàm in ſpiritualibus quoad reprobationem, quàm

Iudæi excidium quod Chriſto parabãt ipſi experti.
Matt: 23 ℣ 32
Gen: 15 ℣ 16

in tempo-

Gen: 49 ℣ 4

in temporalibus quoad vitę & status sui successum, in peius ruerent, ad finalem vsq; per Romanos consumatam deuastationem, Vt meritò illis applicari possit illa Iacob Patriarchę maledictio, *Simeon & Leui fratres* (per quos intelligi potest status politicus, & Sacerdotalis Iudęorum) *vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum nō veniat anima mea: & in cetu illorū nō sit gloria mea: Quia in furore suo occiderūt virū, & in volūtate sua suffoderūt murū. Maledictus furor eorū, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Hæc ibi. Manifestè enim ex occisione Christi, qui ex vtero matris erat vir, prædicitur his verbis Iudaica vastatio, simul atq; dispersio. Hoc etiam eorum generis Scriptor celebris Iosephus tandem dissimulare non potuit, sic scribens: Non equidem recusabo dicere, quod dolor iubet. Puto si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse Ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmina vel Sodomæ incendia passuram: Multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm quæ illa pertulerat. Deniq; cum eorum pertinatia desperata totus populus interiit. Hæc ille. Profectò firmiores vectes seruitutis Romanæ, & aliarum nationum, eos exinde exceperunt, quàm illi sepulchro Domini adhibuissent. Tradit enim Nicephorus, Iudæos illos, non satis habuisse, sigillo & custodia militari sepulchrum munire: sed insuper saxo ingenti quo sepulchrum clauderetur, arte fabrili adhibuerunt ferramenta circulata per ostium & latera sepulchri traducta, quæ non nisi vel ferramentis vel saxo ipso confracto, amoueri potuissent. Quorum ferreorum vinculorum in ipso lapide vestigia, suis temporibus visa fuisse, Beda Venerabilis attestatur. Sed qui potuit illæso Virginis matris vtero nasci: qui potuit ianuis clausis discipulis sese præsentare: qui potuit cælorū orbes illæsos ad dexteram vsq; Dei Patris penetrare: potuit etiam intacta sepulchri clausura resurgere: Postea verò ad suæ resurrectionis manifestationem, sepulchrum etiā fortasse absq; violatione sigilli & clausuræ, (vt diuinam decebat virtutem) per resurrectionis præcones Angelos reserare. Quapropter veteratores illi, cùm milites perterrefacti terræ motu & alijs prodigiis, in Ciuitatem redeuntes, resurrectionem Domini conclamare incepissent, iterata fraudulenta mercede illos corrumpunt: vt obdormiscentes, sibi furto ablatum corpus Dñi per discipulos mentirentur. Quam impudentem

Iudęorum malitia nece Christi quam cōsumata.

Ioseph: de bello Iudaico libro 6. cap: 16

Sepulchrum quā firmiter ab Iudæis munitum

Nisephor: hist: Eccl. lib: 1 cap: 32

Beda de locis Sanctis

Christus integro sepulchro resurrexit

Iudæorum incelanda Christi resurrectione malignitas

impudentem & insanam prorsus calumniā B. Augustinus sic irridet: Dormientes adhibes testes: verè tu ipse obdormiuisti, qui scrutando talia fecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt? Sic ille. Rectè etiam Ecclesia per totum tempus Paschale illis improperat sic canendo: Dicant nunc Iudæi quomodo milites custodientes sepulchrum, perdiderunt Regem. Quare non seruabant petram iustitiæ? &c. Aut sepultum reddant, aut resurgentem nobiscum adorent.

August: in Psal: 63 Et homel: 85.

In statione Processionis Paschalis

Cap: XI

Quocirca istam, sicut totius redemptionis gratiam, sic resurrectionis gloriam, à Iudæorum genere ad gentes esse transferendam, magnificè prædixit Isaias Capite vndecimo. Primò enim describit, Christum Messiam quamuis in humanitate venientem, tamen in eo apparituram esse superabundantiam diuinam omnium gratiarum & donorum Spiritus sancti Ex quo deinde consecuturū esse, vt sub ipso tanquam capite, & fonte tantorum charismatum, membra quoq; ipsius fide adscita, & diuersitas populorum, moribus quamuis, non minòs quam feræ à mansuetioribus animalibus diuersorum, lege tamen charitatis Euangelicæ veluti cicurata, vnius moris (secundùm Psalmistā) in domo Ecclesię Dei, inuicem pacificè atq; fraternè esset conuersatura. Postea subiicit Isaias hæc verba intentioni nostræ seruientia. *In illa die, radix Iesse qui stat in signum populorum: ipsum gentes deprecabuntur: Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Sensus enim est (quem etiam inducit scribens Romanis Apostolus.) Quòd Messias, in genere quidem carni humanæ per eius assumptionem communicans, specialiter tamen generi Iudæorum in Dauide, eiusq; patre Iesse radicitùs quasi copulatus: tamen propter sui proprii generis ingratitudinem, quòd eum non recepissent, coram Pilato negassent, insuper tādem etiam per calumniam occidissent, propterea inquam non futurum ampliùs eius populum (vt prædicit Daniel Propheta) sed ipse ex eadem radice Iesse, non solùm per virgam Mariam secundùm carnem exoriturus, sed postmodū tanquam flos ad nouam atq; im̄ortalis vitæ per gloriosam resurrectionem quasi regerminandus, eiusdem gloriæ statum veluti signum seu tropheum, non ampliùs in reprobis Iudæis, sed potissimùm in gentilitate fideli, esset exaltaturus. Cuius quidem trophæi singularem memoriam constituturus esset, sepulchrum suum gloriosum: Iudæis quidem reprobis & ex loco suo dispersis, in perpetuam

Gloria resurrectionis & sepulchri à Iudæis ad gentiles trasferenda

Isa: 11 per totum

Psal: 67 ℣ 7

Isa: 11 ℣ 10

Rom: 15 ℣ 12

Daniel: 9 ℣ 26

perpetuam confusionem, gentilitati verò fideli in præcipuā gloriam: quod ex orbe terrarum confluentes, fidem verorum filiorum Abrahæ profiterentur, & circa illud, eundem victorem mortis & inferorum confiterentur, simul atq; deprecarentur. Ex illo enim corpore quo locus ille Caluariæ & sepulchrum Dominicū passione, morte & sepultura filii Dei honoratus est, Synagoga Ierosolymitana cum suo Pharisaismo, *facta est* (vt ipse Dominus dicebat) *vt sepulchrum, foris quidem* legis & pacti diuini æterni specie *dealbatum, sed quod intus esset plenum ossibus mortuorum, & omni spurcitia:* Monumentum autem Dominicum (vt dicit Athanasius) factus est fidelibus immortalitatis locus, officina resurrectionis dissolutio sepulchrorum, in quo mors desinit esse mors: in quo vita seritur finem non habens. Sic ille. Addere possumus alias rationes, ex quibus *sepulchrum Christi extiterit gloriosum*, vel (vt verterunt Septuaginta) *eius requies fuerit gloriosa*. Primò ratione loci qui (vt superiùs diximus) in compensationem paradisi primo homini fuisset assignatus, in quo etiam sepulti prima caluaria veluti mortalitatis signaculùm appareret: vt per secundùm cælestem Adam, in Symbolum resurrectionis & im̄ortalitatis, ex horto paradisi quodam modo æmulo, conuerteretur. Secundò, gloria istius sepulchri colligitur ex circumstantia temporis. Dicit enim Euangelista, propter im̄inentis Paschę Parasceuen, in proximo loco illo sepultum fuisse Iesum. Vt secundùm Apostolum, sicut Deus ab operibus creationis, vespere similis feriæ sextæ cessaret & requiesceret, illumq; sanctificaret: sic etiam filius Dei à proprio sibi reparationis seu redemptionis mundi opere, simili tempore cessaret, illumq; sibi consecraret Tertiò, sepulchrum Christi apparet gloriosum, quando scribitur fuisse ex petra solidè elaboratum nouum, in quo nullus ante fuisset sepultus. Decebat enim, vt quibus prærogatiuis vterus virginalis, per quem filius Dei in mundum ingressus esset, honoratus est, similibus etiam sepulchrum, per quod ex hoc mundo exibat, insigniretur. Quartò, gloriosum erat sepulchrum, & ipsa Dominica sepultura, ratione personarum per quas administraretur. Nam (vt suo loco diximus) non ampliùs ad illam admissi fuerunt tormentorum & mortis Christi administri infideles, & (vt eos Dominus vocat) peccatores: sed neq; ipsi discipuli in fide tunc titubantes: sed in fide noua, & cum Christo veluti grano in terram conseminato repul-

Matt: 23 ℣ 27

Athanas: Orat: in Sanctam Parasceuen.

Sepulchrum Christi vestigium terrestris Paradisi Vide supra Serm: 3 cap: 2 ex Basilio

Opus redemptionis sicut creationis simili tēpore finitum Ioan: 19 ℣ 42 Heb: 4 ℣ 10

Sepulchri Christi nouitas & firmitas.

Sepulturę Christi nobilissimi administri.

Matt: 26 ℣ 45

lulantes & inuicti, qui nec Pilati maiestatem, nec Iudęorum atrocitatem pertimescentes, opus sepulturæ perfecerunt. Quintò, sepulura Christi apparuit gloriosa, quoad modum: quandoquidē apparatu verè regio, quamuis non pomposo, fuerit peracta: vt satis etiam suo loco ostendimus. Ad Regiam namq; maiestatem & potentiam pertinet, à militibus esse stipatum. Qualis honor in Rege nobilissimo Iudæorum Salomone Christum figurante præsignatus erat his verbis: *En lectulū Salomonis sexaginta fortes ambiūt, ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusq; ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Hæc ibi. Singulari enim diuinę prouidentię adscribendum esse videtur, quòd post excidium & dispersionem gentis illius Iudaicę, ipsiusq; vrbis & templi, & tot bellicicis cladibus ibidem subsecutis, locus ille insigni Basilica postea decoratus, integer hucusq; permanserit: & sicut antea, Romanis sic hucvsq; truculentioribus Saracenis inuiolabilis, imo quoad protectionem honorabilis, cū religionis Christianę circa illū professionis libertate custodiatur. Qui si in potestate Christianorum esset, fieri posset, vt eorum mutuis dissidiis, schismatibus, vel hæresibus, prophanaretur. Cuius rei non deessent nobis antiquiora exempla, nisi nos recentiora vrgeant: quādo dū hæc scribimus, ex nobis vicina Vngaria in dies ferè nūciatur, tēpla, & alia loca sacra, ab exercitu Pseudochristianorum passim spoliari, & imagines aliaq; sacra religionis nostræ monumēta vel igne cremari, vel cōtumelia affici: Mahumetanorū verò vbi superuenerint præsidia, talia cum quodam honore recollecta, suis locis restituere. Quid igitur miramur, si bella sacra pro recuperatione terræ sanctæ toties pertentata, & bellicæ adeò sumptuosæ quæ seipsas exhauriant, contra istum hostem Christianorum expeditiones, non solùm non succedant, sed pessum eant, nisi Dominus cælesti aliquo insperato auxilio, populi sui reliquias conseruauerit.

Sepulturæ Christi Regális magnificentia lectulo Salomonis comparata Cantico: 3 ℣ 7

Sepulchri Christi custodia & maiestas qualis hucusque

Pseudochristianorum in suam religionem impietas

PARS SECVNDA.

De Christi ad inferos descensu.

Cap: XII. IN prædicatione, vel potiùs in legislatione sua Euangelica, docuerat Christus Dominus: *corpus hominis pluris esse quàm vestimentū. animam verò longè vtrumq; istud antecellere.* Siquidem sicut vesti-

Animam Christus magis curauit quàm corpus vel vestimenta Matt: 6 ℣ 25

mentum consumi, sic corpus occidi posse: de anima verò praecipuam curam esse ponendam, vt potè quae in futura vita, vel aeternae faelicitati, vel gehennae, in perpetuum deputari debeat. Istum singulorum statum diuersùm, Dominus facto etiam confirmauit, quando in cruce moriturus, vltimo quasi testamento, vestes quidem carnificibus infidelibus, corpus autem fidelibus, in quibus tunc fides in discipulis quodam modo emortua repullularet: animam verò Deo Patri, commendaret.

Animae Christi post mortem status, eiusque tationes
Sap: 3 ỽ 1
1 Cor: 1 v. 30
Eccles: 12 v. 7
Hebr: 9 v. 27
Ioan: 12 v. 48
Ioan: 5 v. 27

Si enim dicente scriptura, *iustorum animae in manu Dei sunt*, quantò magis eius qui *ipse est iustitia nostra?* *Si corporis, quòd in puluerem terrae resoluitur, Spiritus reuertitur ad eum qui fecit illum: quomodo corporis illius, quod non potuit sentire corruptionem, spiritus non rediit vel* potiùs remansit in proprio & indiuisibili diuino suo consortio? Si secundùm Apostolum: *Statutum est omnibus hominibus semel mori: & post hoc iudicium:* quomodo non hoc magis debebatur filio Dei & hominis, *qui in terram quidem venit non iudicare: sed iudicari, & in futura vita, Pater dedit omne iudicium Filio, quia filius hominis est?* Propterea ipse post stupendum suscitati Lazari miraculum, postquam responsum suae per mortem glorificationis à Deo Patre accepisset, per illa verba: *Et clarificaui, & iterum clarificabo:* Statim subintulit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi eiicietur foras. Et ego exaltatus à terra, oĩa trahã ad me ipsum.*

Iudicium fecit Christus in corpore cùm morte: in anima cum inferno
Ioan: 12 v. 28, 31

Iudiciũ quidẽ istud filius Dei mortuus quodam̃odo exercuit in corpore suo assistente illi diuinitate inseperabili, vt tunc iura mortis & corruptionis destrueret, & vitam innouaret: Sed propriè iudicium illud exegit in spiritu seu anima à Diuinitate quoq; sua personali indiuisa: Quia tunc verè (vt ipse praedixerat) *princeps mundi iam iudicatus est.*

Ioan: 16 v. 11
Regnum Diaboli Babylonicum quomodo destructum
Daniel 5 ỽ 25

In quò iudicio completa est quodam̃odo scriptura illa manu sanguinolenta redemptoris nostri in superficie Crucis veluti exarata, qua olim Daniel Regi Babylonis (qui diabolum signabat) interitum suum intimauerat, dicens: *Mane, Thecel, Phares.* MANE em̃ sonat, *quòd Dominus numerauerit Regnum Sathanae, & compleuit illud.*

Filii Dei Incarnatio regnum sathanae opugnans
1 Ioann: 3 ỽ 8
Hebr: 2 ỽ 14

Quod quidem inchoatum est ab ipso filii Dei in carnem aduentu. *In hoc enim* (teste B. Ioanne) *apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli:* Et secundùm Apostolum: *Quoniam pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* Et ipse Dominus de regno Sathanae per se demoliendo, hac vsus erat similitudine. *Cum*

fortis

Lucae 11 ỽ 21

fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Hoc etiam praedixerat Isaias, his verbis: *Accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: festina praedari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariae coram Rege Assyriorum.* Quae verba nos in priori tractatu, Christi adhuc infantuli contra daemonem potestati, antiquorum testimõiis applicuimus.

Isa: 8 v. 3
Chrristologiae 1. partis Serm: 17 cap: 5

Secundum verbum ruinae per Christum diabolicae est (THECEL) quod sic exponitur à Daniele: *Appensus es in statera, & inuentus est minus valens.* Per hoc enim insinuari potest iudicium filii Dei incarnati contra Sathanam, quòd in caelo adhuc contra illum auspicatus fuisset, quemadmodum de seipso testabatur dicens: *Vidi Sathanam quasi fulgur de caelo cadentem.* Proptereaq; daemonia non solùm ipsi, sed hominibus in nomine eius obediebant: & in hominibus à se obsessis conquerebantur dicentes: *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* Tempus enim proprium damnationis & spoliationis Sathanae, erat post meritum passionis, & victoriam mortis, per descensum Christi ad inferos. Et sic diabolus in statera iustitiae Dei & suae fraudis positus, inuentus erat minus valens: secundum quòd etiam Dominus mortis suae iura expendens dicebat: *Venit enim princeps mundi huius, sed in me non habet quicquam.*

Diabolus quomodo in statera iudicij Christi appensus & reprobus
Lucae 10 v. 18
Matt: 8 v. 29
Ioan: 14 v. 30

Tertium verbum est (PHARES) quod sonat: *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis:* Quod quidem tunc completum est, quando filius Dei in anima Spiritu diuino vnita & consociata, regnum Sathanae diuisit: relinquendo illi cum suis Pseudoangelis, & animabus reprobis, & damnatis, tartaream perpetuamq; seruitutem, & ignis inextinguibilis cruciatum: regnum verò iustarum, vel suo tunc priuilegio singulari recollectarum ad fidem vacillantem animarum (vt asserit Princeps Apostolorũ) transtulit in regnũ & quasi monarchiam duplicem, Ecclesiae quidem triumphantis, quàm reducta secum captiuitate repleuit, & Ecclesię militantis in qua claues, & recludendi inferni per poenitentiã, & caeli reserandi per iustitiã, reliquisset.

Regnum Sathanae morte Christi diuisum: & in caelos translatum
1 Petr: 3 v. 19
Ephes: 4 v. 8
Matt: 16 v. 19

Cap: XIII.

De Christi ad inferos descensu, tractandi Methodus

Quamuis igitur ex his quę dicta sunt, ratio & effectus descensionis Christi ad inferos constaret possit: Tamẽ quia haeretici (sicut omnia ferè nostrae religionis capita) sic &

hoc

hoc in controuerſiam trahunt: quæſtionẽ per tria ſequentia puncta breuiter explicare ſtudebimus. Primò an ſit infernus, & quid, & quæ eius partes. Secundò, an Chriſtus, & quomodo, ad ea loca deſcẽderit. Tertiò eius deſcẽſsionis rationes & effectus. Quoad

Hæretici etiam de inferno & in inferno errantes
2 Tim: 3 v. 23
Vide Ireneum lib: 5 cap: 31
Rob: Bellar: Diſput at: de Chriſto lib: 4 cap: 7 &c.
Ierem: 2 v: 19

primũ: Hæreticis ſicut ſecundũ Apoſtolũ *propriũ* fuerit *terrare, & in errorẽ alios mittere, & errando ſemper in deterius proficere*: Sic noſtri tẽporis hæretici, eo veſaniæ & impietatis deuenêre, vt cũ antiquis Gnoſticis, infernum ſimul & ſtatum animarum poſt mortem hominis denegent. Aliqui infernum ipſam cadauerum *ſepulturam verè aſininam* reputantes, in qua corpus ſimul cum anima intereat: Alii rurſus in tortura ipſius malæ conſcientiæ, infernum eiuſq; pœnam conſtituentes. Vnde conſequetur, vt iſtæ beluæ, beatitudinem quoq; ipſam in temporali fælicitate conſtituant: eumq; quem deſcripſit Iob effectum ſortiantur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Apparet igitur tales prodiiſſe ex ſchola, non Chriſti & Apoſtolorum, ſed Sadduceorũ atque gentilium, qui tantopere ſcripturam, & fidem iactantes *ignorent ſcripturas & virtutem Dei, & fide abnegata, facti ſunt deteriores infidelibus*, qui bonam vel malam poſt mortem retributionem eiuſq; loca agnouerunt, vt Lactantius, & alli atteſtantur. Eccleſia autem Catholica ſemper tales errores damnans, credit hominibus poſt mortem vitam ſupereſſe indeſinentem, bonis quidem Deo in cælis, malis verò diabolo & Angelis eius adhærentem:

Iob 21 v. 13
Infernum negãtes, cælum etiã negant, peiores Gentilibus
Matt: 22 v. 19
Lactan: lib: 7 cap: 17
Cicero lib: 1 Tuſculan: quæſt: ex Socrate

Hominis poſt mortem ſtatus & mors duplex

Et mortuo homine, corporis quidem receptaculum eſſe terram, animarum autem pro meriti conditione, aut cæli eminentiam, aut terræ profunditatem. Hoc primò arguit, vel ipſa hominis poſt lapſum conditio: Cui ſicut dictum fuiſſet quoad corpus: *terra es, & in terram reuerteris*: ſic in anima duplex mortis reſponſum accepit, cum audiret: *Morte morieris*: vt prima quidem mors intelligeretur animæ à corpore ſeparatio, & in terram conuerſio: ſecunda verò mors in reprobis fieret animæ à Deo fine ſuo vltimo & ſummo bono ſeparatio, & conſortii infernalis deputatio. Iſtum animarum ſtatum non tàm parabolicè, quàm hiſtoricè oſtendit Dominus ipſe: quando ianua paradiſi cæleſtis nondum per mortem & victoriam ſuam reſerata, proponit & Lazarum iuſtum, & epulonem iniquum, mortuos, & ſine dubio vtrumq; quoad corpus ſepultum: ſed animas eorum oppoſitum prorſus ſtatum accepiſſe: Lazari nimirum animã fuiſſe deportatam in ſinum Abrahæ,

Gen: 3 v. 19
Gen: 2 v. 17.

Exemplum Lazari & epulonis in ſtatu poſt mortẽ.
Lucæ 16 v. 22

Abrahæ, diuitem autem ſepultum fuiſſe in inferno: vt quemadmodum terra corpus, ſic etiam infernus animam eius perpetua & irreuocabili damnatione deglutiret. Hoc etiam Dominus in Euangelio ſæpius inculcat, quando ſententia extremi ſui iudicii, bonos quidem ad cæleſtem hæreditatem à Deo præparatam, malos autem ad gehennam infernalem, diabolo & Angelis eius paratam deputat. Plena eſt diuina ſcriptura talibus teſtimoniis. Sed ne in re adeò manifeſta longiores ſimus: ſicut ex initio legis veteris, & meditullio legis Euangelicæ fecimus, ſic ex ipſo colophone ſcripturę proferamus, quod habetur in Apocalypſi. Primò quidem, quando creaturę redemptionis per Chriſtum agnum capacis (quæ propriè hominum eſt,) inducitur ſemel atq; iterum triplex ſtatus, diuerſis etiam locis diſtinctus: primò quidem eorum qui eſſent in cælo, deinde qui in terris degerent: tertiò eorum qui eſſent ſubtus terram, qui tamen & doloris denegata, & gaudii de impenſa, redemptione, fierent participes. Eoſdem diſtinguit Apoſtolus, qui in cælo, in terra, & in inferis genuflexione nomen eiuſmodi redemptionis, quod eſt *IESVS*, excipiant: Et alibi in Apocalypſi ſic habetur: *Dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant: Et iudicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Ecce ex verbis iſtis habemus, non ſolùm infernum eſſe locum ſubterraneum, damnationi & tormentis dæmonum, & impiorum deputatum: ſed etiam, in eodẽ, nõ minùs ſicut in mari (ſi corpora abſorpſiſſet) eſſe diſtincta à perpetua damnatione ſpatia, in quibus homines vel eorum animę, ad futurum retributionis finalis examen reſeruentur. Qualia receptacula tria ad minùs eſſe, vel ipſemet textus arguit: ſicut & triplex iudicii exigetur modus. Vnde Eccleſia non ſine diuinę ſcripturę autoritate, tria eiuſmodi receptacula ſemper credidit atq; profeſſa eſt. Primum à centro terræ remotius erat limbus (quæ vox Græcis tenebroſitatem, Latinis extremitatem, ſonat) Patrum, in quo ſine vlla pœna ſenſus, animæ Sanctorum ab initio mundi, propter reatum culpæ originalis, à ſtatu Paradiſi, & viſionis beatificæ detinebantur. Quod ſignabatur per illum Cherubin cum flãmeo ac verſatili gladio, qui hominibus præcluderet viam Paradiſi, & ipſius ligni vitæ. Qui locus anima

Matt: 25 v. 41, 46
Animarum poſt mortem triplex ſtatus
Apoc: 5 v. 3: 13
Philip: 2 v. 10
Apoc 20 v. 13
Inferni receptaculum triplex
Limbus Patrum quis
Gen: 3 v 24

nima Christi eo descendente, in Paradisum cælestem restitutus est. Huius oppositus in ipso centro terræ situs, propriè dictus est infernus, damnationi & tormentis dæmonum æternis deputatus.

Limbus puerorũ

Cui adnumeratur limbus seu receptaculum infantum, in lege quidem incircumcisorum, in Euangelio autem non baptizatorum, quos tanquam boni vel mali incapaces, pœna non sensus, sed damni, propter priuationem visionis Diuinę, afficiat. Inter ista duo loca, ostendit Dominus in illo Lazari & epulonis exemplo, esse distantiam & chaos quoddam insuperabile, vt ibi detenti, nullatenus inuicem ad sese remeare, vel sibi in vllo comunicare possint.

Purgatorii locus & ratio

Tertius locus intermedius est Purgatorii, propter eorum hominum animas, quæ damnationem quidem æternã non meruerunt, sed propter leuiores quamuis culpas, statim admitti non possunt ad cælestem beatitudinem, in quam scriptura attestante, *nihil intrat coinquinatum*, nisi priùs ad salutem consequẽdam, ex leuiorum culparum veluti stipulis, fæno, & ligno, ad probationem puri argenti vel auri, igne expurgatorio expietur.

Apoc: 21 v. 27
1 Cor: 3 v. 15

Triplex status hominum ad æterna præmia vel pœnas
Lucæ 12 ℣ 44

Hoc etiam Dominus ipse satis insinuauit in illa parabola per quã in domo sua, quæ est Ecclesia, triplicem familiam constituit, in reditu suo (vtiq; ad extremum iudicium) diuersè etiam remunerandam. Nam ad petitionem Petri sic explicat parabolam: Primò proponendo seruum bonum, & fidelem per omnes vigilias, hoc est vitæ tentationes, à Domino adueniente repertum: de quo sic pronuntiat: *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius inuenerit sic facientem: Verè dico vobis, quoniam supra omnia bona sua quæ possidet, constituet illum.* Deinde subinfert conditionem serui mali & infidelis, qui & Domino fidefragus, reditum eius contemnẽs, & in conseruos desæuiens (per quod defectus charitatis in Deum & proximum insinuatur) à Domino insperatè superueniente damnabitur, vt habeat partẽ cũ infidelibus & hypocritis, hoc est, cũ dæmonibus & damnatis: Tertiò loco subiicit statum hominum ad præmia vel pœnas indifferentium: quos quidem Dominus, non præmio vt beatos, nec gehenna vt reprobos, excepturus sit: sed vapulalatione & plagis, maioribus quidem, in eis qui scientes & volentes peccassent, non tamen in finali impœnitentia decessissent; minoribus autem, qui ex fragilitate deliquissent, vel reliquias peccatorum post pœnitentiã, aduentu Domini per mortem præuenti, non expiassent. Hoc etiam intellexit Ioannes Apostolus,

Apostolus sic scribens: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccãti non ad mortem. Est peccatum ad mortem? non pro illo dico, vt roget quis.* Cùm enim Apostolus præmisisset vniuersalẽ fiduciam à Deo impetrationis, quęcunq; secundùm voluntatem eius petantur, subinfert exceptionem: eam petitionem futuram maximè esse præter Dei voluntatẽ, quando oratione ad Deum nostra vellemus eum saluare, qui saluari ipse propter obstinationem & decessionẽ in peccato noluisset.

Peccatũ ad mortem, vel non ad mortẽ, quod eiusq; expiatio
Ioann: 5 ℣ 16

Peccatum enim ad mortem, de quo certò sciri vel constare aliis possit, non potest esse etiam maximum in hac vita, vbi non solùm iustus pro peccatore exoratur, sed *nec ipse iustus scit, vtrum amore vel odio apud Deum dignus sit:* & quamuis sciret, nullum in hac vita peccatum tantum est, quod propria pænitentia vel piorum orationibus expiari non possit. Intelligi igitur oportet peccatum (vt alibi Dominus explicat) in hac vita, & in futura irremissibile, & contra Spiritum sanctum, in quo quis per finalem incredulitatẽ vel impœnitentiam, sponte vel desperatus, mori elegisset.

Eccles: 9 ℣ 1

Matt: 12 ℣ 32
Ioan: 8 ℣ 21, 24

Suffragia viuorũ pro defunctis
Vide Clementẽ Romanum Constit: Apostol lib: 5 in fine
Dionys: Areopag: de Eccles: Hierar: cap: 7
Cyrill: Ieros: Catech: 5 Mystag
1 Cor: 15 ℣ 29

Hinc illæ in primæua Apostolica Ecclesia pro suis mortuis satisfactiones, non solùm per vota & suffragia viuorum adhuc martyrum, sed per baptismi etiam viuorum pro mortuis præsumptionem, vt notat Apostolus. Hoc triplex animarum receptaculum colligi etiam potest ex Christi doctrina, qui loca ista infernalia cor terrę appellauit. Nam secundùm Hieronymum & alios Doctores, sicut cor est in medio animalis, sic infernus est in ipso terræ centro. Dici etiam potest, sicut cor tres habet ventriculos seu capsulas ad diuersos corporis humani vsus: ad eundem modum tria etiam ista inferni receptacula, ad diuersos fines fuerint constituta. Sed quia tractandi istam quęstionẽ alius aliis & nobis ipsis fuerit locus ad secundum punctum propositum transeamus.

Infernus cor terræ cum suis receptaculis.
Matt: 12 ℣ 40
Hieron: in cap: 2 Isaiæ
Ireneus lib: 5 cap: 31
Tertul: lib: de Anima cap: 31
Ambr: in cap: 4. ad Ephes:
Galenus lib: 6. de vsu partium corporis humani

Cap. XV

Quòd non solùm Hęretici aliqui descensum Christi ad inferos (vt dictum est) prorsus negauerint, sed etiam aliqui Catholici articulum istũ in quæstionem verterint, duplicem rationẽ coniicio. Prima, quòd scriptura inter opera Christi in humana redemptione, non tàm apertè de illo, vt aliis loquatur. Legimus enim Dominum, suum exitum de hoc mundo prædicentem, exprimere sui traditionem, capturàm, illusionem, conspuitionem, flagellationem, crucifixionem & mortem, resurrectionem, ipsamq; sepulturam in vnctione sui capitis per Magdalenam facta, satis prædixisse:

Descensus Christi ad inferos, cur in quæst: admissus
Lucæ 18 ℣ 31
Matt: 26 ℣ 12
1 Co: 15 ℣ 3

dixisse: nulla tamen descensionis ad inferos facta mentione. Id ipsum facit Apostolus, primos fidei quoad redemptionem nostrã articulos Corinthiis sic recapitulans: *Tradidi enim vobis, imprimis quod accepi: Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm scripturas: & quia sepultus est: & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas, &c.* Vnde inferri videtur, quòd descensio Christi ad inferos non fuerit facta, vel certè scripturis constare non possit.

Symbola Catholica quid sentiant de Christi descensu ad inferros Ruffinus in Symbolum Aposto:

Istam opinionem videntur, etiam confirmare Symbola Nycænum & Constantinopolitanum, quæ exactissimè Christi & naturam, & gesta circa redemptionem nostram stabilientia, istum tamen articulum omiserint. Sed & ipsum Symbolum Apostolorum (vt attestatur Cyprianus, vel potiùs Ruffinus in eius explicatione) aliquot post Christum annorum Centuriis, absq; isto articulo in Ecclesiis tã Orientalibus, quàm Occidentalibus, fidem non minùs integram orbi exibebat vniuerso. Cæterùm istam dubitationem soluit ibidem Ruffinus, scribens, descensionis Christi ad inferos alicubi non factam fuisse mentionem, quòd eadem vis esset verbi, quòd sepultus esse dicitur.

Sepeliri & descẽdere in infernum non idem est

Non quod Ruffinus intelligat cum hæreticis, idem esse infernum quòd & sepulchrum: sed quòd ex verbis istis consequeretur, Christum vt hominem mortuum, sicut quoad corpus in sepulchro, sic magis quoad animam tanquam nobiliorem partem hominis, descensu ad inferos, iura mortis exoluisse. Si igitur in aliquibus Ecclesiis articulus iste ad tempus tunc omissus fuisset, fortase factum esset, vt Apostoli Thomę (cui articulus iste attribuitur) fides tardior, tardiùs etiam sese captui nascentis Ecclesię explicaret: & simul præmuniret in fide stabiliendos ab errore etiamnum non desinente, quasi Christus in inferis existens, legibus inferni subiiceretur.

Ioann: 14 ℣ 5
Ioann: 20 ℣ 25 29

Christum ad inferos descendisse nunquam in Ecclesia dubitatum Eusebius lib: 1 Hist: Eccles: cap: vltimo

Certè antiquissima Doctorum Sacrorum monumenta attestantur, nunquam in Ecclesia de isto articulo fuisse dubitatum. Refert Eusebius, Thadæum vnum ex 72. discipulis, Regi Agabaro inter articulos fidei Christianę, hæc capita ex Syriaco sermone exposita tradidisse: Quomodo mortuus sit, quãta à Iudęis perpessus, ac quomodo crucifixus, atq; ad inferos descenderit, sepemq; nunquam antea disruptam sciderit. Resurrexit etiam, ac mortuos qui à sęculo dormierunt, vna excitauerit. Hæc ibi. Similia verba habet Ignatius, sic scribẽs: Descendit in infernum solus: ascendit autem cum multitudine: & dirupit maceriam, quæ

erat in sæculo. Sic ille. Abdias Babylonius, Apostolorum discipulus similia habet. Clemens Alexandrinus ex Pastoris seu Hermetis reuelationibus, multa refert, quæ Christus ad inferos descendens exegisset. Idipsum attestatur & Euangelium sub titulo Nicodemi editum. Gregorius Nazianzenus disputat, quomodo anima Christi simul potuerit esse in manibus Patris, in inferno, & in Paradiso. Et respondet, possibile hoc fuisse propter perseuerantem cum Diuinitate vnionem. Suppleat alios quos omitto Augustinus: qui cùm in variis locis istam quæstionem pertractasset, tandem in Retractationibus determinat, sic scribens: De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quòd sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, siue dicãtur, quasi non ita sit. Et cum in pluribus locis probasset, Christi ad inferos descensum, tandem reputat infidelem esse, qui eum denegaret.

Ignatius Epistola 5 ad Trallianos
Ephes: 2 ℣ 14
Abdias lib: 9
Clemens Alexã: lib: 2 & 6 Stromatum
Nazian: Oratione 1 in Pascha
August: Retract: lib: 2 cap: 24 Et Epist: 99

Cap: XVI.

Testimonia Scripturæ de Christi descensu ad inferos 2 Petr: 1 ℣ 19

Sed (vt Princeps Apostolorũ decernit) *firmiorem habemus sermonem propheticum*, vt hoc ex præcipuis scripturæ diuinę attestationibus comprobemus. Ex quibus primum locũ meritò sibi vendicare debet testimoniũ Dauidis Prophetæ, quo B. Petrus ex professo certitudinem resurrectionis Dominicę Iudæis Christi occisoribus cõprobat: Sic enim Dauid prędixerat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est, ne cõmouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua.*

Primum testimonium S: Petri ex prophetia Dauidis
Act: 2 ℣ 25
Psal: 15 ℣ 8

Expositio adductorum verborũ

Conuincit enim Princeps Apostolorum, verba ista non potuisse competere Dauidi, cuius corpus persensisse corruptionem, ipsę sepulchri Ierosolymis reliquiæ contestarentur. Sed hæc propriè prophetico eius spiritu prędicta fuisse de Christo Messia ex lumbis suis proditturo, qui vt homo quidẽ pro liberatione populi sui esset moriturus: sed assistente sibi *à dextris*, hoc est insolubili vnione diuinitate, sicut caro eius in sepulchro nõ sensit corruptionem, *sic anima eius in inferno non est derelicta*, hoc est à maiestate diuinitatis, innocentia sanctitatis, & consortio beatificę claritatis, propter quæ (vt etiam docet Origenes) non solùm iura inferni non esset perpessura, sed etiam, qui fide sui essent, exinde liberatura. Tanti momenti testimoniũ, conãtur hęretici euertere ex verbis imediatè præcedentibus: *Hunc (IESVM) definito consilio & præscientia*

Origenes in cap 9 Epist: ad Rom:

Act: 2 ℣ 23

Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis: Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni: iuxta quòd impoßibile erat teneri illum ab eo. Vbi vim argumenti ponunt aduerſarii, primò in nomine inferni, eiuſq; dolorum: deinde in verbis (ſoluere, & teneri) quia ſolutio præſupponit implicationem: ſicut & retentio, apprehenſionem. Sed ad primum dicimus, in Græco textu. ad quem iſti tanquam originalem ſeſe reuocare ſolent, haberi nomen non inferni, ſed mortis θανάτου Et ſic libenter concedimus, Chriſtum voluntariè ſubiiſſe mortem, eiuſq; apprehenſionem ſeu implicationem, & accerimos etiam dolores: qui tamen tenere illum non potuerint, qui ſeipſum ad gloriam reſuſcitaret. Quæ lectio videtur cõfirmari: quia ibi ſermo eſt non de Chriſto mortuo, nec de anima eius à corpore ſeparata, ſed de ipſo quatenus viuus traditus eſſet ad occidendum, ad experiendos dolores mortis. Tamẽ quia lectio vulgata ab Eccleſia pridem recepta, habet hoc loco nomen inferni, & antiquiſſimi Græci Scriptores ſic legunt: Dicimus S. Petrum per poſterius verbum explicare, qualis fuerit ipſa dolorum inferni in Chriſto ſolutio, quòd nimirum ſoluti eſſent dolores, quia eum tenere, ſed & apprehendere, non potuiſſent. Qui ſenſus confirmatur ſequentibus rationibus. Prima: Quia modus, & terminus redemptionis humanæ in Chriſto, debebat correſpondere modo & termino culpæ. Conſtat autem primum hominem non deliquiſſe poſt mortem anima à corpore ſoluta, ſed ante mortem: quin potiùs mortem in pænam culpæ ſubſecutam fuiſſe. Ergo nec ſecundus Adam Chriſtus tenebatur ad vllam ſatisfactionem eiuſq; pœnas poſt mortem, ſed vſq; ad mortem, Quem terminum expreſſè ponit Apoſtolus dicens: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Et paſſim ſcriptura diuina redemptionem per Chriſtum, attribuit corpori & ſanguini eius, quatenus pro nobis patiebatur, & moriebatur, non quatenus morte ſeparata, effectum potiùs redemptionis & triumphum conſequebatur. Ex profeſſò hoc oſtendit Apoſtolus ſcribens ad Hebræos. Sacrificia legalia, quæ ſine ſanguine non erant expiatoria, in propria & vnica profuſione ſanguinis & mortis Chriſti, ad redemptionem mundi fuiſſe finita & cõſumata. Quod etiam Dominus voce illa vltima in Cruce conteſtatus eſt, quando dixit; *Conſumatum eſt,* Hoc ipſum intellexit quando dicebat:

Chriſtus quomo-inferni doloribus dicitur fuiſſe tentus & ſolutus

Lectionis varietas conciliatur

Iren: lib: 3 cap: 12 Policarp: Epiſt: ad Philipen: Theophilus Alexandrinus lib: 3 Paſchali Cyprian: Serm: de Cæna Dñi

Chriſti ſatisfactio extenſa ad mortem non poſt mortem

Philip 2 ℣ 8

Hebr: 9 & 10 per totum

Ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Hinc illud Apoſtoli: *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere nos ſanctos, & im̃aculatos & irreprehenſibiles coram eo.* Sic & B. Petrus ſcribit: *Ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Et rurſus: *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos in eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis.* Vult enim dicere Apoſtolus: ſicut Chriſtus deſiit, nõ ab actu & habitu peccatorũ, quibus caruiſſet, ſed ab eorum expiatione per mortem ſemel facta, quam iterare nullo modò poſſit, nec debeat: Ad eundem modum, Chriſti tantum paſſionis meritum, membra quoq; eius ſeu in eum credentes, ea quoq; virtute veluti armauit, vt ſemel efficacia eiuſdẽ ſuæ mortis renati, & ex peccatis viuificati, nõ rurſus (vt poſtea S. Petrus explicat) *veluti ſus lota in volutabrum ſuum, vel canis ad vomitum ſuum, redeant,* ſed iuſtitiam & innocentiam ſic reparatam firmiter retineant. Alioqui voluntariè & ſtudioſè peccantes, non aliud facerent, quam ſecundum Apoſtolum, *Chriſtum denuo ſibi crucifigerent, & oſtentui haberent.* Quem ſenſum manifeſtè explicat S. Petrus, verba ſuperiùs citata ſic cõnectẽs: *Chriſtus paſſus in carne deſiit à peccatis, vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quòd reliquum eſt in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium conſumandam, his qui ambulauerũt in luxuriis, &c.* Quod ſi quis obiiciat, peccatũ Adę non tàm corpore conſum̃atum fuiſſe, quòd fructum vetitum comediſſet, quàm in anima, quia mãdatum Diuinum pręuaricaſſet, & in rapina ſeu vſurpatione Diuinitatis diabolo ſeſe coniunxiſſet: exindeq; conſequi, peccatũ in ſecundo Adam, pœna ſeu tormẽto animæ potiùs quã corporis fuiſſe expiandũ. Reſpondemus: pœnalitates omnes quaſcunq; Dominus tàm in vita quàm circa mortem pro nobis ſuſtinuiſſet, grauiores in anima quã in corpore cũ perpeſſum fuiſſe. Ratio eſt, quòd anima illius ab initio beata, & inſuper diuinitati vnita, omnes ſubſecuturas paſſiones præſciẽdo, iugiter etiam præſentiebat: Quòd initio paſſionis disertè præmonuit dicens: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hæc enim verba aliter intelligi non poſſe ſatis ſuo loco oſtendimus.

Cap: XVII. Secunda ratio, cur Chriſti anima doloribus inferni ſicut teneri, ſic & apprehendi nõ potuerit, eſt: Quòd ſecundũ corpus quidem paſſionibus & doloribus mortis ſubiiciebatur, quia eam car-

Ioan: 12 ℣ 32

Coloſ: 1 ℣ 21

1 Petr: 2 ℣ 24

1 Petr 4 ℣ 1

Chriſtus quomodo deſit à peccatis

2 Petr: 2 ℣ 22

Hebr, 6 ℣ 6

Paſſiones Chriſti in corpore in animã quoq; redundabant, ad redẽptionem integrã

Matt: 26 ℣ 38

Anima Chriſti nõ niſi in corpore paſsionibus obnoxia & cur

nem, (quamuis absq; culpa & macula) suscepisset, quæ sub iugo mortis & Sathanæ, propter præuaricationem originaliter subiacebat: sic tamen vt in ea per mortem suam, mortem quoq; absorberet, & Diabolū superaret. Doctrina est Apostoli sic scribentis:

Heb: 2 ℣ 14

Quia enim pueri communicauerunt carni & sanguini, hoc est, (quia in carne ad mortem & damnationem lapsi sunt) *& ipse similiter participauit eisdem.* Vbi cautè loquitur Apostolus, filium Dei veluti patrem futuræ redemptionis, assumpsisse carnē, verū carni per cul-

Isaiæ 9 ℣ 8

pam non communicando, sed per naturam in similitudinem peccati participando. Deinde subiicit eius participationis in carne effectum: *Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti.* Hæc ibi. Donec igitur anima Christi in vita vsq; ad mortem communicabat corpori talibus pœnalitatibus vltrò subiecto, tantisper etiam consociatis veluti passionibus afficiebatur. Consummato verò opere redemptionis per mortem, sicut corpus à dextris veluti (vt loquitur Psalmista) Diuinitati associatum, in sepulchro corruptionem, sic magis anima beata & diuinitate stipata, in inferno, non sensit nec sentire potuit vllam afflictionem: prædicente idipsum Domino:

Ioan: 14 ℣ 30

Venit princeps mundi huius, sed in me non habet quicquam: Habuisset autem totum mortis imperium, si vel momento animam Christi reatu, vel pænis inferni affecisset.

Morte vna quomodo duas mortes in homine sustulit Christus

August: Serm: in Vigilia Pentecostes de symbolo

Quod B. Augustinus luculentissimè sic edocet: Mors Dñi nostri Iesu Christi non fuit in anima, sed in sola carne: mors verò nostra, non solùm in carne, sed etiam in anima: In anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille verò quia peccatum non fecit, nec habuit in anima, non est mortuus, nisi in carne tantùm: & hoc per similitudinem carnis peccati, quam de Adā traxit. Igitur simpla mors eius profuit duplæ morti nostræ; & simpla eius resurrectio, resurrectioni animę & corporis. Resurrectio quippe eius, duas mortes nostras soluit, & duas resurrectiones nostras formauit. Hactenus Augustin⁹.

Nullus inferni locus potuit afficere animam Christi

Exinde tertia consequitur ratio: Descēdit Christus in anima à corpore soluta in infernū: quia talis locus seu receptaculū animab⁹ corpore exolutis esset diuinitùs cōstitutus. Sed cū (vt supra diximus) diuersa sunt loci illius secundū merita, receptacula: Si Abrahā & aliorū Sanctorū animas nulla pęna sēsus potuit afficere, sed tantū pæna damni propter originalē maculā, à quo liberi nō fuissent: Cōsequitur

quitur

quitur quòd Christi animā, quę sicut in tormētis Crucis, sic & in inferno nō desiisset esse beata, & quidē illuc nō raptā, sed veniētē, nō cadentē, sed descendentē: nō pæna sensus (quia peccatū nō fecit, nō pæna damni (quia associata diuinitas sibimet erat gloria) sed potiùs triumphalis gloria & imperiū excepisset: & ipso illic per triduum demorante, infernus, malis quidem gehenna esse non desiisset, sed propter agni illius cęlestis præsentiam & consortium, bonis Paradisi speciem induisset: vt veritate comprobaretur Christi paulò ante adiurata latroni promissio:

Præsantia Christi damnatis erat cruciatus, iustis Paradisus

Lucæ 23 ℣ 43

Amen dico tibi: quia hodie mecum eris in Paradiso. E conuerso enim non solùm blasphemū, sed horrendum est, eum qui latroni pro inferno consortium paradisi tribuisset, ipsum tormentis inferni subiectum fuisse.

Anima Christi diabolo non erat cibus, sed hamus quomodo

Iob 40 ℣ 19. 24

Ruffinus in symbolum

Tertia ratio impassibilitatis animæ Christi in inferno ostendi potest ex modo liberationis humanæ ex seruitute diabolica, non solum secundùm potentiam (vt dictum est) sed etiam secundum sapientiam diuinam, quam Dominus astutiæ & fraudi diabolicæ opposuisset. Quod B. Cyprianus, vel potius Ruffinus, ex similitudinibus quibus in hoc vtitur sacra scriptura sic explicat. Sicuti ergo hamum esca conseptum si piscis rapiat, non solùm escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo esa aliis futurus educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu, non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum; sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuo, & disruptis inferni claustris, velut de profundo extractus traditur, vt esca cæteris fiat. Quòd ita futurum sub hac eadem figura & Ezechiel dudum signauerat dicens:

Ezech: 29 ℣ 4

Ezech: 32 ℣ 4

Psal: 73 ℣ 14

Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campi implebuntur de te, & constituam super te omnes volucres cæli & saturabo ex te omnes bestias terræ. Sed & Propheta Dauid dicit: *Tu confregisti capita draconis magni, dedisti eum in escā populis Aethiopum.* Et Iob de eodem mysterio similiter protestatur, ait enim ex persona Dei loquentis ad se:

Iob 40 ℣ 19

Draco infernalis per offam subordinatam quomodo occisus

Daniel 14 ℣ 26

Euseb: Emessenus hom: de Pascha

Aut adduces draconem in hamo, & pones capistrum circa narres eius? Hæc ille. Cōgener his est similitudo draconis exitialis, quem Daniel sapienti consilio interfecisset. Quòd Eusebius Emessenus in hunc modum explicat. Sic Daniel maximus Prophetarum, horrendum draconem, id est, qui spiritum diaboli præferebat, solidioris cibi virtute conficit, faciens de pice & adipe, id est, de duabus substantiis, vnam offam, qua assumpta, quod putabatur cibus, interitus fuit: In pi-

ce, homo

ce, homo intelligitur, Deus adipe demonstratur, qui totius puritatis candor, & pinguedo est bonitatis. Hæc ille.

Cap: XVIII.

Incarnationis & mortis filii Dei duo signa maxima præmissa: Matt: 12. ℣ 39

Secũdum testimonium sui ad inferos descensus præmisit ipsemet Dominus sic dicens; *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Ad intelligendum locum istũ: præmittendum est, opus incarnationis quo Deus homo fieret, cũ esset supra omnem captum humanum, voluisse Deum, vt summis etiam supra naturã factis seu exemplis fides eius apud homines prępararetur. Ex duobus igitur locis, sicut extremis, sic maximè mirabilibus, hoc est ex cælo & ex inferno, offert ipse Dñus signũ ad tanti operis confirmationem.

Signũm Achaz quale datum Isa 7 ℣ 10

Cũ autem Rex Iudæorũ Achas hypocrisi populo illo innata, vtrũq; detractasset, Dominus signũ quidẽ de cælo assignat, quòd Deus per virginalẽ conceptũ & partũ, verè appariturus esset terris Emanuel, hoc est, Deus & homo, qui lactis & mellis symbolo, bonos quidem esset ad gloriã electurus, malos verò ad damnationem reprobaturus. Alterum signũ reseruauerat eidẽ genti reprobæ & peruicaci, in passione, morte, & resurrectione sua, eidẽ exhibendum; quod iam facit.

Ionæ typus in Christo completus Lucæ 11. ℣ 32

Quando autem addit; *Ecce plusquam Ionas hic*, insinuat istud, quod in Iona typicè accidisset, in se ipso veritate impleri. Ideò per omnia ferè typus conuenit suo prototypo. Sicut enim Ionas ad prædicationem ciuitatis magnæ Niniuæ missus, tempestatem, quæ omnes perditura esset, solus excipiens, sciens & volens in abyssum mittitur, ibiq; ventre ceti exceptus, viuus ad magis efficacem prædicationem & populi saluationem euomitur; Sic

Christus à doloribus inferni quam alienus Baruch 3 ℣ 24

Christus ad domũ magnã Israel conuertendã & saluandã missus, tẽpestatem frementis Ierosolymæ in se excipiens, *vt vnus moreretur homo, ne tota gens periret*, voluntaria passione & morte, in abyssum sepulchri & inferni deiicitur: ibiq; ventre seu corde terræ, hoc est locis infernalibus quo ad animam excipitur, non morte absorbendus, sed vita resuscitandus; non moriturus, sed alios secum viuificaturus; non extinguendus, sed ad æternam glorificationem in regno Ecclesiæ suæ erigendus. Quemadmodum igitur Ionas, verè erat deuoratus à pisce, sed non digestus neq; consumptus, sed potiùs ad efficatiorem saluationem peccatorum vegetatus, & quasi denuo in mundum editus; Ad eundem modum

Christus

Hebr: 5 ℣ 8
1 Cor: 15 ℣ 54

Christus verè quidem passus, verè mortuus, verè sepultus, verè ad inferos in anima descendit: sed tamen sicut in passione non consumptus, sed potiùs *per passionem* secundum Apostolum, *consumatus*: sicut morte non absorptus, sed potiùs secundùm Prophetam *mors per eum est absorpta*: sicut in sepulchro nõ sensit corruptionem, sed potiùs acquisiuit aliorum secum resurgendam viuificationem. Sic & quoad animam, in inferno non solùm non sensit, sed potiùs sustulit eorum qui sese digni essent, damnationem. Hæc quæ diximus antiquissimorum etiam Patrum testimoniis confirmantur.

Negantes descensum Christi ad inferos negant resurrectionem & vitam
Iren: lib: 5 cap: 31

Irenæus: Qui (inquit) vniuersam reprobant resurrectionem (quales sunt infernum realem, vel Christi illuc descensum negãtes) & quantum in ipsis est, eam auferunt de medio: quid mirum, si nec ordinem resurrectionis sciunt. Nolentes intelligere, quoniam si hæc ita essent, sicut ipsi dicunt, ipse vtiq; Dominus in quem se dicunt credere, non tertia die fecisset resurrectionem, sed super Crucem expirans, confestim vtiq; abiisset sursum, corpus relinquens terræ. Dum autem tribus diebus conuersatus est vbi erant mortui: &c. Sicut ipse ait: *Quemadmodum Ionas in ventre ceti tres dies & noctes mansit, sic erit filius hominis in corde terræ.* Sic ille. Quòd optimè conuenit contra nouos istos Gnosticos. Si enim (vt blasphemãt) Christus adhuc in cruce sustinuit cruciatus inferni vsq; ad desperationem, quid opus erat illum secundùm corpus triduo in terra demorari, sed sine omni mora resurgere, atq; cælos conscendere?

Iustinus martyr quæst: 64.

Iustinus martyr etiã sic istam figuram facto Christi accomodat. Quemadmodum Ionas, signum fidei sibi habendæ, quòd à Deo missus esset Niniuitarum euersionis præco, trduanam ex ceto habuit restitutionem: Ad eundem modum & Saluator, signum fidei sibi habendæ, quòd à Deo missus esset præco regni cælorum, triduanam ex sepulchro obtinuit resurrectionem.

Ionas non verbis sed passione Christum prophetat
August: de Ciui: lib: 15 cap: 30
Idem Epist: 49 quęst: 6

Augustinus autẽ sic applicat. Ionas Propheta, non tam sermone Christum, quàm sua quadam passione prophetauit: profectò apertiùs quàm si eius mortem & resurrectionem voce clamaret: Vt quid enim exceptus est ventre beluino, & die tertia redditus, nisi vt significaret Christum de profundo ineferni die tertio rediturum? Et alibi: Sicut (inquit) Ionas ex naui in aluum ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum: Et sicut ille pro his qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro his qui in hoc seculo fluctuant: Et

Oo sicut

ſicut primò iuſſum eſt; vt prædicaretur Niniuitis à Iona, ſed non
ad eos peruenit prophetia Ionæ,niſi poſtea quàm eum cetus euo-
muit: ita prophetia præmiſſa eſt ad gentes, ſed niſi poſt reſur-
rectionem Chriſti, non peruenit ad gentes. Iam verò quòd ta-
bernaculum ſibi conſtituit, & conſedit ex aduerſo ciuitatis Nini-
ue, quid ei futurũ eſſet expectans, alterius ſignificationis perſo-
nam Propheta geſtabat. Præfigurabat enim carnalem populum
Matt: 9 ✝ 12. Iſrael. Nam huic erat & triſtitia de ſalute Niniuitarum,hoc eſt,de
redemptione & liberatione gentium. *Vnde venit Chriſtus vocare,nõ*
Heb: 10 ✝ 1. *iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.* Vmbraculum ergo cucurbitæ
ſuper caput eius,promiſſiones erant veteris Teſtamenti, vel ipſa
iam munera, in quibus erat vtiq;, ſicut dicit Apoſtolus, *vmbra fu-*
Vermis quomodo Chriſtus. Iona 4. ✝ 7. *turorum*, tanquam ab æſtu temporalium malorum in terra promiſ-
ſionis defenſaculum præbens. Vermis autem matutinus quo ro-
dente cucurbita exaruit, idem ipſe Chriſtus occurit, ex cuius
ore Euãgelio diffamato,cuncta illa quæ temporaliter apud iſraë-
litas velut vmbratili priùs ſignificatione viguerunt, euacuata
marceſcunt. Et nunc ille populus amiſſo Hieroſolymitano re-
gno, & ſacerdotio,& ſacrificio (quod totum vmbra erat futuri)
in captiua diſperſione, magno æſtu tribulationis aduritur,
ſicut Ionas, quòd ſcriptum eſt, à ſolis ardore, & dolet grauiter;&
tamen dolori eius atq; vmbræ quam diligebat,ſalus gentium pæ-
nitentiumq; præponitur. Adhuc cachinnent Pagani, & iam ver-
men Chriſtum, & hanc interpretationem Prophetici ſacramenti
ſuperbiore garrulitate derideant,dum tamen & ipſos ſenſim pau
Iſa: 51 ✝ 7. latimq; conſumat. Nam de omnibus talibus Eſaias prophetat,
per quem nobis dicit Deus: Audite me,qui ſcitis iudicium popu
lus meus,in quorum corde lex mea eſt, opprobria hominum noli-
te metuere, & detractione eorum ne ſuperemini, nec quòd vos
ſpernant magni duxeritis. Sicut enim veſtimentum, ita per tem-
pus abſumentur, & ſicut lana à tinea comedentur, iuſtitia autem
mea in æternum manet. Nos ergo agnoſcamus vermem matuti-
num, quia & in illo Pſalmo, cuius titulus inſcribitur: Pro ſuſce-
Pſal: 21 ✝ 7. ptione matutina, hoc ſeipſe nomine appellare dignatus eſt: *Ego,*
inquit, ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.
Hoc opprobrium de illis opprobriis eſt,quæ iubemur non metuere
per Iſaiam dicẽtem: Opprobria hominum nolite metuere. Ab iſto
verme tanquam à tinea comeduntur, qui ſub eius dente Euan-
gelico per ſingulos dies paucitatem ſuam deficiendo mirantur.

Nos hunc agnoſcamus, & pro ſalute diuina, humana opprobria
ſufferamus. Vermis eſt propter humilitatem carnis, fortaſſis eti- Vermis natura Chriſto aſſimilata et quomodo vermis matutinus
am propter Virginis partum. Nam hoc animal plerunq; de carne,
vel de quacunq; re terrena, ſine vllo concubitu naſcitur. Matuti-
nus eſt, quia diluculo reſurrexit. Poterat vtiq; illa cucurbita &
ſine vllo vermiculo areſcere. Poſtremò ſi habebat Deus ad hoc
vermem neceſſarium, quid opus erat addere matutinum, niſi vt
ille vermis agnoſceretur, qui cantat pro ſuſceptione matutina.
Ego autem ſum vermis, & non homo? Quid iſta prophetia iam ipſo re-
rum effectu & adimpletione lucidius? Si irriſus eſt vermis iſte cũ
penderet in cruce, ſicut in eodem Pſalmo ſcriptum eſt: *Locuti ſunt* Pſal: 21 ✝ 8 17
labiis, & mouerunt caput: ſperauit in Deum, eruat eum, ſaluum faciat eum,
quoniam vult eum. Cùm completa ſunt quæ ibi prædixit: *Foderunt*
manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea: Ipſi verò con-
ſiderauerunt, & conſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper
veſtem meam miſerunt ſortem: quod tanta manifeſtatione futurum
in libro antiquo prophetatur, quanta manifeſtatione factum in
nouo Euangelio recitatur. Sed ſi in hac humilitate, vt dicere
cæperã, iſte vermis irriſus eſt, nunquid adhuc irridendus eſt, cùm
ea compleri cernimus, quæ conſequentia Pſalmus ipſe habet?
Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: Et Pſal: 21 ✝ 28
adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ patriæ gentium; quoniam Domini eſt
regnum, & ipſe dominabitur gentium. Sic cõmemorati ſunt Niniuitæ,
& cõuerſi ſunt ad Dñum: hanc ſalutem pænitentiæ gentiũ tantò
ante pręfiguratã in Iona, dolebat Iſraël, ſicut nũc dolet vmbra nu
datus, & æſtu ſauciatus. Liceat ſanè cuilibet quãlibet aliter, dum
tamen ſecundũ regulam fidei, cętera omnia quæ de Iona Prophe
ta myſteriis operta ſunt aperire. Illud planè quòd in ventre ceti
triduo fuit, fas non eſt aliter intelligere, quàm ab ipſo cæleſti ma-
giſtro in Euãgelio cõmemorauimus reuelatũ. Hactenus Auguſtin9
Cap. XIX. Tertius locus habetur ex doctrina Apoſtoli, prophetiam Daui- Chriſtus reſpectu deſceſus inferni cælos aſcendit
dis ad hunc modum explicantis. *Propter quod dicit: Aſcendens in al-*
tum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem Epheſ: 4 ✝ 9
aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit, primum in inferiores partes terræ.
Qui deſcẽdit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cælos, vt impleret omnia.
Deſcribit ibi Apoſtolus duplicẽ ſtatũ Eccleſię, quẽ Chriſtus poſt Eccleſiæ ſtatum duplicem Chriſtus reſurgens diſtinxit
ſuam reſurrectionem conſtituiſſet: vnum Eccleſiæ triumphãtis,
quam ex inferis captiuã in cælũ ſecum deduxiſſet, alterũ Eccleſię

adhuc in terra militantis, cui ad conſequendam ſimilem gloriam, varia dona & chariſmata, ſecundùm varios eius ſtatus reliquiſſet. Quòd longè ante Deus per Michæam Prophetam ſic prenunciauerat:

Mich: 12 ℣ 12

Congregatione congregabo Iacob, totum te in vnum conducam reliquias Iſrael, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, quaſi pecus in medio caularum: tumultuabuntur à multitudine hominum. Aſcendet eñ pandens iter ante eos: diuident & tranſibunt portam, & ingrediuntur per eam: Et trãſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. Hæc ibi. Quemadmodum enim filius Dei carnem aſſumendo de cælis in terram deſcendit, vt ex hominibus viuis & credentibus Eccleſiam ſibi congregaret, cuius ipſe Dominus eſſet & caput: ſic depoſita per mortem carne ex terris ad inferna deſcendit, vt ſimiles ſibi animas ad vnum ouile ſeu Eccleſiam ſuam pertinentes, tanquam eorum Dux & Rex ſecum ad ſuperna eueheret. Quod alibi idem Apoſtolus docet ſic ſcribens: *Ipſe* (Chriſtus) *eſt caput corporis Eccleſiæ: qui eſt principium primogenitus ex mortuis: vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinẽ Crucis eius, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt.* Idipſum hoc loco Apoſtolus oſtendit, primò energia & proprietate verborum.

Inferiores partes terræ quas adiit Chriſtus.
Epheſ: 4 ℣ 9

Non enim dicit deſcendiſſe Dominum in ſuperficiem terræ, ſicut ante per incarnationem, neq; in ſuperiorem partem terræ, quale erat ſepulchrum eius corpus excipiens: *ſed in inferiores partes terræ*, hoc eſt, quæ eſſent in imo ſeu ipſo centro terræ, & quæ certis ſuis partibus conſtarent: vt ſuperiùs explicuimus. Sic paſſim exponunt antiqui Doctores ſacri locum iſtum: cùm infernus propriè dicatur, qui infra ſe nihil inferius habeat. Deinde explicat hoc Apoſtolus ex collatione & antitheſi duorum terminorum extremè diſtantium: inferiora terræ vocans carcerem animarum: ſicut locum ſupra omnes cęlos, intelligens ſedem Dei, & beatorum.

Hieron: & Theophil: & Ambroſ: in hunc locum. Et lib: de myſterio paſchatis.
Chriſtus vt ſuma cælorum aſcendit: ſic ad ima terræ deſcendit
Rom: 10 ℣ 6

Iſta etiam collatione vtitur ad Romanos, legis à Moyſe cõmendationem Euangelio ſic applicans. *Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cælum? id eſt Chriſtum deducere: Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare.* Quaſi dicat Apoſtolus: Lex Euangelica tantò præſtat Moſaicæ, quòd Moſaicâ impoſſibile foret vel in cælo, vel ſubtus terrã ſcrutari, & eius exinde teſtimoniũ accipere. Quod tñ lex Euangelica fuiſſet conſecuta, quando illã filius Dei ſicut primo ſuo de cælis per carnem deſcenſu, ſic poſtea ſua & apud

apud inferos prędicatione, & poſt reſurrectionẽ per quadraginta dies allocutione, ad eius ſalutarem effectũ comprobaret. Quem ſenſum confirmant poſteriora verba Apoſtoli, quãdo cauſam veluti eius deſcenſus & aſcenſus reddens ſic ſubinfert: *Vt adimpleret omnia:* hoc eſt, vt alibi clariùs loquitur: *Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt viuorum ſimul & mortuorum dominaretur:* Et ſic (vt addit alibi) *in nomine Ieſu per paſſionem & mortem glorificati, omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: Et omnis lingna confiteatur, quia Dominus IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

Act: 1 ℣ 3
1 Petr: 3 ℣ 19
Act: 1 ℣ 3
Chriſtus ſuo deſcenſu & aſcenſu qmo impleuit omnia
Ephes 4 ℣ 11
Rom: 14 ℣ 9
Phil: 2 ℣ 10

Cap: XX.

Quartum teſtimonium, Chriſti victoris ad inferna deſcendentis, ponit Princeps Apoſtolorum, ſic ſcribens: *Chriſtus mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu. In quo & his qui in carcere erant, ſpiritu veniens prædicauit: qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei pacientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, &c.* Et poſtea in eadem Epiſtola, loquendo de incredulis & infidelibus ſic habet: *Qui reddent rationem Deo, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt: vt iudicentur quidem ſecundùm homines in carne, viuant autem ſecundùm Deum in ſpiritu.* Vtrumq; locum iſtum, nos in ſecunda parte iſtius de Chriſto tractatus pro virili explicuimus, eò lectorem remittentes. Aliqua tamen ad meliorem explanationem & autoritatem ſuperaddamus.

Chriſtus in carcere inferni quomodo prædicauit
1 Petr: 3 ℣ 19
1 Petr 4 ℣ 5
Chriſtol: 2 parte Serm: 13 cap. 4. & 5.

Aſſerit Princeps Apoſtolorum his verbis, Chriſtum primo eſſe Sacerdotem, qui in ſeipſo verò & vnico ſacrificio, tanquam caput noſtrum, offerat etiam Deo Patri membra ſua, hoc eſt fideles, non ſolùm viuos, ſed etiam piè defunctos: cum & ipſe in typo Aaronis inter viuos & mortuos ſacrificantis, per ſanguinem & mortem ſuam, & viuos per pænitentiam, & defunctos in via ſalutis conſtitutos, per miſericordiam, Deo Patri reconciliet. Ideòq;, vt ſic viuorum & mortuorum dominaretur, mortificatus quidem eſt in carne, in qua verè eſſet paſſus & mortuus ad culpę humanæ expiationem: ſed ſimul viuificatus eſt ſpiritu: quia propter vnionem verbi ad animam, ex morte factus eſt, non ſolùm *in ſpiritum viuentem*, ſed ſecundùm Apoſtolum *in ſpiritũ alios viuificãtem.*

Explicatio ſuperiorum verborũ S. Petri
Num: 16 ℣ 48
1 Cor: 15 ℣ 45

Propterea cùm redemptionem in ara Crucis per mortem exegiſſet, in ſuo ſpiritu veniens in carcerem, hoc eſt, ad locum infernalem, in quo diabolus animas etiam iuſtorum propter culpam originalem, & paradiſi obſerrationem iure vel tyrannide ſua detinebat: ibiq; iudicium contra Sathanam, quòd initio paſſionis ſuę ancho-

Chriſtus apud inferos quid operatus fuerit

inchoauerat (vt initio sermonis istius diximus) executus est, quãdo iustos quidẽ per bonitatẽ suã promeritæ beatitudini vindicauit: malorũ aũt seu reproborũ damnationẽ, per iustitiã cõfirmauit: errãtes aũt, & à pænitentia morte præoccupatos, per misericordiã euãgelizatione sua saluti restituit. De quo Damascenus: Descendit (inquit) in infernum anima Deificata: vt quemadmodum iis in terra ortus est iustitię sol: sic & eis qui sub terra in tenebris & vmbra mortis sedebant, lux infulgeret. Et vt quemadmodũ *in terra euangelizauerat pacem, captiuis remißionem, cæcis visum: & iis qui crediderunt*, factus est causa salutis æternæ: incredulis autem infidelitatis improperium & redargutio: sic & iis, qui in inferno: vt *ipsi omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Hæc ille. Similiter Eusebius: Vsq; ad mortem (inquit) atq; vsque ad mortuos ipsos, leges charitatis ipsum (Christum) vocabant: vt eorum quoq; qui antea erant mortui, animas reuocaret. Idipsum attestantur plures alii Orthodoxi Scriptores: quos hic pertexere, non est præsentis instituti. Quòd igitur de exterminio per diluuium exprimit B. Petrus, itidem in aliis subitaneis casibus accidere potuisse non negant aliqui Catholici Scriptores. Quamuis enim lege ordinaria, in inferno nulla sit redemptio, vbi quis diuina sententia illuc destinatus esset: Tamen potentia Dei absoluta, præsertim in singulari illo opere humanæ redemptionis talibus legibus non includitur: dicente B. Augustino: [b] Alia sunt quæ in lege cõmuni accidunt, & alia quæ singulariter ex priuilegio aliquibus conceduntur: sicut alii sunt humanarum limites rerũ, alia diuina signa virtutũ. Sic secundũ Chrysostomũ, descendit Christus ad inferna, vt & ibidem à miraculis nõ vacaret. Quod & ipsa ratio conuincit. Si enim in cruce adhuc mortalis & afflictus, latroni primò quidem blasphemanti infernum, deinde pænitenti, saltem purgatorium, cõmutauit in paradisum: quid mortem iam superans, & ipsius tartari victor, iis quibus volebat, & quos tanto euãgelizationis suæ vigore disposuerat, ex pœnis, suę gloriæ consortium denegasset? Iudicia enim diuina ab humanis plusquam cælum à terra distica esse, ipse contestatur. Et Moyses cum Paulo, cælestibus quamuis mysteriis quæ non liceat homini loqui imbuti, admirantur illud inscrutabilę iudicium diuinum, cui pro ratione voluntas, pro causa effectus definitur, his verbis: *Miserebor cui misereor: & misericordiam præstabo, cui miserebor.*

Damas: de fide lib: 3 cap. 29

Lucæ 4 ✠ 18

Philip: 2 ✠ 10

Euseb: Cæs: Demonst: Euan: lib, 4 cap: 12

Vide Cyrill: Alex de recta fide ad Theodos: Et in Ioann: lib: 12 cap: 36

Clement: Alex. lib: 2 & 6 Strom:

Iren: lib: 4 cap: 45

Hilar: in Psal: 138 & lib: 10 de Trin:

[b] August: lib: de cura pro mortuis agenda

Chrysost: hom: 2 in Symbolum

Christus mortalis faciebat prodigia, quid non faceret imortalis?

Iudicia diuina in saluando vel reprobãdo sumẽ inscrutabilia

Isa. 55 ✠ 9

Exod: 33 ✠. 19

Rom: 9 ✠ 15

Hię

Cap. XXI

Hic non videntur omittenda similia exempla nõ obscuris relationibus tradita. Primum est de Traiano Imperatore. Cuius iustitię & ęquitatis recordatione B. Gregorius damnationem deprecatus, in salutem conuertisse fertur. Quòd inter alios attestatur Doctor Orthodoxus Ioannes Damascenus, asserens hoc fuisse verum & absq; omni calumnia à toto Oriente & Occidente cõtestatum. Quo argumento confirmat ibidem fidem de salute Falconillæ, precibus similiter B. Teclę à Deo impetrata: quòd ad idololatriæ crimen vtriq; cõmune, Traianus etiam persecutionem in martyres adiecisset. Tertium exemplum refert Anastasius quidam Antiochenus, qui interfuit Synodo sextæ generali in suo Itinerario, & confirmat Nicetas, de Platone, incusando quendam Scholasticum, qui Platonem inter damnatos retulisset: affirmando eum sibi in somnis apparuisse, asseuerantem se ex primis fuisse, qui prædicatione Christi apud inferos saluarentur. Quam assertionẽ suã Anastasius confirmat sententia antiquissimorũ Irenæi, & Clementis Alexandrini, qui censeant, prædicationem Christi, si in terris, magis in loco & statu illo consumandæ redemptionis, oportuisse fieri efficacẽ. Fabulãtur Ethnici Poetę Orpheum vxorem Eurydicen sibi charissimam morte extinctam, lyræ suauissimo cantu, quo dæmones ipsi demulcrentur, ex inferis euocasse quidem, sed non reuocasse: quòd sit secundùm Poetam:

Facilis descensus Auerni
At reuocare gradum, superasq; euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Quid non igitur Christus æternus victor ac debellator, sua prædicatione effecisset, præter quem *nũquã sic locutus esset homo*, qui lectores effecisset auditiores & admiratores, & qui paulò ante cõprehendẽdus, vna voce cohortẽ armatã iterũ atq; iterũ prostrauisset? In talibus puto, sicut de fide nihil esse statuẽdũ, sic etiã quę Deo possibilia forent, non prorsus reprobanda. Siquidem testatur Apostolus, *gentes sibi ipsis legem fuisse, & non solùm ex creaturis creatorem, sed etiam per Dei reuelationem, Deum eiusq; naturam atque sempiternam virtutem simul & æternam bonam vel malã retributionem, cognouisse: si modò Dei cogniti gloriam, ad creaturas non transtulissent.* Quod tàm in Traiano, quàm in Platone non defuisse, eorum tùm scripta rum gesta præseferunt. Fieri igitur potuit, vt præueniens Dei misericordia, & subsequens adeò stupenda Dñi gloriæ prædi-

Traiani anima an ab inferis & Falconillę liberata Damas: Oratione pro defunctis

Vide Disputat: Belar: de Purgat: lib: 2 cap: 6.

Thomam lib: 4. Senten: Distin: 45 quæst: 2

Plato an prædicatione Christi ex inferno liberatus

Nicetas in Oratione secundam Nazianzeni de Paschate.

Orphei adeuntis inferos fabulam veritate inpleuit Christus

Virgil: Aeneid: 6.

Ioan 7 ✠ 46

Gentiles legem naturę pure seruantes ad fidẽ & salutem dispositi.

Rom: 1 ✠ 19 &c.

catio

Dei prædestinatio oculta, humanis præsidiis perficitur
Gregor: Dialog: lib: 1 cap: 8
Epiph: hæresi 46
Thomas 3. parte quęst: 52 ait: 1. ad2

catio, vtriusq; salutem sic disponeret, vt postmodum (quod ipse B. Gregorius docet) precibus piorum viuentium effectum consequeretur. Nam (vt piè censet Epiphanius) Christus venit, vt his quidem qui olim ipsum cognouerunt, & ab ipsius Deitate nō aberrauerunt, verùm propter errores in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur. His quidem qui adhuc in mundo sunt per pœnitentiam, qui verè in inferno per misericordiam & salutem. Et D. Thomas docet, virtutē passionis Christi, sicut viuis per Sacramenta, sic mortuis per descensum Christi ad inferos fuisse applicatā. Quomodo enī (inquit Augustinus) aliter accipiendū sit quòd dictū est: *Quē Deus suscitauit ex mortuis, solutis doloribus inferorū, quia non poterat teneri ab eis:* non video, nisi vt quorundam dolores apud inferos eum absoluisse accipiamus, ea potestate qua Dominus est: *cui omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum:* per quam potestatem etiam illis doloribus, quos soluit, non potuit teneri. Hactenus ille. Quintus huic cogener locus est, quando Dauid Propheta sub typo captiuitatis temporalis populi Dei, describit captiuitatem inferni diabolicam, ex eaq; per Christum Messiam liberationem, sic dicens: *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinctos mendicitate & ferro:* Et postea subinfert: *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Ad quod alludens Ambrosius, sic inquit: Expers peccati Christus, cum ad Tartari ima descenderet, feras inferni, ianuasq; confringens, vinctas peccato animas, mortis damnatione destructa à diaboli faucibus reuocauit ad vitam. Similia habent Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, Eusebius Emessenus, & alii. Ruffinus explicat hoc tali similitudine: Sicut si aliquis Rex pergat ad gentem, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, deuictā; carcerem intret, in quo vincti detinebantur, & ingressus aperiat ianuas, resoluat catenas, vincula, feras, & claustra cōminuat, & vinctos in remissionem educat: & eos qui sedent in tenebris & vmbra mortis, luci & vitæ restituat. Ergo Rex dicitur quidem fuisse in carcere, non tamen ea conditione, qua cæteri, qui tenebantur inclusi: sed illi quidem vt pænas soluerent, hic verò vt absolueret pœnas. Sic ille. Persimilis priori, & quam nunc posuimus eius expositioni, locus est in hoc ordine sextus, quando Zacharias Propheta sic vaticinatur:

Dolores inferni non in Christo, sed in membris eius fuisse solutos
August: in Gen: ad literā lib: 12: cap 33
Act: 2 ℣ 24
Philip: 2 ℣ 10
Cap: XXII
Quintum testimonium Christi victoris apud inferos
Psal: 106 ℣ 10.14
Ambros: de mysterio Paschę cap: 4
Idem in cap: 4. ad Ephesios
August: epist: 99 Et Serm: 137 de Tempore
Hilarius lib: 10 d Trinitate
Chrysost & Emessenus in homel: Paschalibus
Apta similitudo Christi ex carcere liberantis

natur: *Tu quoq; in sanguine testamēti tui, eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Quę verba nō possunt referri ad captiuitatē Babylonicā, vt hæretici detorquent. Primò quia captiuitas illa non erat lacus, in quo non est aqua. Quin potiùs apud Psalmistam dicunt captiui illi: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Infernus autē propriè talis locus est, qui non aqua madeat, sed ignibus inextinguibilibus exæstuet. Deinde quia Christus sanguine testamenti sui, non terrenā illam captiuitatem exoluit, sed æternalem diabolicam: De quo sic Apostolus: *Ideò noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant in veteri testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Tertia ratio: quia ibi Propheta vaticinatur de Christo, quatenus venit Ierosolymam, regnum suum per passionem & mortem consumaturus. Cui Euangelista Matthæus applicat illa verba: *Exulta filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi.* Vnde secundùm Hieronymum paulò post facit Prophe ta Apostrophem ad eundem Regem, de subsecutura mox eius per sanguinem humana redemptione. Septimū testimonium est. Vbi Sapientia æterna sic de seipsa loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes: & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Hæretici quidem dupliciter locum istum repudiant: Primò quòd librum ipsum vnde desumitur hæc autoritas pro Canonico non agnoscant: Deinde, quòd verba ista in Græco textu non legantur. Sed primum diluitur: huic libro satis afferre autoritatis, quòd in Cathalogo referatur, vel citetur ab antiquis Patribus, Clemente Alexandrino, Chrysostomo, Cypriano, Epiphanio, Ambrosio, Augustino, Basilio, Gregorio, & aliis. Quòd autem hæc sentētia modò non extet in Græco contextu, non est nouum pleraq; talia, vel casu aliquo, vel fraude aduersariorū fidei, sacris Codicibus excidisse, quæ tamen alienis testimoniis seu citationibus cōstarent. Alioqui impossibile videtur, interpretem tale quid de proprio apposuisse: tùm quod textui præcedenti & consequenti optimè responderet: vel inter tot Scriptores defuisse, qui eiusmodi fraudem notaret. Hæc enim quę dicuntur, prioribus & posterioribus stupendis sapientiæ Dei operibus rectissimè cohærere, nos superiori libro satis ostendimus. Probabiliùs est sententiam istam ex textu Græco per aduersarios tandē fuisse subtractam. Quod itidem euenit in prophetia Ieremiæ, quā pro

Sextum testimonium superiori conforme
Zachar: 9 ℣ 11
Lacus sine aqua propriè infernus
Psal 136 ℣ 1
Sanguine Testamenti æterna redemptio parta
Hebt: 9 ℣ 15
Matt: 21 ℣ 5
Hieron super hunc locum
Septimum testimonium. Sapientia æterna penetrauit loca infernorum.
Eccli 24 ℣ 45
Liber Ecclesiast: Canonicus
Clemens libro 2 Stromatum
Cyprianus libro 3. epist: 9
Epiphanius cont: Anomœos
Ambr: de fide lib 4 cap: 4
August: ad Oson contra Priscillianistas cap: 11
Basilius lib: 4 in Ennominm
Gregor: 10 moralium cap: 14
bChristologię parte 2 Serm: 13 cap: 5

Locus de Christi ad inferos descẽsu ex Ieremia erasus

Iren: lib: 3 cap: 23

Et lib: 4 cap: 39

Item lib: 5 cap: 31

octauo & vltimo testimonio ponimus. Irenæus enim antiquissimus descensum Christi ad inferos gloriosum atq; victricem, in aliquot locis comprobat talibus verbis Ieremiæ: *Cōmemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terram stipulationis: & descendit ad eos extrahere & saluare eos.* Quam sententiam bis alibi repetit, mutatis aliquot verbis, sensu tamen integro. In vno autem loco citat illam sub titulo Isaiæ, fortasse librariorum errore: cùm loco superiùs posito adscripserit Ieremiam.

Iustinus martyr Dialogo cum Tryphone circa medium

Quòd confirmat Iustinus martyr, qui eandem sententiam ad hoc argumentum citando, conqueritur, eam (sicut pleraq; alia) fuisse ex Prophetia Ieremiæ per Iudæos abrasam. Videtur autem præsens prophetia correspondere superiori loco ex Ecclesiastico: vt quòd ibi sapientia diuina ab æterno promisisset, hoc in suo ad inferos descensu, opere exhibuisset.

Christologiæ loco citato

Quòd quia alibi ex contextu ipso explicuimus, nunc ad alia transeamus.

PARS TERTIA.

De gloria & triumpho Christi ex inferis: & eius Passionis imitatione.

Cap XXI

Christus ab infantia Sathanæ debellator magis in morte

Ioan: 3 ✗ 8

Isa: 11 ✗ 8

Isa: 19 ✗ 1

Euseb: Demonst: Euang: lib: 6 cap: 20

Athanas: de Incarnatione Verbi

Nazian: orat: 4 de Theolo:

Origen: hom: 3 in diuersos

Hieron in cap: 19 Isaiæ

Isa: 8 ✗ 3

Matt: 8 ✗ 29

Iob 26 ✗ 13

Isa: 27 ✗ 1

b Iob 40 ✗ 19, 24

Apoc: 12 ✗ 9

c Iob 41 ✗ 5

SI filius Dei in carne ad hoc apparuit, vt destrueret opera diaboli: si secundùm Prophetam: *delectabatur adhuc infans ab vbere matris super foramine aspidis, & ablactatus in cauernam reguli mittere manū suam: quādo suo ingressu idola Aegipti vastauit:* Si secundū eundem Prophetam, accepto tali nomine: *Accelera spolia detrahere: festina prædari,* Cacodæmonibus homines vexantibus erat adeò formidolosus, vt clamarent: *Quid nobis & tibi IESV fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* Quantò magis id præstitit, quando (vt loquitur Iob) *obstetricante manu eius* (ex crucis fixura victrice) *eductus est coluber tortuosus?* & quando secundùm Prophetam, *Dominus visitauit in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuithan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum?* Et quando non solùm secundùm sapientiam, [b] *illusit ei quasi aui,* sed etiam secundùm potentiā, ex carnificina baratri: *extrahit eum veluti piscem hamo?* Tūc em̄ *proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem: & per fortiorem armatum, spolia eius, in quibus confidebat,* hoc est animæ iustæ & saluandę, super quas regnum [c] *superbiæ suæ,* exercebat, ablata sunt ei atq; erepta. Tunc

etiam

Ex vastatione inferni Dæmonia quærula

Ierem: 50 ✗ 12

etiam euenit quod prædixerat Propheta: *Vox belli in terra, & cōtritio magna. Quomodo cofractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ: quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus. Illaqueaui te, & capta es Babylon, & nesciebas rem.* Et paulò post: *Vox fugientium, & eorum qui euaserunt de terra Babylonis, vt annuncient in Sion vltionem Domini Dei nostri.* Hæc ibi.

Pan Deus magnus mortuus qualis vox

Euseb: de prępar: Euan: lib: 5 cap: 9

Plutarch: de Oraculis deficiētibus

Talem em̄ spoliationem & deuastationem inferni, perculsa dæmonia etiā in terris deplorasse, ostenditur exemplo quodam, quod ex Plutarcho desumptum sic refert Eusebius: Tempore Tyberii Cæsaris (sub quo Christus esset crucifixus) à quibusdam Romam nauigantibus, reuelatam fuisse à quodam incerto genio hanc vocē: *Pan Deus magnus mortuus est.* Quæ vox cum iussu eius qui eam suggesisset in loco ab ipso determinato proclamata esset, multos & magnos gemitus, & vlulatus fuisse exortos, dæmonum absq; dubio in aëre vel mari conuersantium. Quod factum postea Romæ à Tyberio examinatum, certitudinem suam accepisse. Vbi Pan Deus magnus, non potuit intelligi vllus dæmoniorum Princeps, qui cùm spiritus sint, mori non possint:

Luce 1 ✗ 32

Signabat igitur istud nomen Christum filium Dei, quem *magnum* etiam in carne futurum Angelus annunciasset. Conuenit & Gręca vox πάν, quæ totum sonat seu vniuersum: cui conuenit illud.

Apoc, 1 ✗ 18

Ego sum primus & nouissimus: fui mortuus, & ecce sum viuens: & habeo claues mortis & inferni. Accomodè etiam lingua nostra Pan vocatur Dominus: vt propriè ea dilecto (**Pan Bog wielki vmarl**) fuerit annunciata mors magni Domini:

Rom: 14 ✗ 9

1 Cor: 15 ✗ 24

qui mortuus est & resurrexit (secundùm Apostolum) *vt viuorum & mortuorum dominaretur,* & omnia quæ in cælo, in terra, & sub terra sunt, dominio eius ad finem sæculorum, *donec deuicta traderet Deo Patri, subiicerentur.*

Inferni ex aduentu Christi cōfusio

Cyrill: Ierosol: Cathech: 13 Illuminat:

Talem inferorum ex aduentu Christi confusionem, & iustorum lætitiam B. Cyrillus sic quoq; describit. Exterrita est mors, videns nouum quendam descendentem ad infernum, vinculis, qui illic sunt, non ligatum. Qua de causa, ô portæ inferi, hunc videntes exorruistis? quis insuetus vos cœpit timor? Fugit mors, & fuga timiditatem arguebat. Accurūt sancti Prophetæ, legislator Moyses, Abraham, Isaac, & Iacob, Dauid, & Samuel, Isaias, & Ioannes Baptista, dicens & testificans: *Tu es qui venturus es: an alium expectamus?*

Matt: 11 ✗ 3

Redempti sunt omnes sancti, quos deuorauerat mors. Decebat em̄ prædicatum Regem bonorum præconum suorum esse redemptorem. Tum verò quilibet redemptorum dicebat: vbi est mors vi-

ctoria

ctoria tua ? liberarauit nos victor. Hæc ille. Auguſtinus autem la-
Inferni aduenien te Chriſto conturbatio Pſal: 93 ℣ 1. tiùs hoc ipſum perſequitur, his verbis: Ecce audiſtis, quòd de-
fenſor noſter vltionis Dominus liberè egiſſe deſcribitur. Poſt-
quam enim exaltatus, id eſt, à Iudæis in cruce ſuſpenſus eſt, vt
hæc breuiter cuncta perſtringam, mox vt ſpiritum reddidit, vni-
ta ſuæ diuinitati anima ad inferorũ profunda deſcendit. Cumq́;
tenebrarum terminum quaſi quidam deprædator ſplendidus ac
terribilis attigiſſet, aſpicientes eum impiæ ac tartaricę legiones,
territæ ac trementes inquirere cœperunt dicentes: Quis nam
Chriſtus tartareis incolis quàm admirandus. eſt iſte terribilis, & niueo ſplendore coruſcus? Nunquam noſter
talem excepit tartarus, nunquam in noſtram cauernam talem e-
uomuit mundus. Inuaſor iſte, non dæbitor: exactor eſt: non pec-
cator. Iudicem videmus, non ſupplicem: venit iubere, non ſuc-
cumbere: eripere, non manere. Vbi iam ianitores noſtri dormi-
erunt, cùm iſte bellator clauſtra vexabat: Hic ſi reus eſſet, tam
potens non eſſet. Si eum aliqua peccata fuſcarent, nunquam no-
ſtra tartara ſuo diſſiparet fulgore. Si Deus, vt quid venit? Si ho-
mo, quid præſumpſit? Si Deus, quid in ſepulchro facit? Si ho-
mo, quare peccatores ſoluit? Nunquid cum actore noſtro fœdus
compoſuit, aut fortè congreſſus & ipſum vicit, & ſic ad noſtrà
regna aſcendit? Certè mortuus erat, certè illuſus erat. Prælia-
tor noſter neſciuit, quam hic ſtragem procuraret inferno crux
illa, fallens gaudia noſtra, parturiens damna noſtra. Per lignũ di-
tati ſumus, per lignum euertimur. Perit poteſtas illa ſemper popu
lis formidata. Nullus hic viuus intrauit, nemo carnifices terruit,
nunquam huic cœnolento loco, & nigra ſemper caligine cæcato
iucundum lumen apparuit. Aut fortè ſol de mundo migrauit?
Sed nec cælum, nubes, aſtraque apparent, & tamen infernus lu-
cet. Defendere contra ipſum cuſtodiam carceris noſtri non va-
lemus. Malè intrauimus, lumen obtenebrare nequiuimus: inſu-
per & de noſtro interitu formidamus: Vnde eſt iſte tam ſplendi-
dus, tam fortis, tam præclarus, tamq́; terribilis: Mundus ille qui
nobis ſubditus fuit, ſēper noſtris vſibus mortis tributa perſoluit,
nunquam nobis talem miſit, nunquam talia inferis munera deſti-
nauit. Quis ergo iſte eſt, qui ſic intrepidus noſtros fines ingre-
ditur: & non ſolùm noſtra ſupplicia non veretur, inſuper & alios
de vinculis noſtris abſoluit? An fortè ipſe eſt ille, de quo prin-
ceps noſter paulo antè dicebat, quod per eius mortem, totius
mundi

mundi acciperet poteſtatem? Sed ſi iſte eſt, in contrarium eſt no- Luciperum mors Chriſti quàm fefellit
ſtri præliatoris verſa ſententia, & dum ſibi vincere viſus eſt, ipſe
potiùs victus atq; proſtratus eſt. O princeps noſter, hic ne eſt ille,
de cuius tibi ſemper futura morte plaudebas? Ipſe ne eſt in cu-
ius cruce omnem mundum tibi ſubiugandum eſſe credebas? Ipſe
ne eſt in cuius exitu nobis tanta ſpolia promittebas? Quid eſt Animæ iuſtæ in inferno Duce Chriſto victrices.
quod egiſti? Quid eſt quod facere voluiſti? Ecce iam totas ti-
bi tenebras ſuo ſplendore fugauit, & omnes tuos carceres fre-
git, captiuos eiecit, ligatos ſoluit, luctus eorum in gaudium com-
mutauit. Ecce ipſi qui ſub noſtris ſolebant ſuſpirare tormentis.
inſultant nobis de perceptione ſalutis: & non ſolùm iam nihil ve-
rentur, inſuper & minantur. Nunquam hîc ita ſuperbi erant mor-
tui, nec aliquando ſic potuerunt læti eſſe captiui. Vt quid huc
iſtum adducere voluiſti, quo veniente omnes ſunt letitiæ reſtitu-
ti, qui antè fuerant deſperati? Nullus hîc iam ſolitus eorum mu-
gitus auditur, nullus reſonat gemitus, Factum eſt autem capti-
uis redemptionis commercium. O princeps noſter, illas tuas di-
uitias, quas primum acquiſieras per paradiſi amiſſionem, nunc
perdidiſti per crucem: perit omnis lætitia tua, in luctum cõuerſa
ſunt gaudia tua. Dum tu Chriſtum ſuſpendis in ligno, ignoras
quanta damna ſuſtineas in inferno. Præuidere non poteras, quia
euerſorem regni tui in mortem ſine reatu aliquo perducebas? At-
tenderes cauſam, requireres culpam. In quo nihil mali cognoue
ras, quare eum ad noſtram patriam perducebas? Liberum huc Animæ Sanctorũ in limbo qm̃o Chriſtum exceperunt
adduxiſti, & tot obnoxios perdidiſti. Poſt iſtas crudelium mini-
ſtrorum infernalium voces, ſine aliqua mora, ad imperium Do-
mini, & Saluatoris noſtri, omnes ferrei confracti ſunt vectes: &
ecce ſubitò innumerabiles ſanctorum populi, qui tenebantur in
morte captiui, Saluatoris ſui genibus aduoluti, lachrymabili eum
voce cum obſecratione depoſcunt, dicentes: Aduenisti Redem-
ptor mundi, aduenisti quem deſiderantes quotidie ſperabamus.
Aduenisti quem nobis futurum Lex nuntiauerat & Prophetę. Ad-
uenisti donans in carne viuis indulgentiam, peccatoribus mun-
di, ſolue defunctos inferni. Veniſti poſt longas lachrymas, eripe
ſolus, qui paſſus es pro nobis. Cæli conditor, ad inferos intrare
dignatus es. Te enim noſtra vocabant ſuſpiria, te larga require- Hæc verba in Proceſsionē Paſchalem trãſlata
bant lamenta. Vnde ſpes deſperatis, vnde conſolatio in tormen-
tis? In aduentu tuo catena noſtra cecidit, nox effugit. Vita veni-

ente mors moritur, nec tortor instat, nec percussor. Damnati vocata capiunt, creator imperat, non inuasor. In tyranno catena innectitur, & tortor noster pœna torquetur. Solue redemptor mundi defunctos captiuos inferni. Descendisti pro nobis ad inferos, noli nobis deesse, cum fueris reuersurus ad superos. Posuisti titulum gloriæ in seculo, pone signum victoriæ in inferno. Nec

Victoria ex tartaro proclamata

mora, postquam audita est postulatio atque allegatio innumerabilium captiuorum, statim à Domini iussu omnes antiqui iusti iura potestatis accipiunt, atq; in suos tortores ipsi protinus tormenta conuertunt, humili supplicatione cum ineffabili gaudio clamantes Domino, atq; dicentes: Ascende Domine IESV spoliato inferno, & auctore mortis suis vinculis irretito, redde iam lætitiam mundo. Iucundentur in ascensu tuo fideles tui, aspicientes cicatrices corporis tui. Fecit hoc Christus, sicut iam superius dictum est. Facta præda in inferno, viuus exiit de sepulchro.

Passionis Christi fructus ex arbore crucis recolligendi.

Hucusq; Augustinus. Postremò effectum & fructus passionis Dominicæ, eiusq; simul imitationem, contestentur similiter sacri Doctores, sic scribentes. Cap: XXV.

Atthanas: de natura humanitatis suscepta

Athanasius: Christi passio, inquit, nostra est impatibilitas; illius mors, nostra immortalitas, illius fletus, nostra lætitia: illius sepultura, nostra resurrectio: illius baptisma, nostra sanctificatio est: illius vibices, nostra est sanitas: illius disciplina, pax nostra. Ob pacẽ enim nostram ille castigatus est: illius ignominia, nostra gloria: Vnde gloriã petit in nostri gratiam.

Theophilus Alexandrinus libro Allegoriarum in Matthæum

Theophilus autẽ: Ideo, inquit, passus est Christus maledictionem, vt nos à maledictionibus liberaret: illudi se passus est, vt nos illusione dæmonum, qui in hoc mũdo versantur, auferret: spineam in capite coronam accepit, vt sententiã capitalem, quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur, eriperet: aceto potatus est, vt acredinem, qua sanguis noster efferbuerat, in se susciperet, & ipse liberaret à passionis calice, qui nostris passionibus debebatur: expoliatus est, vt nuditatem parentum nostrorum operiret. In ligno suspensus est, vt ligni præuaricationem ligno suę tolleret passionis: mortem quoq; ad se venire permisit, vt eam aduersus se colluctantem, dimicantemq; prosterneret: & quæ per

Modus passionis Christi peccatoribus applicatus. August: Serm: 114 de Tempore in Ramis Palmarum

serpentem regnum inuenerat, cum ipso serpente postea fieret captiua per Christum. Similiter Augustinus: Agnosce (inquit) homo quantùm valeas, & quãtum debeas: & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudo-

rem.

rem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur synceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.

Prodigia post mortem Christi mysticè applicata

Expauit scelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cæli Regem Sol fugiens confitetur. Chlamyde coccinea induitur: quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. Corona spinea capiti eius imponitur: quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione

Matt: 13 ỽ 22

redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diuerso, vt membrorũ vita capitis sit corona. Quòd verò sitire se in cruce positus dicit, fidem incrudulæ gentis concupiscit. Sed è contrà acetum malitiæ porrigunt, quia vinum sapientiæ, quod à Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur. Obseruatio antiqua dissoluitur, Ecclesiæ vnitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis iura iure superantur. Laxata sede tartarea à Domino rerum, profundæ noctis claustra reserantur: & quem homines non recipiunt, inferi Deum esse cognoscunt.

Precii à Iuda refusi mysterium. Matt: 27 ỽ 5. 6

Quod autem triginta argẽteos Iudas venditor prophanus refudit, indicabat nihil sibi Christi pretium profuturum, sed salutis beneficium scelere suo aliis conferendum. Videamus quidem hoc refuso pretio emptum esse, eloquia diuina testantur.

Christus figulus Ager Ecclesia eorũq; operatio

Emerunt, inquit, ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Figulus, Christus est, ager Christi Ecclesia, acquisitio peregrinorum populus gentium. Superest charissimi, vt agri huius quotidiani atque perpetui studeamus esse cultores: seminemus in eo frugem bonæ conscientiæ, vt cùm tempus messis, id est, consumationis, & dies reddendæ rationis aduenerit, cum securitute & exultatione bonorum operum manipulos reportemus. Et post contritionem ieiuniorum præsentis quadragesimæ, laudabilium actuum candore vestiti, & indumẽto castitatis ornati, ad festa futura procedamus, & Pascha illud æternum piorum inserti conciliis celebremus. Hæc ille.

Cõclusio Sermonis cum apparatu Paschali Leo Ser: 8 de Passione Domini

Excipiat tandem, & istum Sermonem atq; Tractatum concludat supremæ Cathedræ Pastor, sic olim populum suum alloquens: Confiteamur igitur dilectissimi, quod B. magister gentium Paulus Apostolus, gloriosa voce confessus est,

dicens:

1 Timot: 1 ℣. 15 dicens: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Hinc enim mirabilior
Rom: 5 ℣. 6 est erga nos misericordia Dei, quòd non pro iustis, neq; pro sanctis, sed pro iniquis & impiis CHRISTVS mortuus est, & cùm mortis aculeum recipere non posset natura deitatis, suscepit tamen nascẽdo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostræ mortis suæ potentiam minabatur, dicens per O-
Oseæ 13 ℣. 14 seæ Prophetam: *O mors, ero mors tua, & ero morsus tuus inferne:* Leges enim inferni moriendo subiit, sed resurgẽdo dissoluit, & ita perpetuitatem mortis incidit, vt eam de æterna faceret temporalem. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO*
1 Cor: 15 ℣. 22 *omnes viuificabuntur.* Fiat itaq; dilectissimi, quod Apostolus Pau-
2 Cor: 5 ℣. 15 lus ait: *vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus & resurrexit.* Et quia vetera transierunt, & facta sunt omnia noua, nemo in carnalis vitæ vetustate remaneat, sed omnes de die in diem proficiendo, per pietatis augmenta renouentur. Quantum libet enim quisq; iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit & melior. Qui autem non proficit
Qui non proficit, deficit deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit. Currendum enim nobis est fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore iustitiæ, vt diem redemptionis nostræ spiritaliter celebrantes, *non in fermento veteris malitiæ & nequitiæ, sed in azimis synceritatis & veritatis,*
1 Cor: 5 ℣. 8 resurrectionis CHRISTI mereamur esse participes. Qui viuit & regnat in secula seculorum.

AMEN.

Apocalyp: 5 v. 13

Sedenti in throno, & AGNO, benedictio, & honor, & gloria, & potestas: in secula seculorum.



